This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

1837
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

BS
2335
.D79
1616

F. J. A. Hort.

Drusius, Joannes.

I. DRVSII
AD
VOCES EBRAICAS NOVI TESTAMENTI
Commentarius duplex:

Prior ordine Alphabetico conſcriptus eſt, alter antehac editus fuit Antverpiæ apud Plantinum.

In utroque autem variæ nec leves Cenſuræ.

ITEM

Ejuſdem Annotationum in N. Teſtamentum

PARS ALTERA.

NEC NON

Vitæ, Operumque I. DRVSII *editorum, & nondum editorum, delineatio & tituli,*

PER
ABELVM CVRIANDRVM

FRANEKERÆ FRISIORVM,

Excudebat FREDERICUS HEYNSIUS, Typographus. Anno, 1616.

Sumptibus Iohannis Iohannus F. Bibliopolæ Arnhemienſis.

[illegible]
Colluran
[illegible]-26
13284

ILLUSTRISSIMIS, AMPLISSIMIS, PRAEPOTENTIBUS, VEREQUE MAGNIFICIS

ORDINIBUS

Provinciarum fœderatarum,

QUOS

Status GENERALES vocant.

EX quo a vobis diſceſſi viri præpotentes, nihil habui prius aut antiquius quam ut illud quod mihi erat injunctum, in publicum emitterem. Multa obſtiterunt, ſed nihil magis quam obitus Typographi noſtri, qui omnia ad eam rem paraverat. Succeſſit ei alius qui Ebraicis characteribus deſtitutus mea excudere non potuit.

1732

Tandem ultro ſe obtulit vir juvenis, admodum induſtrius & vitæ temperatæ, cui Henochum meum commiſi. Quum autem mihi editio illa non per omnia placeret propter vetuſtatem characterum, emit plane novos tam Latinos quam Græcos. Etiam Ebraicos comparavit ſibi, qui ſufficerent ad hoc opus, quod nunc veſtris Illuſtriſ. dignit. offero. Commentarius eſt duplex in voces Ebraicas N. T. Prior qui & novus plane, ordine alphabetico conſcriptus eſt. Alter qui vetus & poſterior, eo quod poſteriore loco nunc editus ſit, antehac excuſus fuit Antverpiæ apud Chriſtophorum Plantinum, videlicet anno Chriſti 1582. Eum publicavimus imperfectum. Supplere autem non potuimus propter tempora, quæ conſecuta ſunt. Id ſi nunc præſtamus, erit quod ſibi nobiſque gratulentur, qui hiſce meis laboribus ſtudia ſua juvari haut gravate confitentur. Sunt autem plurimi in

ijs locis,

ijs locis, ubi odium & invidia non tantum poſſunt quantum in hiſce, in quibus cognitio linguarum & literata eruditio tantum non pro hæreſi habentur. Vt ut ſit, opus eſt quod nunc offero, plane conſummatum, in quo præter ea quæ ad vocum ſenſa pertinent, multa obſervata in Theologis antiquis: partim etiam oſtenſa ratio ſcripturæ veteris, quam diligenter & cum cura notavi duabus potiſſimum de cauſſis. Primum quoniam ignorata hæc vulgo. Non enim quiſquam ante me illam obſervavit: (primus hoc iter ingreſſus ſum ſine duce ſine comite, quo magis mihi condonandum ſicubi aberro) deinde quia argumentum tale, ut ſi quis illud tractet non obſervata ratione, qua uſi priſci illi veteres in ſcribendis nominibus Ebraicis, ſæpenumero fallatur neceſſe eſt. Breviter omnia, quia neque ipſe unquam in hoc ſcribendi genere amavi ubertatem, & moleſtiam lectori conſulto

objicere ſugi multitudine verborum. Qualiacumque ſint (non enim meum ea extollere) ſpero grata futura vobis, viri Illuſtriſsimi, partim quia illuſtrant novum Ieſu Chriſti ſœdus, partim quia hinc ſpes vobis certa de magno illo opere, in quo tot annos deſudavimus: cujus ſpecimen nunc haberetis niſi anguſtia rei familiaris nobis obſtitiſſet. Nam qui ſuis impenſis id excudere velit nondum mihi repertus, & curta res familia mea non permiſit, ut ego eas facerem. Qua de re monui R. V. Ioh. Vtenbogardum eccleſiaſtem, ſed nullum adhuc reſponſum accepi. Interea paro, nunc alteram partem Annotationum in Novum illud Teſtamentum, edendam ſumptibus Iohannis Iohannis F. Bibliopolæ Arnhemienſis niſi interea benignior aura a vobis affulſerit. Nam ſavore & auxilio potentum opus eſt ad opus aliquod magnum aggrediendum. Quod ſi contingat, habebitis brevi juſtum commen-

tarium

tarium ad loca difficiliora legis, hoc eſt quinque librorum Moſis; quem conſequentur prophetæ & deinde Hagiographi, ſi Deus vitam & valetudinem conceſſerit, & pulices iſtos, qui me undique pungunt & mordent ſtudiaque mea turbant, a me ſubmoverit, aut ſaltem quietem ab illis mihi dederit. Quod ut imis votis opto, ita hunc laborem meum Ill. Alt. veſtris acceptum eſſe cupio. Sic enim certe animum addetis ad alia, quæ reſtant evulganda. Valete viri Præpotentes & feliciter gubernate.

Hiero.

Hiero. in comment. Ezec. 40.

VT diligentem & ſtudioſum lectorem admonendum puto, ſi tamen ſcientias Scripturarum & non varijs oratorum declamationibus ducitur, ut ſciat omnia prope verba Ebraica & nomina, quæ in Græca & Latina tranſlatione ſunt poſita, nimia vetuſtate corrupta, ſcriptorumque vitio deprava-ta, & dum de inemendatis ſcribuntur inemendatiora, de verbis Ebraicis facta eſſe Sarmatica, imo nullius gentis, dum & Ebræa eſſe deſierint, & aliena eſſe cœperint.

I. DRUSII

Ad voces Ebraicas novi fœderis commentarius prior ordine alphabetico.

ABADDON.

ABADDON, duplici D. & unica B. Ebraice אבדון. Vox hæc aliud ſignificat in veteri, & aliud in novo fœdere. In veteri tria ſignificat, perditionem, ſepulchrum, & infernum. In novo autem denotat angelum abyſſi, qui rex erat locuſtarum, de quibus Iohan. theologus in Apocalypſi. Locum paullo poſt adducam. Reperitur etiam Abaddo, abſque N. quod ſcribunt אבדה, & legunt אבדו Proverb. 27. 20. Supereſt ut jam dicta exemplis probentur. Ergo Iob. 31. 12. ubi legimus, *quid ignis uſque ad perditionem conſumet*, in Ebræo eſt אבדון, nec aliud ibi ſignificat, quam perditionem, quæ eſt prima & propria vocis ſignificatio. Pro ſepulchro ponitur, ſi credimus Camio Ebræo, Pſal. 88. 12. Nam interpretatur ibi קבר, & appellatum ait ab argumento pereundi. Nam in eo, inquit, corpus perit & conſumitur. Ego potius à perdendo dictum putarim, qua ratione etiam διαφθορά .i. שחת appellatur a verbo quod corrumpere ſignificat. Itaq; Græci vertunt ἀπώλειαν, & Hiero. *perditionem*, & alius, *interitum* Sed ſignificat id quod dixi. Quanquam poſſet etiam ibi orcum ſive inferos denotare, ut cum legitur junctum vocibus מות & שאול. Iob. 28. 22. Prov. 15. & alibi. Sane in hiſtoria Ebraica מחשכי האבדון orci tenebræ. Notatum eſt ex libro perantiquo, Zohar inſcripto, cujus compoſitor R. Simeon filius Iohai

vixiſſe creditur paullo poſt Chriſtum, apud inferos duas regiones invicẽ vicinas & contiguas eſſe. Vnam quæ dicitur שאול, & alteram quæ vocatur אבדון. Atq; in illam quidem qui deſcẽdunt, judicari & puniri, pœnaq; perſoluta deinde ſubduci in aliam habitationem ſuperiorem, donec penitus inde ſubducantur: in hanc vero qui veniunt, nullo unquam tempore aut ævo inde liberari aut educi. Manahemus Ricinenſis in Moſem ait Abaddon alio nomine תחתיה dici qui eſt locus imus inferorum: item שאול תחתית ſepulchrum inferius & ארץ עיפתה terram caliginis, unde nemo exit, & פרזרא בתראה תתאה מכולהו habitaculum ultimum imum omnium. 154, 4: & 155, 1. In libro Muſar 42. 2. *Deſcendunt in Gehennam gradu poſt gradum donec venerint in locum Abaddon, qui תחתית vocatur.* Vide, ſi vacas. Ioſeph Caſtilienſis autor horti nucis (liber eſt ejus nominis) meminit etiam Abaddon per hæc verba, *duæ ſunt Gehennæ, Superior, Inferior. Vna corpori deſtinata in hoc ſeculo, altera animæ in ſeculo venturo. Locus qui comprehendit hæc omnia, vocatur* ארקא (unde forſan Orci nomen.) *Nam in ea ſunt Gehenna, & porta mortis, & umbra mortis, & puteus corruptionis, & lutum cœni, & Abaddon & Seol.* De his ſeptem regionibus, itemque de duplici Gehenna, videndus Capnio artis Cabbaliſticæ fol. 17. pag. 1. Nos omiſſis nugis hominum otio abutentium & male feriatorum, veniemus ad ultimam ſignificationem, quam in novo fœdere inveniri diximus. Vt ſcelus pro ſceleſto, & dolus pro doloſo, & aviditas pro avaro: ita Abaddon uſurpatur pro angelo perdente, qui Græce Ἀπολλύων appellatur. Hunc angelum abyſſi vocat Iohannes theologus. Verba clara hac de re Apocalyp. 9. 11. Καὶ ἔχουσιν ἐφ' αὐτῶν βασιλέα τὸν ἄγγελον τῆς ἀβύσσου. ὄνομα αὐτῷ

Ἑβραϊστὶ Ἀβαδδὼν, καὶ ἐν τῇ Ἑλληνικῇ ὄνομα ἔχει Ἀπολλύων. Quæ vetus interpres ita in Latinum convertit, *Et habebant ſuper ſe regem angelum abyſſi, cui nomen Ebraice Abaddon, Græce autem Apollyon, Latine habens nomen Exterminans.* Addidit de ſuo, *Latine habens nomen Exterminans*, cum extermino potius שמד dicatur; unde Aſmodeus Tobiæ. In Ἀπολλύων agnoſco participium pro nomine. Qualia ſunt λέγων orator, πορνεύων, ſcortator, ἀκούων auditor. Sic Tertullianus *diſcentes* poſuit pro diſcipulis. Sic apud Ebræos רוֹפֵא medicus, מוֹשֵׁל dominator, & alia ſexcenta. Pro clauſula, ut Ἀπολλύων a perdendo, ſic Apollo παρὰ τὸ ἀπολλύω. Teſtis hujus rei Euripides in Phaethonte ita ſcribens, ὦ χρυσοφεγγὲς ἥλι', ὥς μ' ἀπώλεσας, ὅθεν σ' Ἀπόλλων ἐμφανῶς κλήσει βροτός. Nam exanimat & perimit animantes, cum peſtilentiam intemperie caloris immittit. Vide Macrob. Satur. lib. 1. cap. 17.

Abba pater.

אב nomen Ebraicum patrem ſignificat. Syriace אַבָּא i. Aba, prima correpta. Quod antiqui legebant Abba i. אַבָּא, unde ἀββᾶ ὁ πατὴρ Marc. 14. 36, Rom. 8: 15, Galat. 4: 6, de quo in priore commentario, quem Plantinus excudit, cap. 28. Quibus addo, Abba interdum nomen dignitatis eſſe. Sic enim certe vocabant ſapientes ſenes. R. Nathan, מר *de ſapientibus, qui primores ſunt deportationis Babylonicæ*, רבנא *de ſapientibus domus David:* אבא *vero &* אב *de ſapientibus provectæ ætatis.* Dubito an etiam alios non ſenes denotet. In libro Iochaſin, quo me donavit doctiſſimus Thyſius, אבא *vocabulum honoris, & eſt plus quam Rabbi, ut Abba Saul, Abba Ioſe &c.* Aliquando Deus peculiari appellatione vocatur אבא, ut multa & varia ſunt ejus epitheta. Quo forte reſpexit ὁ κύριος Matth. 23: 9. cum ait, *patrem veſtrum neminem*

vocetis in terra. Unus est enim pater vester, qui in cælis est. Poteſt ergo in *Abba pater*, unum Dei epitheton eſſe, & alterum commune ſeu appellativum, ut ſi quis diceret, *Adonai Domine* aut *Elohim, Deus*. Quale illud, *filius Timæi Bartimæus*. Poteſt etiam fieri ut Abba ſit nomen dignitatis, aut eſt formula loquendi ἐν παραλλήλῳ κατὰ πλεονασμόν, ut *latum ventum*; & in Latio, *commeatus cibus*, *rete jaculum*, *lectus locus*, *libra pondo*, *hecatombe hoſtiæ*. Nam nulla cauſſa eſt quin idem poſſit, diverſis linguis fieri. Nihil temere ſtatuendum. *Aſer divitiæ* quod pro exemplo Hieronymus adducit, nuſquam extat, niſi forte in verſione Latina. Vide Quæſtiones ejus in Geneſin, pag. 462. Certum eſt Aſer beatum denotare, non divitias, quæ עשר dicuntur, i. Oſer, prima Ain. Corrigendus in hoc nomine Auguſtinus. Nam epiſt. 178. in colloquio cum Paſcentio Arriano habito, *Paulus*, inquit, *qui dicit Romanis ſcribens, in quo clamamus Abba pater, in uno nomine duabus utitur linguis. Dicit enim Abba Græco vocabulo* (imo Ebraico, vel certe Syriaco) *& Latine nominat identidem patrem.* Suidas ſive Sudas, ἀββᾶ, ὁ πατήρ. οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν πατέρα τὸν θεὸν ἐξ οἰκείας διανοίας. οἱ δὲ ἐν χάριτι, ἀπὸ πνευματικῆς ἐνεργείας κινούμενοι. & aliquando poſt, καὶ ὥσπερ ἴσμεν τὸ πνεῦμα τῆς προφητείας, ἀφ' οὗ ὁ ἔχων αὐτὸ λέγει τὰ μέλλοντα ὑπὸ τῆς χάριτος κινούμενος, οὕτω δὴ καὶ πνεῦμα υἱοθεσίας, ἀφ' οὗ ὁ λαβὼν, πατέρα καλεῖ τὸν θεὸν ὑπὸ πνεύματος κινούμενος. ὁ δὴ βουλόμενος δεῖξαι γνησιότατον ὄν, καὶ τῇ τῶν Ἑβραίων ἐχρήσατο γλώττῃ. Οὐ γὰρ εἶπεν, ὁ πατήρ, ἀλλ' ἀββᾶ ὁ πατήρ, ὅπερ τῶν παίδων μάλιστά ἐστι τῶν γνησίων, πρὸς τοὺς πατέρας ῥῆμα. Hæc ille. Quæ mihi parum ſolida eſſe videntur. Non eſt omittendum, quod Hiero. annotat in comment. Matth. 23. *Vulgato*, inquit, *ſermone, maxime in Palæſtina & Ægypti monaſteriis ſe invi-*

cem

eum patres vocant: & mox, *nos ſi hominem patrem vocamus, honorem mali deferimus*. Atque hinc ſane Abbatis vocabulum, de quo alias. Abba, Abbas; ut Iuda, Iudas; Thoma, Thomas.

Abel.

Matth. 23. 35. Luc. 11. 51. *a ſanguine Abel juſti*. Scribi debet perpetuo cum aſpiratione Habel. Contra peccatum in Elias, quod ſcribunt Hellias. Sic Enoch hodie multi ſcribunt pro Henoch. Ex hac prava ſcriptura manavit ei ſimilis interpretatio, Ἄβελ, πένθος. Quæ legitur apud Ioſephum, Philonem, Origenem, Euſebium Pamphili, Theodoretum & alios. Verba Euſebij ſunt apud interpretem Latinum lib. 11. cap. 4. de Præparatione Euangelica, *Abel, Latine luctum dicere poſſumus. Nam qui primus omnium parentibus luctum intulit, hoc nomine ab eis divina quadam providentia fuit appellatus.* Theodoreti Græca habentur Quæſt. 51. in Geneſin, Ἄβελ πένθος ἑρμηνεύεται. Πρῶτος γὰρ οὗτος ὤφθη νεκρός, καὶ πρῶτος τοῖς γεγεννηκόσι προὐξένησε πένθος. Ab his accepit Heſychius, in cujus lexico, Ἄβελ, πένθος. Verior interpretatio in libro nominum *vanitas aut vapor*. הבל vanitas, הבל vapor .i. ἀτμὶς ſive ἀτμὸς, halitus. Nolo te fugiat. Abel cum eſt nomen opidi, recte exponitur, luctus. Nam tum in ſcriptura Ebraica אבל. Habeli mentio & Ebræo. 11. 4. item 12. 24.

Abiathar.

Marc. 2. 26. Abiathar dicitur, qui 1. Samu. 21. 1. Achimelech vocatur. De quo variæ ſunt doctorum ſententiæ. Hiero. in libello de optimo genere interpretandi, putat nomen Abiathar pro Achimelech eſſe poſitum; ſive id acciderit vitio ſcriptorum; ſive quod ejuſdem hominis vocabulum ſit Abiathar & Achimelech.

Quam poſtremam opinionem amplexus Cl. Theodorus aſſerit tam patrem quam filium binomios fuiſſe, & utrumque modo Achimelech modo Abiathar dici. Idem obſervat ex 1. Paralip. 24. 2. & 3. Duos eodem tempore fuiſſe pontifices, qui viciſſim fungerentur ſacerdotio. Quamvis unus præcipuus eſſet, alter vero ab eo ſecundus, ut liquet ex 2. Reg. 25. 18. Theophylactus arbitratur hæc geſta eſſe ab Achimelecho patre, ſub pontificatu Abiathar, qui propterea ἀρχιερεὺς appelletur, cum alter tantum ἱερεὺς *dici* comperiatur. Cui opinioni repugnat quod ἱερεὺς aliquando pro ἀρχιερεὺς uſurpetur. Sic angelus pro archangelus ponitur, & ἱερωσύνη pro ἀρχιερωσύνη. Quibus addo non Achimelech in Græcis codicibus legi, ſed Abimelech. Eodem modo variant codices Latini 1. Paralip. 18. 16. Nam in aliis eſt Ahimelech, & Abimelech in aliis. Videtur autem ibi Abimelech filius Abiathar poſitus eſſe pro Abiathar filius Abimelech, ſive quod idem, Achimelech, non errore ſcribarum, ſed quod uterque διώνυμος fuerit, juxta ſententiam Theodori, ad quem te remitto. Quæſtio eſt digna, quæ majore otio diſcutiatur.

Abilene.

Luc. 3. 1. *& Lyſania Abilinæ tetrarcha.* Sic interpres vetus. In codicibus Græcis eſt Ἀβιληνῆς τετραρχοῦντος: quod Latine Abilenes, dicitur & Abellina, & eſt nomen regiunculæ. In Syro lectum אבילבא. Apud Stephanum Ἀβίλη, πόλις ἐπὶ τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ: & mox ἔϛι δὲ καὶ ἄλλη πόλις Φοινίκης Ἄβιλα: unde Ἀβιληνὸς & Ἀβιληνή. *Abila, Abilenus, ut Gebala, Gebalenus.* Abila, quæ Lyſaniæ cognominatur, cavæ Syriæ urbs eſt Ptolemæo, Polybio, Plinio. Abile Ioſepho quoque urbs, eſt ad Iordanem Orig. lib. 4. cap. 7. & lib. 5. cap. 1. Pereæ regionis

Cap.

Cap. Iud. lib. 2. cap. 11. 8. Quærendum an ſit Abel, cujus frequens mentio in ſacris, quam interpretes etiam, Abelam appellant. De hac Euſebius in libro locorum, *uſque in præſentem diem in ſeptimo lapide Philadelphiæ villa Abela cernitur, vinetis conſita. Alia quoque eſt civitas nomine Abela, vini fertilis, in duodecimo a Gadaris miliario, contra orientalem plagam. Nec non & tertia in Phœnice Abela, inter Damaſcum & Paneadem.* In collectaneis nom. propriorum, *Abela nomen urbis, quæ & Abel vocatur.* Ebraice אבל. & אבלה. Vide 1. Sam. 6. 18. & 2. Sam. 20. 10. In libro nominum, *Abilene, lugentes.* Hîc locum habet. *Abel, luctus* .i. πένθος.

Aceldema.

Aceldema an Aceldama ſcribas parum refert. Sed haceldema quis dubitat ſcribendum eſſe, quum ſit H, Heth, hoc eſt adſpiratio duplex in capite. Melior ergo ſcriptura Latina, quam Græca. Nam Græci ſcribunt ἀκελδαμά, quod tamen aſpirandum eſſe putarem. Licet etiam ſcribere hacaldema. Nam Syriace חקל ager. Id factum ex Ebræo חלק per metatheſin. Forte Ieroſolymitani dicebant חקל ut בעל dicimus & טעם guſtus. Aut a cum e permutata, & in Malchiſedec & Melchiſedec. Quod crebrum in antiquitate. Sic Beth ſonabant pro Bath, quod ſcribunt בת filia. Sic Geth pro Gath nomen urbis. Eſſet ergo חקל דמא. id ſonat ager ſanguinis. Supereſt difficultas. Nam Act. 1. 19. τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν. ideſt propria ipſorum dialecto (poteſt verti lingua. Nam dialectus aliquando latiore ſign. pro lingua ſumitur, ut Actor. 2. 8. vide Theodo. & Eraſmum ad hunc ultimum locum.) Hoc apoſtolus Petrus dicit, qui Galilæus erat. Habebant autem Galilæi dialectum diverſam a Ieroſolymitana. Res certa ex hiſtoria paſſio-

nis Dominicæ. Nam ſermo Petrum prodidit. Sunt qui putant hæc ab euangeliſta Luca inſerta eſſe. Poteſt etiam accipi dictum eſſe a Petro, ut alibi Chriſtus ait, *in lege veſtra*. Vt ut ſit, pronomen non poteſt referri alio quam ad incolas Ieroſolymæ. Qui ſane omnes conſcii non erant hujus ſceleris. Quocirca parum ſolidum eſt, quod ad hunc locum vir doctus annotavit. Vide nunc, ſi otium eſt, commentarium meum priorem, cap. 25.

Adam.

Rom. 5. 14. *in ſimilitudinem prævaricationis Adæ.* Adam, Adæ; ut Mariam, Mariæ, tanquam a recto Ada, qui tamen non eſt in uſu. Adam, Ada, ut Mariam, Maria: in quo abjecta ultima nominis barbari. Aut Adam, Adas, ut Aretham, Arethas. Solent enim Græci hoc modo barbara vocabula depravare. Adas, Adæ; ut Thomas, Thomæ. Sed Adas nuſquam invenitur. Ergo Adam, Adæ: ut Abraham, Abrahæ. Nam ἀσδρούβας factum ex Aſdrubal. Sic ἀννίβας, quod ſcribunt חנבעל Hannibal. Eſt autem Bal contractum ex Baal. Sic Bel dicebãt pro Beel, quod poſtremum in Ieſaia בל legitur. Ex Bal factum putatur balſamum quaſi בל שמים, i. dominus aromatum. Nam excellit in ſuo genere. Dictus Adam ab Adama, ut homo ab humo. Quam notationem temere nimis ridet Quintilianus. אדמה terra, humus. Nam ex ea formatus fuit. Appellatio a colore, qui rufus in iis locis. Adom enim certe rufum denotat.

Adrumetina.

Acto. 27. 2. πλοίῳ ἀδραμυττηνῷ navigio Adramytteno. Ἀδραμύττειον, teſte Stephano, urbs eſt Myſiæ, κατὰ Καϊκόν, qui fluvius eſt ejus regionis. In vulgata noſtra, *navem*

Adrume-

Adrumetinam. Eſt autem Adrumetum Africæ opidum, quod Hiero. Hadrumetus dicitur. Verba ejus ſunt in libro nominum, *Hadrumetus civitas in Bazatio* (alias Byzatio) *regione Africa.* Recte autem initio aſpirationem adjecit. Vox enim eſt mere Punica. חדרמות. Ebręi dicerent חצר מות, quod Latine ſonat ut ſi dicas, *Ditis aut mortis atrium.* Solinus, *Hadramyto & Karthagini autor eſt a Tyro populus.* מות etiam Pluto. Philo Byblius καὶ μετ' οὐ πολὺ ἕτερον αὐτοῦ παῖδα ἀπὸ Ῥέας ὀνομαζόμενον Μοὺθ ἀποθανόντα ἀφιεροῖ. θάνατον δὲ τοῦτον καὶ Πλούτωνα Φοίνικες ὀνομάζουσιν. Ergo Hadramyto, atrium Plutonis, ob peſtilentem aerem illius oræ. Quomodo Plautus, *Acheruntis oſtium eſt in agro noſtro.* Opidum hoc Ptolemęo dicitur Ἀδρύμητος, Straboni, ἀδρύμη, Stephano ἀδρύμης, Thucydidi, ἀτράμυττος, Pauſaniæ Ἀδραμύττιος, Plinio, *Adrumetum.*

Addi.

Luc. 3.28. *Qui fuit Addi.* Græcus habet τοῦ Addi. Syrus בר אדי filij Addi. Sic dico, ſcribit אדי cum Aleph in principio. Alioqui poſſet aliquis ſuſpicari ſcribendum עדי, vel certe עדו, ut ſit error in Vau & Ioth, quod nunc legunt עדו. Nihil temere ſtatuendum.

Abraham.

Hoc nomen male quidam initio aſpirant, ſcribentes Habraam, & Gręce ἁβραὰμ, cum ſcribi debeat ἀβραὰμ & Latine Abraham, ſpiritu leni, cui reſpondet Aleph Ebręorum, quoad vim ac poteſtatem ejus. Sic dico, ſcribi debet Latine Abraham cum aſpiratione in ultima. Nam Abraam a Græcis dimanavit, qui voces in medio non aſpirant. Nos tali neceſſitate non conſtringimur. In nominibus Ebraicis Ebraica conſuetudo ſequenda eſt. Declinatur Abraham, Abrahæ; ut Adam, Adæ. Sane apud interpretem noſtrum *filius Abraha.* Luc. 19.9. &

filia Abrahæ. 13. 16. & *Semen Abrahæ* Ioh. 8. 33: & *filij Abrahæ*, ibid. verſ. 37. item Galat. 3. 7. Hi a Græcis etiam Ἀβραμιαῖοι vocantur. Suidas, Ἀβραμιαῖος, ὁ ἀπόγονος Ἀβραάμ oriundus Abrahamo. Exponitur etiam ab eodem γιγαντιαῖος giganteus, aut magnus καὶ ἱεροπρεπὴς ſacer, divinus: vel potius, ſanctitatem decens, ſanctitati conveniens. Heſychius quoque Ἀβραμιαῖος, interpretatur, εἶδος ἔχων Ἀβραὰμ γιγαντιαῖος. Filij Abrahæ duplices: alij ſecundum carnem, videlicet Iſraelitæ qui abs eo genus ducunt: alij ſecundum fidem, quo ſenſu omnes fideles filij ejus dicuntur. Nec injuria. nam qui Deo credit, ut olim Abraham fecit quod ei ad juſtitiam imputatum fuit revera eſt filius Abrahæ. Vide Matth. 3. 9. Luc. 3. 8. & 19. 9. Ioh. 8. 33. 37. 39. Act. 13. 26. Rom. 4. 11. 16. 17. & 9. 7. Galat. 3. 7. & 29. Quin ipſe quoque Abraham vocatur pater fidelium. Legimus & *Pater Abraham* Luc. 16. 24. & 3. 2. De quo peculiariter gloriabantur Iudæi, dicentes, *Patrem habemus Abrahamum.* Quanquam aliarum quoque gentium pater fuerit, ut Iſmaelitarum, Idumæorum &c. De hoc multa Suidas in Ἀβραάμ, ad quem te adire cupio. Ratio nominis alibi explicata fuit. Non libet eadem repetere.

Ælamitæ.

Vide Elamitæ. Nam ita hoc nomen ſcribi debet. Siquidem in Ebræo עילם ſine ulla diphthongo. Nam etiam Græci Ἐλὰμ habent.

Ænon.

Iohan 3. 23. ἐν Αἰνὼν, quod in Latinis, *Ænon*, cum ſcribendum potius videatur Aïnon. Sic perperam legimus in eadem editione Michæas pro Michaias, quod Græce eſt μιχαίας & Ebraice מיכיה. Syrus habet עינון, alias עין יון

quod

quod legunt in Iaun, licet etiam ſcribere Enon. i. עיבן ut *αἰνὼν* עיבן. Sic Chaldæi dicunt ביתא. Sic ביתא & ביתא. Baitha Betha
Conſule Grammaticam noſtram עיבן, *Αἰνὼν*, ut עילם Αἰλάμ. Vnde Aclam, quod rectius Ailam ſcriberetur. Nomen hoc reperitur Ezec. 47. 17. עיבן, ubi LXX. *Αἰνάν*, & Hiero. Enon. Sic עין גדי *Αἰν γαδδί*: עין רגל *Αἰν-ῥωγήλ*: אילון Elon, *αἰλὼν* .i. Ailon. De Ainon Hieronymus in libro locorum, vel magis Euſebius Pamphili, *Aenon juxta Salim, ubi baptizabat Iohannes, ſicut in Euangelio ſecundum Iohannem ſcriptum eſt, cap. 3. & oſtenditur uſque nunc locus in octavo lapide Scytopoleos, ad meridiem, juxta Salim & Iordanem.* In libro nom. *Aenon, oculus aut fons eorum,* עין oculus, חון eorum, pro quo Syri & Ieroſolymitani dicunt ון, ut לון pro לחון.

Agabus.

Actor. 11. 28. *ἀναστὰς δὲ εἷς ἐξ αὐτῶν ὀνόματι Ἄγαβος.* In Hiero. eſt Agabus & apud Syrum אגבוס. Conjicio ſcribendum Hagabus, ut ſit nomen Ebræum חגב obvium 1. Eſræ 2. 46. חגב Agab, ut חגי Aggæus. Inde *Ἄγαβος* Græca declinatione. In libro nominum, *Agabus, nuncius tribulationis, ſed & hoc violentum.* Verior interpretatio, *Agabus, locuſta.* Quæ valde firmant conjecturam meam. Nam חגב inter genera locuſtarum Levit. 11. & Num. 13. Reperio etiam, *Agabus, feſtivitas patris.* חג feſtivitas, אב pater. Nihil ineptius. Nam ita ſcribendum eſſet חגאב. In collectaneis nominum, quæ Plantinus excudit, *Hagab ſive Hagaba, nomen viri.* Sane capiendum. Nam חגב alius a חגבה. Vtriuſque mentio 1. Ezræ 2. Vnius memoria uſurpatur in verſu quem ſupra citavi: alterius meminit verſus qui proxime antecedit, hoc eſt quadrageſimus quintus. Plura de hoc nomine alias.

Agar.

Hagar cum adſpiratione. Nam Ebraice הגר. Græci tamen, adſpirationem rejecerunt: unde Gal. 4. 24. ἥτις ἐστὶν Αγὰρ, quæ eſt Agar. Admonent Græcorum ſcholia montem Sina, Arabum lingua Agar appellari. Notavit etiam Theophylactus, teſte Eraſmo, eundem eſſe montem diverſis nominibus. De quo ego valde dubito. Hinc origo nominis Hagareni, qui Pſal. 83. 7. הגרים vocantur, videlicet a ſingulari הגרי, quod ab הגר formatum, ancilla Abrahami, quam R. Salomo nuncupat שפחת מלוג .i. ancillam mundi muliebris. Priſci Arabes vocant Hagarenos, אלמהגרין Elmahgerin: unde μαγαρίζειν apud Cedrenum, & μαγαρισμὸς eſt μαομετίζειν & μαομετισμὸς. Multa genera Arabum, ſed præcipui ſunt Hagareni & Saraceni, qui & Iſmaelitæ.

Amos.

Luc. 3. 25. τοῦ Αμὼς, qui fuit Amos. In vulgatis codicibus, medius eſt inter Mathathiam & Naum, qui Ebræis Nahum; ut neſcias ſitne אמוץ ſcribendum Ebraice, quo nomine vocatus quondam fuit pater Ieſaiæ, an vero עמוס, quod eſt nomen prophetæ inter duodecim minores. Scire licet in editione Syra legi עמוץ, prima Ain & ultima Sade. In libro perveteri habetur τοῦ Ιωσία, τοῦ Αμὼς, τοῦ Μανασσῆ, ubi perſpicue Amos pro Amon ponitur, qui Ebræis אמון pater Ioſiæ & filius Manaſſe 2. Reg. 21. Amon, Amos, ut קרן κέρας, ברכם κροκὸς, ultima nominis barbari, ut fit, in S. converſa. Philo Iudæus Amos medium collocat inter Siloa & Sirach; cujus ultimi mentio in hiſtoria Ebraica.

Annas.

Αννὰς, ultima σ & duplici νν, conſuetudo Græca. Hannan, ultima N, & cum aſpiratione, Syra; Hanan, unica

unica N, Ebræa, ſi modo Annas eſt חנן: unde ſequetur, ſcribendum eſſe Hannas cum adſpiratione. Cui firmando eſt Hiero. in libro nominum. Nam interpretatur *Annas donans* .i. חונן. Ex quo compoſitum Elhanan, אלחנן, quod idem exponit Latine *Adeodatus*. Hannan, Hannas, ut Aunan, Aunas. Sic Amon, Amos. Amant enim Græci ultimam nominis barbari in σ mutare. Hujus mentio Luc. 3. 2. Iohan. 18. 13. Sed & Act. 4. 6.

Anna.

Ana eſt in libris Luc. 2. 36. hoc eſt Anna: ſed Hanna reſcribendum eſſe cum aſpiratione dubitare non debemus, nos præſertim qui ſcimus in ſcriptura Ebraica eſſe חנה, & apud Syrum interpretem חנא per Heth in principio. Nimis temere in multis Græci rejecerunt aſpirationem, quos ſequi non debemus. Nam in nominibus Ebraicis conſuetudo Ebraica valere debet, ut in Græcis Græca, & in Latinis Latina. Ita mihi videtur. Nomen חנה Hanna obvium 1. Sam. 1. 11. & deinceps. Sic enim ibi recte nominatur uxor Elcanę, mater Samuelis. Idem legitur in hiſtoria Ebraica. Sane mater ſeptem illorum fratrum, quos Machabæos appellant, quorum martyrium peculiari libro deſcripſit Ioſephus, vocatur חנה Hanna apud Gorionidem compoſitorem illius hiſtoriæ. Quod quia in vulgus ignoratum ideo annotandum duxi.

Aquila.

Aquila Iudæus natione Ponticus, cujus mentio Act. 18. 2. & alibi, vocatur ab interprete Syro אקולאס Aculas, vel certe אקילאס .i. Aquilas. Mirum autem cur ei libuerit uti terminatione Græca, cum in mundo ſit עקילס, quæ terminatio vocis Ebraicæ eſt. עקילה Aquila,

ut עקיבה Aquiba : & Aquila, Aquilas, ut Iuda, Iudas. Græce ἀκύλας. Sed quomodo ſi Iudęus erat, natione Ponticus dicitur? Certum eſt in Ponto multos olim Iudæos habitaſſe. Nam cum ad alios, tum etiam ad eos nominatim ſcribit apoſtolus Petrus. Sciendum vero in exemplari Græco eſſe Ποντικὸν τῷ γένει, & apud interpretem noſtrum, *Ponticum genere*. Cui explicando υἱὸς γένους μου: quod in LXX. ubi in fonte, בן עמי .i. filius populi mei. Sæpe ita reddunt vocabulum עם, ut ſuis locis obſervamus. Fuit alius hoc nomine interpres e Ponto ſimiliter oriundus, Iudæus proſelytus, quem nonnulli confundunt cum Oncelo paraphraſte Chaldęo, vel ſi mavis eum metaphraſtem appellare. Veltuyckus diſerte. *Qui putat Oncelos interpretem legis & Aquilam interpretem Hagiographorum diverſos eſſe, errat. Nam qui in Thalmud Oncelos proſelyta, in Geneſi magno & in Ialcutin vocatur Aquilas proſelytus.* Aliter Elias, cui ego nondum plane aſſentior. Sed & Angelus Caninius, Chaldæa, inquit *uſi ſunt Eſdras, Oncelos & Ionathan: Syriaca, Aquilas proſelytus, Ioſeph Cæcus, aliique Hagiographorum paraphraſtæ.*

Arabes.

Act. 2. 11. *Cretes & Arabes* .i. ערבים. Syriace ערביא & ערבאי. Galat. 4. 25. *Sina mons eſt in Arabia*, בערב. Dicti Arabes, ut quidam opinantur, παρὰ τὸ ערב ἑσπέρα: unde & Erebus. Ergo Arabes quaſi ἑσπέριοι, qui & ab eadem re ἔρεμβοι. Sane origo nominis eadem. R. Salomo appellatos putat ab eo quod in ſolitudine, quæ Araba Ebræis dicitur, plurimum habitarent. Verba ejus habentur ad locum Ieremiæ בערבי במדבר *Arabes*, inquit, *habitabant tabernacula, & perpetuo erant foris in ſolitudinibus ſive deſertis: propterea vocatur Arabs vel Arabus, quaſi habitans*

habitans in Araba, hoc eſt in ſolitudine vel deſerto. Hucuſque Rabbinus ille.

Aram.

Aram & Ram ſynonyma ſunt. Quod ſic probo. Ruth 4. 19. vocatur, רם qui Matth. 1. 3. & Luc. 3. 33. ἀράμ Aram, filius Heſron & pater Amminadab. Contra Aram filius Camuel, Iob. 32. 2. Ram dicitur. Scribi autem debet Aram cum M in fine. Syrus quoque habet ארם.

Armageddon.

Αρμαγεδὼν, unica δ Arethas, libri a Plantino cuſi: Αρμαγεδδὼν, duplici δδ, ceteri quos conſului: Armagedo, abſque N, liber nom. Ebraicorum. De hoc variæ ſunt conjecturæ. Quidam compoſitum eſſe putant ex nomine הר montem ſignificante, & Mageddo id eſt מגרד, ut locus ille deſignetur, cujus ſit mentio 2. Paralip. 35. 22. qui non procul aberat Gaza in ipſis Ægypti clauſtris, ut apparet ex 1. Reg. 9. 15. Neque huic ſententiæ obſtat quod illo loco pro הר ſcribitur בקעה .i. convallis ſive planities inter montes ſita, quum ubi convallis eſt, etiam montes eſſe oporteat. Alij conjiciunt voces tranſpoſitas eſſe legendumq; Geddonarma, quod interpretantur exciſio excelſa .i. גדעון παρὰ τὸ גדע excido. Sed excelſa .i. רמה Rama, non חרמה Arma. Sunt qui pro הרמה ſive ארמא reponunt ערמה. Id ſig. aſtutiam ſive calliditatem. Quid ſi legamus ארגמגדו, ut ſit compoſitio nominis ex ארץ terra & Mageddo, littera Ain, ut ſit, e medio rejecta. Quod inſolens non eſt in his libris. Sciendum vero Horma, id eſt חרמה, quod Græci olim legerunt, ἑρμα, locum eſſe prope Hor montem ubi Iſraelitę deleverunt Chananços.

Terra Mageddo idemque cum illo: Campus Mageddo, Nã בקעה etiam campus.

nanços. Vide Num. 21. 3. Puto rectum eſſe, Armageddon .i. חרמא גדחון excidium ſive internecio exercitus eorum. Locus ab eventu ſic appellatus.

Aſa.

Matth. 1. 7. καὶ Ἀβιὰ ἐγέννησε τὸν Ἀσά. Syriace לאסא. Sic etiam ſcribitur hoc nomen 1. Reg. 15. 9. Male igitur Hieronymus in libro nominum, *Aſa, tollens vel factura*. Nam tollo נשא. prima Nun, & facio עשה prima Ain.

Abia.

Ἀβιά. Ebraice אביה 1. Reg. 14. 1. Qui & אבים Abiam verſ. 31. & Ἀβιοὺ in edit. Rom. & Abiu in hiſtoria Severi.

Alphæus.

Matth. 10. 3. Ἰάκωβος ὁ τοῦ Ἀλφαίου. Syrus habet בר חלפי filius Halphęi. Id ſonat menſarium ſive numularium aut collybiſtam, qui Græce κολλυβίςης, a magiſtris autem חלפן dicitur, παρὰ τὸ חלף commuto, καταλλάττω, permuto. Ergo חלפן καταλλάκτης. Quæ ſcriptura, vera modo ſit, plane deſtruit interpretationem Angeli Caninij de locis N. T. *Alphæus, doctus aut doctor*: & Hieronymi, *Alphæus, fugitivus, ſed melius, milleſimus vel doctus, ſive ſuper os, ab ore non ab oſſe*. Super os id eſt על פה. Locus habetur in libro nom.

Ave.

Matth. 26. 49. apud interpretes, *Ave Rabbi*. Nam Latinum eſt factum ex Ebræo חוה: unde quidam ſcribunt Have, pro quo in nonnullis libris legitur Habe, Vau Ebræorum in B verſa, ut in Δαβίδ, Ἰαβὶ & ſimilibus. Græci habent χαῖρε ῥαββί, ſalve Rabbi. Idem Have ſignificat apud Ebræos. Nam vivere dicunt pro ſalvere, ut, *Vivat rex*, quod idem cum illo ſit ſalvus. Pœni

dicunt

dicunt Havo, pro quo corrupte legitur apud Plautum Hano: ubi & Handoni .i. Have Domine, ut ſit Doni decurtatum ex Adoni, & חו pro חוה, ut גל pro גלה revela. חו דוני χαῖρε κύριε. Locus eſt in Pœnulo.

P. Havo. M. ſalutat. Item.

A. Saluta hunc rurſum Pœnice verbis meis

MI. Handoni.

Plura in Cadmo noſtro.

Azotus.

Azotus dicta, non ab Aza uxore conditoris, ut quidam opinantur: ſed ex Ebræo Aſdod, pro quo in libro nominum legitur Eſdod. Primum Daleth in Thau mutavit, quod Chaldęis familiare: deinde litteræ SD verſæ ſunt in Z: contra factum in Eſdras, quod Ebræi ſcribunt Ezras, per Zain. De hac urbe Herodotus. αὕτη δέ ἡ Ἄζωτος ἁπασέων πολίων ἐπὶ πλεῖστον χρόνον πολιορκεομένη ἀντέσχε τῶν ἡμεῖς ἴδμεν. Nam obſeſſa legitur a Pſammiticho rege Ægypti annos undetriginta continuos. Poſterior ætas eam Palmin appellavit, ait Benjamin in Itinerario, pag. 49. Azoti olim Venus Palæſtina, hoc eſt, quarta Venus ſive Aſtareta ſingulariter colebatur. Hiero. de locis Actorum, *Azotus, oppidum inſigne Palæſtinæ, quod Ebraice dicitur Aſdod, & eſt una de quinque olim civitatibus Allophyllorum.*

Aminadab.

Ἀμιναδάβ, unica M, Græci & Latini: Amminadab, duplici M M, Ebræi, Chaldæi, Syri .i. עמינדב, ubi Mem per dages geminatur. Filius Ram ſive Aram, Matth. 1. 4. Ἀμιναδάβ pro Ἀβιναδάβ legitur 1. Sam. 7. 1. in editione Græca & apud Ioſephum nonnulliſque Latinis codicibus.

Amen.

Hiero. in lib: nom. *Amen, vere, ſive fideliter.* Vere .i. ἀληθῶς: fideliter .i. πεπιστωμένως. Hoc Aquila olim edidit: illud Symmachus vel Theodotio. Poteſt etiam fieri ut ambo ita verterint. Idem in comment. ſuper epiſtolam ad Galatas. *Amen LXX. interpretes, fiat: Aquila, Symmachus & Theodotio fideliter ſive vere interpretati ſunt.* Fiat .i. γένοιτο. Suidas, ἀμὴν, πεπιστωμένως, ἀληθῶς. Addit Phavorinus, ἢ ἀντὶ τοῦ γένοιτο. Iuſtinus in Apologia pro Chriſtianis, *Amen vox Ebraica lingua ſignificat idem quod fiat.* Primaſius Vticenſis quondam epiſcopus, *Amen LXX. tranſtulerunt γένοιτο, Aquila* πεπίσθωμαι (lego, πεπιστωμένως) *Nos vero vere ſive fideliter: quod etiam in Euangelio a ſervatore ſemper aſſumitur per Amen verba firmante.* Rurſum in Hiero. cap. 14. in epiſto. priorem ad Corinth. *Amen, amen .i. vere vere dico vobis.* Hæc interpretatio robur accepit ex euangelio. Sane quidem Luc. 12. 44. legitur ἀληθῶς λέγω ὑμῖν, cui æquipollet quod in aliis, ἀμὴν λέγω ὑμῖν. Thalmudici dicunt eſſe triplex Amen, יתומה pupillum, cum quis non intelligit quod reſpondet: חטופה ſurreptitium, cum dicit amen anteq̃ abſoluta ſit precatio: קטועה (alias קטופה) ſectile, cum ſecat in duas partes, nempe oſcitãter audiens & alias res agens. Hæc fere Caninius. Addit commentator ſuper Avoth fol. 65. p. 2. אמן צדק Amen juſtum & verum. Sunt qui enumerant Amen inter formulas jurandi. Origenes in 26. Matth. *Ieſus dixit de Iuda conſueto ſibi jurejurando, Amen dico vobis, unus ex vobis tradet me.* Hiero. in 6. ad Galatas, *Quomodo in veteri teſtamento quadam jurandi conſuetudine Deus ſua verba confirmat, dicens, Vivo ego dicit DOMINUS: ita Salvator noſter in euangelio per verbum Amen, vera eſſe quæ loquitur oſtendit.*

oſtendit. Idem in commenta. Ieſ. 25. *In veteri teſtamento Dei juramentum eſt. Vivo ego, dicit DOMINVS: in novo autem, Amen amen dico vobis.* Chryſoſtomus Hom. 10. in Marcum, *Amen dico vobis. Iurat Chriſtus, debemus Chriſto juranti credere. Quod enim in veteri teſtamento dicitur, Vivo ego, dicit DOMINVS: in novo dicitur, Amen, amen dico vobis .i. vere, vere.* Videtur etiam fuiſſe genus hymni, quod Amen dicebatur. Apocalyp. 19 4. *Et adoraverunt Deum inſidentem throno, dicentes, Amen, Halleluia.* Paullo aliter uſurpatur Apocalyp. 3. *τάδε λέγει ὁ ἀμήν.* Nam Chriſtum intelligit. Hiero in comment. Ezec. 16. *Qui jurat in terra, juret in Deo Amen .i. ἀληθινῷ.* Locus eſt Ieſ. 65. 17. In Cabbala Amen reſolvitur אני מלך נצרים, ego ſum rex Chriſtianorum. Quod etſi parum ſolidum ſit, tamen annotandum duxi, propter eos qui hujuſmodi nugis capiuntur. Auguſtinus tracta. 41. in Iohannem. *Quodammodo, ſi dici fas eſt, juratio ejus eſt, Amen, amen dico vobis. Amen quippe interpretatur verum: & tamen non eſt interpretatum, cum potuiſſet dici, verum dico vobis. Nec Græcus hoc interpres auſus eſt facere, nec Latinus: nec hoc verbum quod eſt Amen nec Græcum nec Latinum eſt; ſed Ebræum. Sic manſit, non eſt interpretatum, ut honorem haberet velamento ſecreti: non ut eſſet negatum, ſed ne vileſceret nudatum.* Idem contra Fauſtum Manichæum lib. 15. cap. 9. *Amen interpretatur verum, non ubicunque & quomodocumque, ſed myſtica religione.* Et de doctrina Chriſtiana lib. 2. *Ebræa verba non interpretata ſæpe invenias in libris, ſicut eſt Amen & Alleluia, & Raca & Oſanna, & ſiqua ſunt alia. Quorum partim propter ſanctiorem autoritatem, quamvis interpretari potuiſſent, ſervata eſt antiquitas, ſicut eſt Amen & Alleluia: partim vero in aliam linguam*

tranſferri non potuiſſe dicuntur, ſicut alia duo quæ poſuimus. Claudam verbis Hieronymi; *Quod Amen conſenſum ſignificet audientis, & ſit ſignaculum veritatis, ad Corinthios quoq; prima nos docet, in qua Paulus ait, Ceterum ſi benedixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen ſuper tua benedictione, quoniam quidem neſcit quid dicas? Ex quo oſtendit, non poſſe idiotam reſpondere verum eſſe quod dicitur, niſi intellexerit quod docetur*. Finiam, ſi prius hoc notavero. Pſ. 72. 20. אמן אמן. Camius interpretatur קיום קיום in quo ſignificatio rei firmæ ac ſtabilis. Sic ἀληθὴς uſurpatur in illo, *In ore duorum triumve verum erit*, .i. ratum, firmum, ſtabile. Adhibe Parallela mea, Ceterum pro Amen, in editione Syra legitur, Amin. Sic Cipha dicunt Syri, quod alij Cepha. Alias Ammin, E in I verſa. Quod inde manavit, quia olim, ut etiam patrum ævo, η Græcam vocalem ſono I efferebant, Ita, non Eta pronunciantes.

Alleluia. Vide Halleluia.

Baal.

Rom. 11. 4. οἵτινες οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ .i. imagini Baal. Nam εἰκόνι ſubintelligitur. Poteſt etiam ſubintelligi τῇ δυνάμει .i. Deo, aut τῇ δαμάλει juvencæ, buculæ, ut Tob. 1. 5. τῇ Βάαλ τῇ δαμάλει. Sic Hoſ. 2. 8. αὕτη δὲ ἀργυρᾶ καὶ χρυσᾶ ἐποίησε τῇ Βάαλ. Vnde notas meas in Tobiam. Hiero. in Hoſeam ſcribens, *Baalim maſculino genere plurale eſt: licet quidam male βάαλ & βααλὶμ legant genere fœminino*, corrumpendo loco fuit, videtur certe. Nam eſt ubi reperiatur τῷ βάαλ, contra codicum fidem. Conſimilem errorem erravit in τὰ χερουβὶμ, cum πνεύματα ſubintelligatur. Nec obſtat quod Cherubim & Seraphim apud Ebræos maſculine dicantur. De Baal diximus in priore commentario, cap. xi, quibus addo ex Hoſ. 2. 8. Hieronymo, *Baal, dæmon eſt.*

men eſt Sidoniorum, aut, ut quidam rectius exiſtimant, Babylonius; unde & Bel dicitur. Quod dextre intelligendum. Nam Babylonij non dicunt Baal, ſed Beel aut Bel: unde Belus. Idem ibidem, *Belum Sidonij ſæpe Baal dicunt: & interpretatur Baal habens: Baali, habens me. Vnde mulieres vocant maritos ſuos Baali .i. vir meus, ſcilicet habens me in conjugio.* Habens .i. ἔχων. Id olim legebatur in editione Aquilæ. Idem in comment. Ierem. 9. *Baal, idolum Sidoniorum eſt.* & 23. *idolum Babylonium & vicino nomine dicitur Bel.* Sanior ſententia erit, ſi dixerimus idolum Babylonium Bel, Sidoniorum autem Baal dici. Quanquam non ſoli Sidonij ita vocabant Deos ſuos, ſed omnes fere gentes Syriæ. Vnde nomen generale eſt Baal. Theodoretus Ierem. 32. *Baal nomen eſt idolorum generale. Nam etiam Tyrij eo utebantur. Sed & Pœni Tyriorum coloni.* Auguſtinus Quæſt. lib. 7. Quæſt. 16. *Baal Punici videntur dicere dominum; unde Baal ſamen, quaſi dominum cæli intelligantur dicere. Samen quippe apud eos cæli appellantur.* Scaliger in Fragmenta, *Eſt autem Baal commune multorum Deorum Tyriorum, Sidoniorum & Ammonitarum cognomen. Vnde multis Baalibus ſerviſſe dicuntur Ebræi. Siquidem omnis Deus apud illos vocabatur Baal, ſed cum attributo* בעל שמים *Dominus cæli dicebatur illis, qui Græce Ζεύς. Philo Bybliensis ex Sanchuniathone Berytio:* τοῦτον γὰρ θεὸν ἐνόμιζον μόνον οὐρανοῦ κύριον, ΒΕΕΛΣΑΜΕΝ καλοῦντες, ὅ ἐστι παρὰ Φοίνιξι Κύριος οὐρανοῦ, Ζεὺς δὲ παρ᾽ Ἕλλησι. Et aliquanto poſt, *Is Baal eſt quem Δία ὀλύμπιον vocat Dius. Nam* בעל שמים *eſt ad verbum Ζεὺς ὀλύμπιος, qui colebatur in inſula Tyri, ubi & ἀστὴρ αἰμοπετής. Vt autem Iuppiter* בעל שמים *κύριος οὐρανοῦ; ſic Iuno* בעלת שמים *κυρία οὐρανοῦ dicta. Vnde Philo Bybliensis* Βααλτίδα *vocat. Sed eam Διώνην interpretatur. Græcis οὐρανία*

Balaam.

2. Petr. 2. 15. *ſequuti viam Balaam, qui mercedem iniquitatis amavit* .i. ſe conduci paſſus eſt ut mala imprecaretur populo Dei. Textus habet τȣ̃ Βαλαὰμ τȣ̃ Βοσὸρ .i. filij Boſor. Locus ſuſpectus de vitio. Quod ſi eſt integer, tunc ſtatuendum patrem Balaami binominum fuiſſe. Nam Num. 22. 5. nominatur Βεὼρ. Sic etiam vocatur Mich. 6. 5. A Beor, non poteſt eſſe Boſor. Nam id Ebraice בצר enuntiatur. Beor autem eſt בעור, quod poteſt etiam ſcribi Bogor, ut פעור Phogor, Ain per γ expreſſa. Iud. 11. *& deceptione mercedis Balaam* .i. qua deceptus fuit Balaam. Apocalyp. 2. 14. *doctrinam Balaam, qui docebat Balac obijcere ſcandalum coram filijs Iſrael, ut ederent ex iis quæ ſimulachris immolantur & ſcortarentur.* Ebraice בלעם. Bilam, Balaam, ut Miriam, Mariam: item ut Bilhan, Balahan, Robam, Roboam, quod ſcribunt רבעם. Propemodum exciderat. In memorato loco Petri vulgata noſtra habet B*alaam ex Boſor:* quod æque ſuſpectum. Nam oriundus fuit non eſt Boſor, ſed ex Phethora urbe Meſopotamiæ Deut. 23. 4. Vnde ait, *de Syria adduxit me Balac.* Si Syrus erat natione, non ergo Madianita, ut quidam volunt. Nam Madian Arabiæ deputabatur. De hoc Eucherius in Geneſin ſcribens, *Secundus natus eſt de Melcha Buz, ex cujus genere fuit Balaam ille divinus, ut Ebræi tradunt, qui in libro Iob dicitur Eliu, primum vir ſanctus & propheta Dei, poſtea per inobedientiam & deſiderium munerum, dum Iſrael maledicere cupit, divino vocabulo privatur.* Deſcripſit verba Hieronymi: imo corrupit. Nam in Hiero. *Divini vocabulo nuncupatur.* Locus eſt in Quæſtionibus ſive Traditionibus Ebraicis. Sane divinus vocatur .i. קוסם Ioſue 13. 22. In Sanhedrin, capite Helec, *dicit R. Iochanan,*

Balaam

Balaam initio fuit prophetes, poſtea divinus. fol. 106. pag. 1. In Aggadath Helec nuncupatur בלעם חגירא Balaam claudus. Ibidem notatum eſt a Phinees latrone occiſum fuiſſe anno 33. ætatis ſuæ. Commentator libri Avoth, *In Balaam fuit oculus malus, ſpiritus ſuperbus & anima lata.*

Barabbas.

Barabbas, unica R & duplici B B Matth. 27. 16. τὸν λεγόμενον Βαραββᾶν. Id ſonat, *filius patris mei.* Nam אבא ſive אַבָּא pater meus. Sic אמא mater mea. רבונא dominus meus. In nominibus de Iohanne exponitur, *filius patris* Cave damnes. Nam אבא etiam pater .i. ὁ πατὴρ, cum articulo. Sic אמא ἡ μητὴρ, רבונא ὁ δεσπότης ἤτοι κύριος. Nihil certius. In nominibns de Mathæo, *Barrabam, filius magiſtri eorum.* Hiero. in comment. pag. 67. *Iſte Barrabas in euangelio quod ſcribitur juxta Ebræos filius magiſtri eorum interpretatur.* In hac ſcriptura eſt duplex R R & geminum B B: & eſt compoſitio nominis ex בר filius & רבא magiſter aut princeps. Reperio etiam Barrabam, unica B. Sed in editione Syra בראבא juxta priorem ſcripturam. Male autem interpretantur, *filium magiſtri eorum.* Nam eſt obliquus a recto βαραββᾶς. Quod ſic dictum Græca declinatione pro Barabba, ut Iudas dicebant pro Iuda, & Thomas pro Thoma. Si tamen rectus eſt Barabban, tum ſcribi deberet בר רבן. Id valet, filius magiſtri noſtri, ut עבדין dicimus pro עבדנא ſervus noſter. Hoc Syriace. Nam in lingua Ebræa רבן valet magiſter earum, & רבם cum Mem in fine (Latini codices habent Barabbam) magiſter eorum. Inventur etiam Rabban pro magiſtro, quod eſt nomen honoris diverſum nonnihil a Rab, unde Rabba. Sic Maran ſonat dominus noſter

& dominus ſimpliciter. Sane Maranatha ab his exponitur *Dominus noſter venit*, ab illis, *Dominus venit*. Sed hoc poſtremum etiam apoſtatam denotat, unde Marrani nomen.

Bariesus.

De hoc nomine diximus in priore commentario, ad lit. F. Addo nunc nihil referre utrum Barieſu ſcribas, an Barieſus .i. βαριησοῦς, quod in vulgatis Act. 13. 6. Vtrumque ſignificat, *filius Ieſu* .i. ישוע, cui nomini Græci, ut ipſorum mos eſt ſigma addunt, ut cum Ἰούδας dicunt pro Iuda. Hiero. nos admonet de alia lectione. Nam in libro nominum ſcribit Barieu, *quod nonnulli*, inquit, *Barieſu corrupte legunt*. Poteſt ita eſſe: tamen in libris quos vidi βαριησοῦς, a qua ſcriptura recedere non auſim. Barieu Græce βαριηοῦ: quod Latine ſonat filius Iehu .i. יהוא. Non temere ſpernendum. Syrum בר שומא valet ut ſi dicas, *filius maculæ*. Nam שומא nota, macula, Gen. 30. 35. in Ionatha. Magiſtri dicunt שומה cum He in fine. Sunt qui legant Soma. *Filius nominis* qui vertunt, ſcire debent שום cum nomen ſignificat, in emphaſi mutare Kibbuts in ſcheva. Dicimus enim certe שמא, non שומא, nempe ex abſoluto שם, qui etiam Chaldæus in uſu. *Filius cæcus* .i. סמיא per Samech. תום etiam allium denotat. Mirum autem quid viderit interpres ille cum ita verteret. In libro nominum, *Barieu maleficium ſive in malo. In malo* .i. ברע. Autor Collectaneorum, quæ Plantinus excudit, *maleficus vel magus ſive in nequitia*. Quis non rideat hæc legens, imo quis non pelvim poſcat? Talibus ineptiis ſcatent interpretationes illæ, & tamen ſunt qui eas admirantur. Sic eſt profecto, indocti omnia admirantur. Proprium docti eſt nihil admirari, quod non ſit admiratione dignum.

Barjona.

Matth. 16. 17. Σίμων Βὰρ-Ἰωνᾶ. Simon Barjona i. filius Ionæ. Nam Bar filius. Tam Ebræum eſt quam Syrum. In nominibus de Matthæo. *Barjona filius Columbæ: Syrum eſt pariter & Ebræum. Bar quippe lingua Syra filius, & Iona columba, utrâque ſermone dicitur.* Quin יונא columbam ſignificet, non eſt ullum omnino dubium: ſed tum appellativum eſt. Rectius ergo alij, *Bar Iona, filius Iona.* Epiphanius Ancorato, Βαρ-Ἰωνᾶ, τουτέστιν υἱὸς Ἰωνᾶ, ὁ γὰρ πατὴρ αὐτοῦ Ἰωνᾶς ἐκαλεῖτο. Τὸ γὰρ Βὰρ ἑρμηνεύεται ἀπὸ τῆς Ἑβραϊκῆς διαλέκτου υἱός. Rei firmandæ quod in nonnullis codicibus Βαρ-Ἰωαννᾶ: alias Ἰωάννου & Latine, *Iohannis.* Quæ varietas non hic modo invenitur, ſed etiam Ioh. 1. 43. & 21. 17. Syrus ubique habet בר יונא, vel certe בר יוחנא i. filius ipſius Iona. Videtur eſſe ſyncope Ἰωνᾶ pro Ἰωαννᾶ. Quod ſi verum, tunc utique non columbam denotat, ſed aliud. Apud Nonnum υἱὸς Ἰωάννου. Quod ita roborat ſententiam meam, ut nihil magis. Vide priorem comment. cap. 5. ad lit. C. יונא pro יוחנא, ut שירא pro שירותא munus. Similis contractio in Iacob, quod plene ſcriberetur Iaacob i. יעקב. Sic כיסא dicunt pro כיסתא marſupium. Mos enim linguæ Syræ elidere hoc modo Heth & Ain litteras. Qua de re diximus alibi. Adi ſis ad Obſer. meas.

Barnabas.

Act. 4. 36. Ἰωσῆς δὲ ὁ ἐπικληθεὶς Βαρνάβας ὑπὸ τῶν ἀποστόλων, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, υἱὸς παρακλήσεως. Hic perſpicue Barnabas interpretatur, *filius conſolationis.* Fumus in oculis meis hæc interpretatio. Nam potius ſonat, ut Hieron. interpretatur, *filius prophetæ.* נביא enim certè propheta. Quid igitur dicemus? An credendum eſſe ex antiquâ [illegible]

 quis

Quis auſit hoc affirmare? Maxime cum in codice Syro ſit ברנבא. Iam vero ibidem exponitur ברא דבויאא quod idem cum illo, υἱὸς παρακλήσεως. Id antiquiore lingua diceretur ברנחמא & per ſyncopen בר נמא βαρναμᾶ: unde forte Barnabas. Nam a נבא derivare alienum eſt, ne dicam coactum. NAMA ita contrahitur; ut alibi Nas pro Nahas .i. ſerpens. Nam eſſet Nehama, conſolatio, tam Syrum quam Ebræum, niſi quod Ebræi dicunt נחמה cum He in fine. Quod ſequitur Κύπριος τῷ γένει, & vulgo redditur *Cyprius genere*, poſſet etiam reddi Cyprius natione. Nam γένος aliquando gens, populus, natio. Sic Aquila dicitur Ποντικὸς τῷ γένει .i. natione Ponticus. Vide quæ notavimus ad illum locum. Quæ autem hîc ſcripſi, ea arbitraria eſſe volo, non certa. Nam ne mihi quidem ſatisfaciunt. Sum enim natura timidior. Quin religio mihi receptam lectionem mutare. Quanquam non ſum neſcius, B & M alternari, Barnabas Barnamas, ut Abana, Amana. Sic Berodach, Merodach. Adhibe Quæſt. meas. Nabba pro conſolatione non memini legere. Accedit quod in libris quos vidi ſcriptum ſit Barnabas, unica b, non duabus. Si cui hæc non ſapiunt, accedat ſane viro doctiſſimo, qui ſcribit prophetandi munus poſitum eſſe ἐν παρακλήσει .i. doctrinæ applicatione ad auditores, ſive conſolando ſive exhortando, quod utrumque nomine παρακλήσεως declaratur. Vide nunc, ſi placet, Eraſmum.

Barſabas.

Barſabas cognomentum Ioſephi Iuſti, qui Ioſes vocatur Acto. 1. 23. item Iudæ illius qui miſſus fuit Antiochiam cum Paulo & Barnaba Act. 15. 22. Syrus utrobique habet ברשבא. In libro nominum, *Barſaban, filium revertentem vel filium quietis, ex Syro & Ebræo ſermone*

ſermone nomen compoſitum. Is eſt obliquus caſus. Nam in Græco τὸν ἐπικαλούμενον Βαρσαβᾶν. שב rediit: item quievit. Poſſet etiam exponi, *filius captivitatis*. Nam שבה captivum abduxit. Bar non tam Syrum eſt quam Ebraicum. Nam legitur Pſal. 2. & Proverb. 30.

Bartimeus.

Marc. 10. 46. υἱὸς Τιμαίου Βαρτιμαῖος. Si vera hæc lectio, erit Bartimeus nomen proprium, cujus pater Timæus dictus ſit, ut ſi quis nomine Bartholomæus patrem habeat Tholemæum. Sunt qui putant illud υἱὸς Τιμαίου ex albo libri in contextum irrepſiſſe. Sed ex ordine non vane quis ſuſpicetur ab ipſo Luca adjectum eſſe, qui indicare voluerit nomen patris Bartimæi, ut moris eſt genti Ebræorum. Id eo probabilius mihi videtur, quod ſciam multa nomina propria cognominaque apud Syros eſſe, quorum formatio a Bar voce, quæ apud eam gentem filium ſonat. Qualia ſunt Barabbas, Barnabas, Barſabas &c. Hiero. in epiſt. ad Galatas inter ea numerat quorum nomina ſimul cum interpretatione leguntur, ut Abba pater, Aſer divitiæ & alia ejus generis. Idem in libro nominum pro Bartimæus legendum putat Barſemia. Id valet [illegible], filius cæcus aut cæci. Verba quibus hoc dicit habentur in nom. de Iohanne: *Barſemia, filius cæcus, quod & ipſum corrupte quidam Bartimeum legunt.* [illegible] edidit, *Timeum filius Timæi.* Barſemia [illegible] nunc legunt Barſamia. Qualis variatio in Melchiſedec & Melchiſedek.

Bartholomæus.

[illegible] Marc. 10. & alibi ſcribit [illegible] [illegible] linguas [illegible] [illegible] litteras ſed [illegible] judicio [illegible]

 Nam

Nam etiam Tholomæus nomen eſt Syrum Ebraicumque. Ebræi enim certe dicunt תלמי & Syri תולמי, unde Tholomæus, vel ſi mavis Tholemęus, & præpoſita littera, quę apud Arabes ſive Iſmaelitas redundare ſolet, Ptolemæus ſive Ptolomæus (nam utraque ſcriptura in uſu) quemadmodum etiam Ptolomais dicebant pro Tholomais, quod obvium in antiquis libris. Ceterum Græce eſt Βαρθολομαῖος. Matth. 10. 3. In libro interpretationum, *Bartholomæus, filius ſuſpendentis aquas*, υἱὸς κρεμάσαντος ὕδατα. Sic Heſychius. In Oecumenio eſt, υἱὸς κρεμῶντος ὕδατα. Addit Hieron. *Syrum eſt nomen, non Ebræum.* De Βαρ diximus antea. תלמי autem legitur Num. 13. 22. & Iud. 1. 10. item 2. Sam. 3. 3. ut dubitare jam nemo debeat, quin etiam Ebræum ſit. בר filius, תלה ſuſpendit, תולה ſuſpendens vel ſuſpendentis, מי aquas. Sed hoc coactum. Veritas interpretationis Βαρθολομαῖος, filius Tholomæi. Sunt qui ſcribunt Barptholomæus, contra omnium codicum fidem. Vide nunc ſodes priorem commentarium, cap. 5. ad lit. D.

Beelzebul.

Beelzebul dicebant contumelioſe pro Beelzebub aut Baalzebub: quorum hoc Deum Accaronitarum ſignificat a muſca ſic appellatum; illud autem cacodæmonem per contemptum ita dictum, quaſi Iovem ſtercorarium: [illegible] lingua Chaldæorum Iovem deſignat [illegible] זבל ſtercoravit, unde & זבול ſtercoratus vel ſtercorans. Ergo Βεελζεβούλ, Ζεὺς κόπριος ἢ κοπρικὸς, vel [illegible] κοπριώδης, ſtercoroſus. Sic [illegible] qui ſe Meſſiam eſſe dicebat Hadriano imperante, [illegible] Choſiba [illegible] Chochaba [illegible]

caretur

caretur & Barchocheba .i. filius ſtellæ. De quo R. Aquiba præceptor Aquilæ Pontici, exponebat locum illum, *Orietur ſtella ex Iacob* .i. Chocheba ſive Chochebas. Nam ita etiam nominabatur. De Baalzebub ſcribit Vives ad Auguſtinum, *Baalzebub, Iupiter muyias, qui & Apomyias in Olympia quem ſacravit Hercules, q. muſcarum abactorem, cum illis inter ſacrificandum inſiſtaretur*. Et Bodinus in Dæmonomania lib. 1. c. 3. *Solem gentes quædam Syriæ κατ' ἐξοχὴν Baal .i. dominum appellabant: unde proceſſit nomen Baalzebub, muſcarum dominus, eo quod nulla in templo illius muſcà degeret, quemadmodum in Venetiano Palatio nulla eſſe dicitur, & in Toletano unica. Hoc autem nec novum nec inauditum eſt. Cyrenæos enim legimus, cum Accaroni Deo muſcarum ſacrificaviſſent, & Græci Iovi, quem myiodem q. muſcarium nominabant, muſcas omnes una nebula evolaſſe, ut narrat Pauſanias in Arcadicis, & Plinius lib. 19. cap. 6. A magis quoque certis carminibus omnes angues e regione una abigi animadvertimus. Non eſt igitur mirum ſi omnes muſcæ a Satana horum magiſtro abiguntur*. Poſſes exponere Iuppiter Smintheus, aut βααλ σμινθεύς. Nam σμίνθος, μῦς, quæ & σμῦς. Heſychius, Σμίνθα, ὁ κατοικίδιος μῦς. Σμινθεύς, ὁ ἐν τῷ σμίνθῳ τιμώμενος: λέγεται δὲ καὶ Ἀπόλλων. Σμίνθος, μῦς, καὶ ὁ Ἀπόλλων δὲ σμινθεύς, διὰ τὸ ἐπὶ μυωπίας φασὶ βεβηκέναι. Pro βεελζεβοὺλ primus Hieronymus admonuit ſcribendum eſſe βεελζεβοὺβ, unde in libris Latinis Beelzebub. Sed ſciendum quædam nomina cum ævo mutaſſe, in queis forte & βελίαρ, & Σιλωάμ & ναφθαλείμ. Sane Græca exemplaria omnia quæ vidi βεελζεβοὺλ habent: quod Prudentius contraxit in Belzebul. Idem fecit Tertullianus adverſus Marcionem lib. 4. cap. 26. Quanquam in duobus manuſcriptis Belzebub. Videatur Pamelius ad illum locum.

Belial, Beliar, Belias.

Belial contracte dicitur pro Beliaal. Eſt enim in ſcriptura Ebraica בליעל. Quomodo & Iacob dicebant pro Iaacob .i. יעקב. De nominis etymo tres opiniones ſunt. Prima deducit a בלי non, & עלה aſcendit, ut ſignificet hominem qui nunquam ad frugem aſcendit. Secunda compoſitum eſſe dicit ex בל non, & יעל, unde הועיל profuit, utilis fuit: quaſi hominem ἀχρεῖον & inutilem dicas, qui videlicet nec ſibi nec aliis utilis eſt. Hominem nequam non male quis vocet. Tertia opinio eſt, ut ſit compoſitio vocabuli ex בלי non & עול jugum: quæ firmatur primum autoritate Deuterotarum: deinde ipſius Hiero. qui ſcribens in epiſtolam ad Epheſios, Belial interpretatur abſque jugo. Sic etiam vetus interpres exponit Iud. 19. Nec alienum quod in LXX. Deut. 13. בליעל ἄνομος. Quanquam 1. Reg. 1. 2. 10. & 25. iidem habeant λοιμικός. Metaphora ſumpta a bubus indomitis, quæ Feſto injuges boves, quod nunquam jugum ſubierint. Has Virgilius dixit *intacta cervice*, hoc verſu, *& intacta totidem cervice juvencas*. Macrobius lib. 3. cap. 5. appellat, *juvencos de grege intacto*, eodem ſenſu. Supereſt difficultas ex ſcriptura Græca βελίαρ: quam Hiero. corruptam eſſe cenſet, & poteſt ita eſſe. Nam etiam in Bibliis Regiis Gen. 11. φιχώρ legitur pro φιχὼλ, errore librariorum. Vide quæ ea de re ſcripſimus priore commentario, cap. 18. Quibus addo in verbis Hiero. *licet plurimi pro Belial corrupte in Apoſtolo Beliar legant*, retineri poſſe receptam ſcripturam *Belian*. Locus eſt 2. Corinth. 6. 15. Quem Theodoritus in epitoma divinorum dogmatum ita laudat, τίς δὲ συμφώνησις χριστῷ πρὸς Βελίαν; Eſt autem obliquus caſus a recto Βελίας, ut Golias pro Goliath dicebant.

bant. Amant enim Græci ultimam nominis barbari in σῖγμα mutare. Cujus conſuetudinis ſunt Αννίβας & Ἀσδρούβας. Adi ad Obſervationes meas. Aut abjecta fuit ultima, ut in Maria & Golia: quæ declinantur, Mariæ, Goliæ. Sic Tertullianus de corona militis, *quæ communio Chriſti & Beliæ*. Reperio & Beluir pro Beliar, niſi mendum ex βελίου, ut Αβδίυ, Ονίυ &c. Docti expendent. Ex his quæ diximus lux aliqua accedat Heſychio, in quo βελίαρ, δράκων. Nam innuit diabolum qui Apoſtolo Beliar, prophetis autem draco dicitur. Sane interpres Syrus hoc loco edidit, *Chriſto cum Satana*.

Benjamin.

Primum a matre Rachele Benoni .i. filius doloris mei: deinde a patre Iacobo, boni ominis cauſſa, vocatus eſt Benjamin .i. filius dexteræ: vel quod tam carus ei eſſet quam dextera: vel certe quia natus in terra Chanaan, quæ reſpectu Meſopotamiæ, ubi ceteri ejus filii editi, auſtralis eſt. Sic eſt profecto. Qui ſolem orientem reſpicit, ad manum dexteram habet auſtrum. Vnde auſter dextera vocatur. Hinc illud, *boream & dexteram tu creaſti* .i. auſtrum ſive meridiem. Procopius Gen. 31. *Benjamin ſonat filium virtutum. Sed Symmachus reddidit filium dextræ.* Virtutum .i. δυνάμεων. Notum ut ימין virtutem ſive potentiam denotet. Proprie tamen dextram ſignificat. Vnde melior interpretatio Symmachi: quæ habetur & in Gloſſario Philonis, & apud Hiero. in libro nominum. A Benjamin gentile eſt בן ימיני .i. Benjaminita.

Bernice.

Agrippæ junioris ſoror, quæ patrem habuit Agrippam Ariſtobuli filium vocatur Act. 25, 23. Βερνίκη & in hiſtoria Ebraica Gorionidis, cap. 64. Beronice .i.

ברניקי. Ei ὁμώνυμος fuit ſoror Ptolemæi. Iuvenalis lib. 1. Satyr. 6. *Bernices in digito factus pretioſior.* Commentator ejus vetus, *Beronice ſoror Ptolemæi.* Iuſtinus lib. 27. *Beronice; alias Berenice, ſoror Ptolemæi regis Ægypti.* Nam Græce eſt Βερονίκη. Latini autem E cum O permutarunt, ut in Πτολεμαῖος, quod ſcribunt Ptolomæus cum O in antepenultima. Sic pro Κέρκυρα dicunt Corcyra. In libro interpretationum, Bernice, *eleganter, vel electe commota, vel filius innocens ex Syro Ebræoque compoſitum.* בר electus: item filius. Syrum eſt. נקי innocens tam Syrum quam Ebræum. Falluntur autem qui putant nomen Syrum eſſe aut Ebraicum, cum Græcum ſit Φερονίκη. Id Macedones dicunt Βερονίκη. Mutant enim ex communi lingua φ aut π in β. Autor Plutarchus in Hellenicis. Sic βίκρος in ea dialecto valet πίκρος, & Βίλιππος eſt Φίλιππος, & βαλακρὸς in communi lingua dicitur φαλακρός. Quinetiam βατεῖν pronuntiant pro πατεῖν. Reperio & Veronica, quod Græce ſcriberetur Βερονίκα. Contra factum in *Veſpaſianus, Veteranus, Veſtiarium:* quæ ſcribunt Οὐεσπασιανός, Βετεράνος, Βεστιάριον. Vide Suidam.

Bethania.

Βηθανία non tam vicus aut villa, quam certus tractus montis Oliveti, in quo domus Lazari, quem ideo euangeliſta Bethanienſem dicit, ubi & vicus Mariæ ac Marthæ. Ioh. 11. 1. In libro interpretationum, Bethania, *domus afflictionis ejus* .i. עניה. Nam afflictio עני dicitur. Malim ego, *domus* ſive *locus afflicti.* .i. עניא qui Ebraice עני, quod vetuſta interpretatione pauperem denotat. בית autem eſt locus, unde בית־אל τόπος Θεοῦ. In priore commentario expoſui, *domus ovium.* Sed tum potius diceretur Anaja, id eſt עניא, ſi modo hic pluralis in uſu, de

quo

quo adhuc dubito. Nam a ען forma emphatica eſſet ענא. Id Ebræis eſt צאן & plurali caret. Quod adagium Thalmudicum attinet, עניא בתר עניא putarim legendum ענא Anaja ut dicat oves poſt oves. Sed nihil affirmo. Si in ulla re, in hac certe adhuc ἐπέχω. Quin eo labor ut credam mendum eſſe in poſteriore עניא, & pro eo reponendum עניותא, ut dicat, afflictum ſequitur afflictio. Vide Adagia mea Decu. 4. adag. 1.

Bethabara.

Ioh. 1. 28. ταῦτα ἐν Βηθαβαρᾶ ἐγένετο πέραν τοῦ Ἰορδάνου. Antiqui omnes libri ἐν Βηθανίᾳ. Sic etiam interpres vulgatus. Sed & Syrus quoque habet בית עברא. Epiphanius adverſus Hæreſes pag. 189. ταῦτα ἐν Βηθαμαρᾶ ἐγένετο (ἐν ἄλλοις δὲ ἀντιγράφοις, ἐν Βηθανίᾳ) πέραν τοῦ Ἰορδάνου. Sed ſi *in Bethania*, quomodo *trans Iordanem?* Nam Bethania cis Iordanem erat, quindecim fere ſtadiis a Ieroſolymis diſtans, ut habetur Ioh. 11. 18. Reſpondent, πέραν non ſemper ulteriorem ripam, ſed τὴν παραποταμίαν notare. Alij, in queis Chryſoſtomus, cenſent emendandum ἐν Βηθαβαρᾶ. Idem cenſet præter Theophylactum Sudas ſive Suidas. Priorem ſcripturam etiam Nonnus expreſſit. Poſterior ab iis eſſe putatur, qui Chryſoſtomum ſecuti locum exiſtimarunt cubare in vitio. Porro Abara ſignificationem habet tranſitus.
Nam עבר tranſeo. Maſius ita dictum putat locum illum Bethabaræ mentio
a tranſitu Iſraelitarum. Alius interpretatur *domus vadi* Iud. 7. 24.
i. מעבר: aut *trajectus*, quod ibi eſſent vada Iordanis; vel quod cymba trajiceretur eo in loco. Plura in veteri comment. cap. XII. ad quem te remitto. Vide etiam Quæſtiones meas. Bethamara, de quo ſupra, ſi non eſt mendum ex antiquo charactere, quale in φεναχηρεὶμ, referri debet ad ea nomina, quæ has litteras inter ſe permutant:

 mutant:

mutant: qualia ſunt, Abana, Amana: Abidan; Amidam: Berodach, Merodach, & alia pauca.

Betheſda.

Admonuit nos interpres Syrus de vera hujus nominis ſcriptura, quæ eſt Betheſda, quod ipſe ſcribit בית חסדא. Id Latine ſonat domus gratiæ. Nam חסדא in ea lingua eſt gratia, ut apud paraphraſtem Salomonis, דיצא דחסדא caprea gratiæ. Licet etiam exponere, *domus miſericordiæ*: quæ eſt vetus interpretatio vocabuli חסד. Nec male quis interpretetur, *domus benignitatis*, aut *pietatis*, cujuſmodi ſunt ὀρφανοτροφεῖα, & ea quæ πτωχοδοχεῖα, nuncupantur. Vulgaris autem ſcriptura, ut hoc obiter notem, profecta eſt à Græcis, qui voces in medio non aſpirant: unde & Beneſed, quia Græci ſcribunt Βενέσεδ, cum tamen in ſcriptura Ebraica ſit בן חסד, id eſt Ben Heſed 1. Reg. 4. 10. Vide nunc commentarium meum, quem anno 82. edidi, cap. XII. ad lit. B. Vide quoque Theodori poſtremam editionem Iohan. 5. 2.

Bethlehem Iudææ.

Matth. 5. 2. ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας & mox καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα. Syrus utrobique habet יהודה & Hiero. in priore loco, *Bethlehem Iudæ*, ut in poſteriore, *terra Iuda*. Additum autem Iudæ ſive Iudææ διακρίσεως ἕνεκα. Nam erat alia Bethlehem in tribu Zabulon, patria Abeſſan judicis, de qua Ioſ. 19. 15. Prior etiam Bethlehem Ephratha dicitur Mich. 5. 2. Hiero. ait fuiſſe parvum viculum; nempe ad reliquarum urbium comparationem. Sed Luc. 2. πόλις vocatur. Aberat ab Vrbe ſex M. paſſuum, Beda in libro de locis ſanctis: tribus paraſangis i. פרסאות, David Camius ad verſum ſextum Pſal. 132. ad meridianam plagam, Novatianus in libro de Trinitate,

tate, cap. 16. medio intervallo inter Ieroſolymam, & Thecoe patriam prophetæ Amos, Mercerus Amos. I. *Bethlehem Iudææ*, ſive quod idem, *Iuda* Iud. 19. 18. vocatur Ebraice בית־לחם יהודה, quod addi ſolet, ut dictum eſt, ad alterius differentiam, quæ in Galilæa inferiore in tribu Zabulon. Gentile eſt Beth-lehemita, & contractiore voce Bethlemita. Nam etiam Bethlem dicebant pro Bethlehem. Vide Obſervat. meas. Ebraice בית לחמי.

Rurſum de Betheſda.

Ad ea quæ de Betheſda ſupra ſcripſimus, addi velim. In libro locorum, *Betheſda piſcina in Ieruſalem, quæ vocabatur* προβατικὴ, *& a nobis interpretari poteſt pecualis. Hæc quinque quondam porticus habuit, oſtenduntúrque gemini lacus: quorum unus hybernis pluviis adimpleri ſolet: alter mirum in modum rubens, quaſi cruentis aquis, antiqui in ſe operis ſigna teſtatur. Nam hoſtias in eo lavari a ſacerdotibus ferunt: unde & nomen accepit.* Ecce aliud etymon, quod notavi propter eos qui locum illum appellatum exiſtimant ab aquæductu, cujus autor fuiſſe dicitur Ezecias 2. Reg. 20. 20. & cujus fit mentio Ezræ 8. 6. & Nehem. 3. 15. Theodori hæc ſententia eſt, qui etiam improbat Caninij ita ſcribentis, *Eſt autem Betheſda domus effuſionis, ab* אשד *verbo Syriaco, effudit, a ſanguine victimarum effuſo: Hinc Græce dicitur* προβατικὴ, *quaſi victimarum dicas.* Nam non ibi, inquit, mactabantur hoſtiæ, ſed apud altare.

Beth-ſaida.

Apud interpretem noſtrum perperam legitur Ioh. 5. 2. Beth-ſaida pro Betheſda. Nam Beth-ſaida, quod minus recte ſcribunt Beth-zaida, proxima erat ſtagno Gen-

 neſareth,

neſareth, cui Philippus tetrarcha dignitatem civitatis attribuit, ac Iuliam Ἰουλίαν appellavit. Autor Ioſephus Orig. Iud. lib. 18. cap. 3. Accidit huic nomini, quod aliis multis in vulgus notioribus, quæ ſæpe alia nomina minus nota loco pepulerunt, in eorumque locum, neſcio quo jure, ſucceſſerunt. Sic alibi Bathuel legitur pro Phathuel, & Iuda pro Iehu & Ephratha pro Sarphath. Quæ omnia culpam ſuſtinent manus aberrantis. Errorem autem perantiquum eſſe diſcimus ex Eucherio, in quo pag. 289. *Bethſaida, piſcina in Ieruſalem, in quam & ægri deferebantur, ideo & Probatica .i. pecualis appellatur, quod hoſtias in ea quondam ſacerdotes lavabant*. Quæ Euſebius de Betheſda ſcripſerat, ea corrupto nomine Bethſaidæ attribuit, nempe impoſuit ei vulgata ſcriptura. Interpretantur Bethſaida, *domus venantium:* Hilarius Pſal. 13. *domus venatorum*: item *domus frugum*, Hiero. in nom. de Matthæo. Venatores צירים dicuntur. ציר potius eſt ferina, cibatus ex venatione, hoc eſt θήρα: de qua voce Hiero. in Quæſt. *Porro θήραν venationem magis poteſt ſonare quam fruges, tametſi moris ſit Ægyptiorum. θήραν etiam far vocare quod nunc corrupte Atheram nuncupant*. Caninius, *Beth-ſaida eſt domus piſcationis, hoc eſt* בית צידא, *ob crebra ſtagna & lacus.*

Mat. 11.2. Syrus בית צידא & noſter Beth-ſaida, & in aliquot Græcis βηθζαϊδὰ: ſed in aliis βηθσαϊδάν. Id ſonat domus venantium צידין pro צידין per enallagen generum.

Beth-phage.

Sacerdotum viculus erat in monte Oliveti, Hieronymus in Matthæum: villula montis Oliveti, Euſebius; *Nomen loci* extra Ieruſalem, Nathan Iuſtus. Græce eſt βηθφαγή. Mat. 21. 1. Luc. 19. 29. Sic libri vulgati. Nam in antiquis βηθσφαγῆ. Nec aliter legit Iuſtinus in dialogo cum Tryphone habito. Forte σίγμα acceſſit ut in μῦς & σμῦς: aut ex dialecto Syrorum, qui טקבל dicunt a קבל caligo, & טארגר granum a גרגר & טגלגל rotundus ex גלגל.

Hoc

Hoc poſtremum extat Ezec. 1. Syrus habet בית מאנא. Id Tremellius interpretatur, *domus fontis* .i. πηγή. Nam in eo fons erat, ſi non fallit nos Origenes ita ſcribens, *Interpretatur autem Beth-phage domus maxillarum. Erat autem villa ſacerdotum, quorum maxilla propria pars erat ſacerdotum ex lege. In quo poſſumus dicere (maxime occaſionem arripientes de libro Iudicum) quod in his erat fons qui vocabatur fons maxillæ, de quo biberat Samſon, cum ſitiſſet. Aut forſitan fons ille myſterium erat patientiæ &c.* In libro ubi vocum Thalmudicarum ſenſu enarrantur ſcriptum בית מאגי cum Ioth in fine, ubi & illud, *Qui mactat hoſtiam laudis intra murum & extra murum non ſanctificat panem. Quid extra murum? R. Iochanan dicit extra murum Beth-phage. Res Lakis dicit extra murum Azara* .i. atrij. Vide ſequentia. Nam inde colligi poſſe videtur juxta murum Beth-phage mactatas aliquando fuiſſe victimas. Quod valde roborat ſcripturam antiquam Βηθσφαγῆ. In eodem Lexico *murus Beth phage* exponitur murus Ieruſalem. Forte quod Beth-phage erat prope murum illum. Mentio hujus loci apud Thalmudicos, in פסחים cap. 5. Quod incipit תמיד נשחט, & capite octavo quod incipit האשה בזמן שהיא, & alibi.

Boanerges.

Marc. 3. 17. *Et Iacobum Zebedæi & Iohannem fratrem ejus: & impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt filij Tonitrui.* Græce eſt Βοανεργὲς, & in Lexico Heſychij, Βοανεργέες. Ceterum in Anſelmo repperi Bonoarges, & apud Origenem Hom. 1. in Geneſin, Boanarges. Nomen eſt compoſitum ex בני quod antiqui ſonabant bane, & רגש tonitru. Id Græci ſcribebant εργὲς, ultima nominis barbari in σ verſa. Hoc primum: deinde רגש ἐργὲς, ut שמות σημώθ, בראשית βρησὶθ, בלילים Ἐλλείμ. Po-

ſtremo

ſtremo Ain per γ expreſſa, ut in Ῥεγμὰ quod ſcribunt רעמה nomen viri & regionis Gen. 10. 7. Ezec. 27. 22. Vide nunc quæ ſcripſimus in commentario veteri, cap. 17. Quibus addo, conſuetudinem immutandi nomina frequentem fuiſſe apud antiquos. Fiebat autem vel a Deo, ut Abraham, Sara, Iſrael &c. vel a præceptoribus. Sic olim Iohannes Zachæi filius diſcipulis ſuis nova nomina indidit, quæ alibi notamus: vel denique ab aliis, ut legimus de quodam qui ſapientibus nomina impoſuerit. Ceterum pro *Benereem* quod Ieſ. 62. in Hiero. manuſcriptus meus habet Banerehem, cui bardus aliquis ſupraſcripſerat Boanerkem. Hoc eſt emendare ſcilicet Hieronymum, quem utinam qui ei manum admoverunt ævo ſuperiore non magis corrupiſſent. Sed ignoſcendum ignaris antiquæ ſcripturæ. Me quidem habebunt ſatis æquum, ſi quæ corrupta ſunt ab illis, alij reſtitui patiantur.

Booz.

Græce Βοὸζ: ſed Ebraice בעז cum accentu in penultima .i. Boaz. Autor gloſſæ interlinearis, *Booz, in robore,* בעז. Gloſſarius Philonis, *in fortitudine*, vel *in quo virtus.* Hiero. in nom. de Mattheo, *in quo robur, vel in ipſo fortitudo* (בו עז) *ſed melius in fortitudine.* Autor operis imperfecti, *Booz interpretatur in virtute, vel virtus in ipſo ſive prævalens* עז robur, fortitudo: עז robuſtus, fortis, עזה valida: item nomen urbis, quam Gazam appellant. Id Latine dicas *Valentia.*

Boſor.

Βοσὸρ, nomen eſt viri 1. Paralip. 7. 37. item urbis Deut. 4. 43. Ioſ. 20. 8. & 1. Paralip. 6. 77. Ebraice בצר. Sed 2. Petr. 2. 15. pro Beor legitur, qui fuit pater Balaami prophetæ. Vide quæ ſcripſimus in Balaam.

Vbi

Vbi & illud noto, pro τοῦ Βεώρ, quod in libris Græcis omnibus, interpretem noſtrum habere, *ex Boſor:* cui mutationi cauſſam dediſſe potuit corrupta ſcriptura Boſor pro Beor. Ita mihi videtur.

Cainan.

Luc. 3. 36. nomen Cainan ſupereſt ex editione τῶν ἑβδομήκοντα .i. LXX. interpretum. Legitur autem apud vulgatum interpretem & in pleriſque codicibus Græcis, tum etiam in editione Syra. Paullo poſt verſ. 37. *qui fuit Cainan*, nupera verſio habet Cænan cum diphthongo. male. Nam in Καϊνὰν nulla diphthongus, ut nec in קינן. Id nunc legunt קינן .i. Cenan, αι in η verſo: quæ inter ſe ſæpe permutantur. Beda in Lucam, *nomen & generatio Cainan juxta Ebraicam veritatem neque in Geneſi neque in verbis dierum invenitur: ſed Arphaxad Sela vel Sale filium, nullo interpoſito medio, genuiſſe perhibetur.*

Caïphas.

Ioſephus Caipha ſive Caiphas Annæ pontificis gener, a Valerio Grato procuratore datus, imperante Tiberio. Hujus mentio Matth. 26. 3. & alibi. Syrus habet קיפא Caipha. Sed in libris Græcis, quos adhuc vidi, Καϊάφα ſcriptum, ut apud Ioſephum Orig. lib. 18. cap. 3. Καϊάφας, id eſt Caiapha & Caiaphas. Caipha, Caiphas, ut Iuda, Iudas. Syrum קיפא, cum apices abſunt, poteſt legi Cepha. Id ne confundas cum Petri apoſtoli cognomine, ſciendum eſt in ſcriptura hujus nominis primam eſſe Chaph, alterius autem Coph. Sic dico, apoſtolus vocatur Syriace כיפא, quæ vox in ea lingua petram denotat, ut ſuo loco dicemus.

Cananæus.

Cananæus an Cannæus dicas parum admodum refert, niſi quod in editione Latina Matth. 10. 4. & in

duobus Græcis καναναῖος, Cananæus. Sunt qui putant corrumpendo loco fuiſſe nomen notius & ubique obvium Cananæus, quod tamen ſæpius ſcribitur Chananæus per c, aſpiratum. Sane in Græcis vulgo Κανανίτης .i. Cananites. Id ζηλωτὴν interpretantur: unde Simon Zelotes Luc. 6. 15. & Act. 1. 3. qui hîc Cananæus vel Cananites dicitur. Syrus habet קנניא Cananaia. Zelus aũt קנאה dicitur & zelotes קנא, unde eſſet קני Kannai .i. Cannæus, & dages in nun converſa קנני quod legebant Cananæus, vel Cananita, ut מואבי Moabita, עמוני Ammonita & alia ſexcenta. Syri dicerent מואבי & עמוני ut pro Iehudi dicũt Iehudai Iudæus. Quorundam opinio eſt nomen hoc deductum a Cana opido Galilææ. Sed obſtat interpretatio, tum etiam quia ſcribimus Cana, unica N; non Canna. Id non poteſt zelotem ſignificare. Quærendum an aliquando fuerit ex numero eorum qui ζηλωταὶ vocabantur, de quibus Theophylactus in Acta, Suidas & alij. Hi alio nomine Eſſæi dicebantur, & a quibuſdam ſicarij. Hiero. in nom. de Matthæo, *Cananeus, poſſidens ſive poſſeſſio.* קונה poſſidens Chaldaice vel Syre קני. Poſſeſſio autem קנין dicitur. Neque recte idem Hiero. in comment. Ezec. 9. *Zelus & poſſeſſio eodem appellantur nomine.* Nam zelus קנאה dicitur. Male etiam pro *ſtatua zeli*, LXX. *ſtatuam poſſidentis* interpretati ſunt. Rurſum Hiero. *Cananeus, negotiator.* Malim, *Chananæus.* Nam Ebraice כנעני, quod non magis negotiatorem ſignificat, quam Cimber latronem. Sed quia Chananæi negotiatores fuerunt, de ipſorum nomine vocamus qui tales ſunt. Sic & Arabs pro latrone, & Chaldæus pro mathematico ponitur.

Poteſt fieri ut Zelotes dictus ſit aliunde, Cananæus autem .i. קנני a Cana opido, quemadmodum רוחני dicimus .i. ſpiritualis a רוח ſpiritus & גופני corporeus a גוף. corpus. Docti expendent.

Cana. Galileæ inferioris.

Iohan. 2. 1. ἐν Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας. Si una tantum

erat

erat Cana, cur adjecit τῆς Γαλιλαίας .i. opido Galilææ? Nam videtur additum ad differentiam alterius, ut cum legimus *Bethlehem Iudææ*, cum alia fuerit in tribu Zabulon, ut dictum eſt. In libro Iohaſin Channa & Chapharchanna & pagus Hanāniæ, initium eſt Galileæ inferioris, 57. a. Ioſ. 19. 28. reperio קנה in tribu Aſer, quam Euſebius eandem facit cum hac noſtra. Verba quibus, hoc dicit, habentur in libro locorum, *Cana uſque ad Sidonem major. Eſt quippe & altera minor ad cujus diſtinctionem major hæc dicitur. Fuit autem Cana in tribu Aſer; ubi Dominus noſter atque Salvator aquam convertit in vinum Iohan. 2. Vnde & Nathanael verus Iſraelita Salvatoris teſtimonio comprobatur, & eſt hodie opidum in Galilæa gentium.* Hæc verba in mente habuit Eraſmus cum ita ſcriberet, *Hieronymus indicat duas eſſe Canas, majorem juxta Sidonem & minorem in tribu Aſer. Ad diſtinctionem igitur alterius additum eſt* τῆς Γαλιλαίας. *Eſt enim in Galilæa gentium opidum, quod Hiero. in Ebraicis locis teſtatur ætate ſua adhuc extitiſſe.* De duplici Cana, majore & minore atteſtatur etiam Andreas Maſius comment. in Ioſuam, pag. 294. Erat & fluvius ejus nominis, cujus mentio Ioſ. 16. 8, qui Ebraice ibi vocatur נחל קנה .i. torrens vel fluvius Cana. Vox ea cannam ſive calamum, aut etiam arundinem ſignificat. Nam Cana zelus magis in ſono vocis quam in ipſis litteris continetur. Siquidem zelus קנאה dicitur, quod antiquitus legebant קנאה .i. canna.

Candace.

Act. 8. 27. δυνάστης Κανδάκης βασιλίσσης Αἰθιόπων: dynaſtes * reginæ Candaces. Nomen hoc in editione Syra ſcribitur קנדק, in hiſtoria Ebraica קנדיקי. Eſt autem Candaces obliquus a recto Candace nomen commune regi- * Candaces reginæ Æthiopum:

reginarum Æthiopiæ, ut Ptolemæus regum Ægypti. Nam de Pharaone dubitari video, quum Ioſephus ſcribat in lingua Ægyptiaca Pharao regem ſignificare. Paullo aliter Oecumenius Act. 12. Ἰστέον δὲ ὅτι Κανδάκην αἰθίοπες πᾶσαν τὴν τοῦ βασιλέως μητέρα καλοῦσιν, ἐπειδὴ πατέρα αἰθίοπες οὐκ ἀναφέρουσιν, ἀλλ' ὡς ὄντας υἱοὺς Ἡλίου παραδιδόασιν· ἑκάστου δὲ τὴν μητέρα καλοῦσι Κανδάκην. Quæ ſic verſa repperi; *Traditur à Græcis Æthiopiæ regum matres omnes hoc nomen habuiſſe, illamque gentem communes patres non nominaſſe, quæ ſe communem omnem habere ſolem diceret.* Noſtræ ſententiæ accedit Plinius lib. 6. cap. 29. in fine, *Regnare fœminam Candacen quod nomen multis jam annis ad reginas tranſijt.* Et Alexander ab Alexandro Genial. dierum lib. 1. cap. 2. *In Meroe quod Candaces præcipua mulier regnum tenuiſſet, reginas in poſterum Candaces cognominarunt.* Vide ſis Eraſmi annotationem ad hunc locum.

Capharnaum.

Capharnaum, libri Latini editionis vulgariæ. Nam Græci codices variant. In aliis eſt καπερναοὺμ, & in aliis καφαρναοὺμ, quæ ſcriptura in omnes partes melior eſt. Syrus habet כפר נחום: unde claret ſcribendum eſſe Capharnahum, cum aſpiratione. Id ſonat villa Nahum. Eſt autem Nahum proprium viri: quo nomine unus eſt ex minoribus prophetis. Græci ſcribunt ναοὺμ, quia in medio non adſpirant voces. Hoc neceſſitatis eſt. כפר נחום καπερναοὺμ, ut חקל דמא Haceldama. Nam a & e de facili permutantur. Iam vero malim χαφαρναοὺμ, Chapharnahum: nam Chaph vim habet c, aſpirati apud Ebræos. Veteres tamen quandoque abjiciebant adſpirationem: unde Cananæi pro Chananæi, & Capharſalama, 1. Mach. 7. 31. quod in edit. Romana χαφαρ-

σαλαμά,

σαλαμὰ, .i. vicus pacis. Nam כפר vicus, villa, pagus. In libro interpretationum Hieronymi, *Capharnaum, ager aut villa conſolationis.* Quæ etiam habentur in Origine Matth. 17. & tom. 10. in Iohan. Hom. 8. Sed & Heſychius, Καπερναοὺμ, χωρίον παρακλήσεως. Pro quo Nonnus habet καφαρναοὺμ. כפר ager, villa, χωρίον. Hoc ſe tueri poſſet. Ceterum conſolatio non נחום, ſed נחמה dicitur. Rurſum Hiero. Matth. 1. *Capharnaum interpretatur, villa pulcherrima.* Non נאה, ô bone, aut נעים eſt in ſcriptura Ebraica, ſed נחום. Id non poteſt ſignificare quod tu interpretaris. Quanquam tecum ſentiat Chryſoſtomus. Nam Hom. 5. in Marcum *Capernaum*, inquit, *interpretari poteſt & ager conſolationis & ager pulcherrimus.* Videtur eſſe vicus ille, cujus meminit Ioſephus in vita ſua, quem vicum Cepharnoma vocat non procul a fine. Si legas, Cepharnama unius litteræ immutatione, poterit exponi, *vicus conſolationis*, ut ſit נמא pro נומא. Quem vicum interpretantur, alij opidum appellant, ut Euſebius in libro locorum, *Capharnaum, juxta ſtagnum Geneſareth, uſque hodie opidum in Galilæa gentium ſitum in finibus Zabulon & Nephthalim.* Tempore Chriſti videtur fuiſſe urbs potens, nunc deſolata penitus. Vnde lux Chriſti verbis apud Matthæum, cap. 11. *& tu Capharnaum, quæ uſque ad cælum exaltata es, uſque ad inferos deprimeris.* Scribit enim certe Borchardus monachus deſcript. 3. cap. 4. vix octo tuguria habere. Hanc urbem Chriſtus nobilitavit converſatione ſua; unde patria ipſius appellatur.

Cedron.

Iohan. 18. 1. πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶν κέδρων. Qui negant ullum mendum eſſe in codicibus Græcis, ex hoc loco convinci poſſunt erroris. Nam perſpicue legen-

 dum

dum τῶ κεδρῶν. Eſt enim nomen Ebraicum קדרון, non Græcum κέδρων .i. cedrorum. Cedri enim ארזים dicuntur in ea lingua. Res eſt, non conjectura. Nam etiam Syrus vulgavit דקדרון .i. τῶ Κεδρῶν, cum accentu in ultima, ut Ἀβαδδὼν, de quo ſupra. Ceterum נחל tam vallem denotat quam torrentem: unde Euſebius vel potius Hieronymus, *Cedron appellatur torrens ſive vallis:* & mox, *Cedron juxta Ieruſalem ad orientalem plagam eſt.* In libro interpretationum, quem Plantinus excudit, *Cedron, nomen vallis & fluvij in eadem valle, quæ inter Ieroſolymam & montem olivarum eſt 4. Reg. 13. ſive torrentis nomen 2. Reg. 15. & Iohan. 18.* Ionathan Sophon. 1. 11. *habitantes juxta torrentem Cedron,* ubi textus Ebræus, *habitatores Pilæ.* Erat autem Pila locus cavus in urbe aut circa eam. Torrens iſte inter urbem & montem Oliveti fuit. Gorionides cap. 81. *Venit autem Titus ad montem Olivarum, & caſtrametatus eſt e regione Ieruſalem trans torrentem Cedron. Nam torrens tranſit inter urbem & montem illum, nec in eo ſunt aquæ multæ ſemper.* Mentio hujus torrentis 2. Sam. 15. 23. & 1. Reg. 2. 37. item 2. Reg. 25. 5. & Ierem. 31. 39. Præterea vero, 3. Reg. 15. 13. ubi codex Baſileenſis habet, ἐν τῷ χειμάῤῥῳ τῷ Κέδρων, in editione Romana legitur τῶν κέδρων, quemadmodum citat Eraſmus. קדרון Cedron, ut מדרש Medras. Sic הלל Hellel, הנם Hennom: unde Gehenna.

Cephas.

Ioh. 1. 43. σὺ κληθήσῃ κηφᾶς, ὃ ἑρμηνεύεται Πέτρος. Vetus interpres, *tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Recentior, *quod declaratur Petra.* Nam *Petrus,* inquit, *Latinis nomen eſt proprium duntaxat, Græcis vero* Πέτρος *etiam appellativum eſt.* Ego ut concedam כפא Cepha etiam appellativum eſſe, ita dubito an κηφᾶς Græcis aliud quam pro-

prium

prium ſit. Sed de eo non contenderim. Cepha, Cephas, ut Thoma, Thomas. Mat. 16. 18. σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. Syrus utrobique habet כאפא .i. Cipha. Nam id in ea lingua tam Petrum quam petram ſignificat. Similiter Græce πέτρος ad utrumque ambigue dicitur. Cur ergo elegit ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ. Docte nec minus pie Iſidorus lib. 7. de etymol. col. 171. *Dixerat Petrus, Tu es Chriſtus filius Dei vivi. Deinde ei DOMINVS, ſuper hanc petram quam confeſſus es, ædificabo, inquit, eccleſiam meam. Petra enim erat Chriſtus, ſuper quod fundamentum etiam ipſe ædificatus eſt Petrus.* Si Clementi credendum, fuit alius hoc nomine. Nam in quinto Hypotypoſeῶn ſcribit unum ex LXX. diſcipulis vocatum fuiſſe Cephan, cui Paulus apoſtolus in os teſtiterit. Quod relatum Euſebio in hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 13. Sed Clementi reclamant loci alij, tum etiam patres, in queis Ambroſius priore ad Corinthios, cap. 9. *Cephas*, inquit, *ipſe eſt Simon Petrus*. Loquitur de Cepha, cujus mentio 1. Corinth. 9. 5. Qui plane idem cum illo qui memoratur Gal. 2. 14. Nam ita fere ſemper eum vocat Apoſtolus. In libro nominum, *Cephas, Petrus: Syrum eſt.* Hoc habetur in nominibus de Iohanne, & in nominibus ex epiſtola priore ad Corinthios. כֵּף etiam Ebræum eſt, unde כפים petræ Ierem. 4. 29. & Iob. 30. 6. Mirum ergo cur ſcribat Eraſmus, *Cephas, Hiero. in Ebraicis nominibus negat Ebræum eſſe verbum, ſed Syrum & apud illos ſonare ſolidum.* Imo contrarium affirmat in epiſtolam ad Galatas, cap. 2. per hæc verba, *Quam nos Latine & Græce petram vocamus, hanc Ebræi & Syri propter linguæ inter ſe viciniam Cephan nuncupant.* Tamen כפא non eſt Ebræum, ſed Syrum. Qui etiam כֵּף dicunt, & pro lapide uſurpant, ut Proverb. 3. 16.

3. 15. pro eo quod in Ebræo טבירים, paraphraſtes habet כיפי טבתא *λίθοι ἀγαθοὶ* .i. lapides pretioſi, gemmæ.

Cain.

Iudæ 11. *Οὐαὶ αὐτοῖς ὅτι τῇ ὁδῷ τοῦ Κάϊν ἐπορεύθησαν.* Via Cain eſt vita ſimultatum & odiorum plena in fratres, quam hodie ingrediuntur multi. Qui ſub pallio theologico lupum rapacem tegunt, homines nati ad vexandum doctos & pios beneque de Eccleſia meritos. Væ illis, & væ iterum niſi reſipuerint. Nam ſi Deus eſt Deus, ut unus ex eorum numero ſolebat dicere, talia non abibunt impune. *Per hoc manifeſti ſunt*, inquit Iohannes, *filij Dei & filij Diaboli. Qui non diligit fratrem ſuum, non eſt ex Deo, ſicut Cain, qui ex illo malo erat & occidit fratrem ſuum. Cujus autem rei gratia occidit fratrem ſuum? Quia facta ejus mala erant, fratris autem juſta* 1. Ioh. 3. 10. & 12. Sed ad alia. Cain nominis etymon non eſt obſcurum. Nam appellatus fuit ita ab acquirendo, dicebat enim Heva mater, *Acquiſivi virum cum DOMINO.* Inde dictus eſt Cain. Verum remanet difficultas. Nam cum acquiro קנה dicatur, quomodo inde poteſt eſſe קין? Similis difficultas in etymo nominis Noe .i. נוח, qui a conſolando dictus, quod eſt נחם. Videndus Moſes.

Chananæa.

Matth. 15. 22. *γυνὴ χαναναία.* Si eſſet *καναναία*, dubitari poſſet, an a Cana opido Galilçæ appellationem accepiſſet. Nunc quum ſit *χαναναία* non dubitant viri docti, quin ita vocata ſit a Chanaan nominis ſtricta ſignificatione. Dico ſtricta ſignificatione. Nam cum late ſumitur hoc nomen, tum comprehendit regionem ſeptem gentium, quæ terra promiſſionis vulgo nuncupatur. Hîc aliter ſumitur, nempe pro una ex illis ſeptem terris,

terris, quam ad mare ſitam ſcriptores: alij Phœnicem appellant. Cui firmando editio Syra, in qua ſcriptum כבעניתא, quod Ebraice diceretur הכבענית, quæ vox obvia Gen. 46. 10. & Exod. 6. 15. a vulgato interprete Latino redditur Chananitis: quod breviter dictum pro Chananitis, ut Chananæa contracte dicimus pro Chanaanæa.

Cleophas.

Κλεόπας libri Græci: Cleophas, Latini: קליופא editio Syra. Hunc alij Lucam, alij Nathanaelem fuiſſe ſcribunt. Quod plane incertum. Socius ejus vocabatur Amaon, teſte Ambroſio in Lucam. Zacharias in unum ex quatuor, pag. 366. Et hoc incertum. Quod temere dicitur, temere negari poteſt. Cleophas iſte, ut credibile eſt Iohan. 19. 25. κλωπᾶς vocatur, cui uxor Maria, quæ propterea ibi dicitur ἡ τοῦ κλωπᾶ. Quanquam poſſet etiam filia ſubaudiri. Scire licet apud interpretem noſtrum eſſe Cleopæ ſive Cleophæ, ut apud Syrum דקליופא. Quæ ita firmant ſententiam meam ut nihil magis.

Chorazin vel Chorozain.

χοραζὶν libri Græci: Chorozain Latini. Notatum autem in uno exemplari Græco inveniri χοροζαῒν. Vulgatam lectionem firmant primum editio Syra, in qua כורזין. Deinde interpretatio Hiero. *Chorozain, hoc myſterium meum,* בה ſic, quod aliquando redditum per hoc: רזי myſterium meum, τὸ μυςήριον μου. Ita Nun in fine negligitur, quod non laudo. In libro locorum, *Chorozain, opidum Galilaæ, nunc deſertum in ſecundo lapide a Capharnaum.* Scribi debet hoc nomen cum ν in fine. Male igitur Chorozaim cum μ in ſynonomia Ortelij. Vide an ſit קורזי, quod in Thargum Ionathæ Deut. 3. 14.

ubi in fonte [illegible] & in Oncelo [illegible], & in Ieroſolymitano [illegible], ſi non eſt mendum.

Chaldæa.

Act. 7. 4. ἐκ γῆς χαλδαίων. De Chaldæorum terra, quam Græci χαλδαίαν vocant, non omnes eadem ſentiunt. Quidam ſcribunt regionem eſſe in Babylonis ditione inter ipſam Babylonem & Arabiam deſertam & inter Tigrim & Euphratem ſitam: aut ſecundum Ptolemæum inter Euphratem & regium flumen, quod Naharmalcha vocant. Hieronymus in locis ex Actis Apoſtolicis, *Chaldæorum regio inter Babyloniam & Arabiam, Tigrim & Euphratem.* Quæ ſi vera, ergo etiam Meſopotamiam comprehendit. Quo nomine Stephanus protomartyr Chaldæam appellat, e qua egreſſus ſit Abraham, antequam Carras veniſſet. Act. 7. 2. Quin etiam Plinius lib. 6. cap. 27. ei Babylonem attribuit. Vnde & illud ſequitur Babyloniam eſſe partem Chaldææ, quod video quoſdam opinari, contra ac alij ſentiunt, quibus Chaldæa regio eſt Babyloniæ, aut, ut eorum verbis utar, Babyloniæ pars. Syrus edidit ארעא דכלדיא. Sunt autem כלדיא Chaldæi, quos etiam Ebræi כלדאים vocant, & a כשדים diſtinguunt. Sane ſimul hæc duo nomina leguntur in epiſtola Moſis Maimonis filij, cognomento Ægyptij. Gloſſarius Philonis *Chaldæi, quaſi dæmonia.* In mente habuit vocem Ebraicam כשדים, qua Chaldæos ſignificant, quos alij dictos volunt a Chaſed quarto filio Nahor de Melcha, vel certe ab Arphaxad Semi filio. Quam opinionem ſequitur Ioſephus, qui etiam eos antiquitus appellatos ſcribit Ἀρφαξαδαίους, id eſt Arphaxadæos. Sed R. Saadias in comment. Dan. 1. *Chaldæi omnes*, inquit, *ſunt præſtigiatores. vocatur terra eorum terra Chaſdim, eo quod præſtigijs imponant*

alijs

ſulis perinde ut dæmones. Ebræa ſunt מכשפים כשפים ὡς. Quare de re diſputavimus alibi.

Corban.

Marc. 7. 11. κορβᾶν, ὅ ἐστι δῶρον. Affirmat idem Ioſephus Ant. hiſto. lib. 4. cap. 4. τοῦτο (inquit de Corban) δῶρον σημαίνει κατὰ Ἑλλήνων γλῶτταν .i. donum ſive munus. Negat Chryſoſtomus hom. 52. in Matthæum, dum ita ſcribit; *Corban non donum, non munus, ſed oblationem Latine poſſumus dicere.* Cui conſonat Phavorinus in Lexico ſuo, κορβᾶ (leg. κορβᾶν) οὐκ ἔστιν ἡ δωρεὰ καὶ ἡ προῖξ, ἀλλὰ κυρίως ἡ προσφορὰ λέγεται. Vterque fallitur. Nam etiam Syrus vertit קורבנ, quod Græce eſt δῶρον Matth. 15. 5. Radix קרב, unde & קורבנא obvium aliquoties in Thargum pro dono ſive munere. Sed Corban proprie quod Deo datur. Itaque Ioſephus lib. 1. adverſus Appionem interpretatur δῶρον θεοῦ .i. munus Deo dicatum, & Orig. in Matth. cap. xv. *ex Corban accipere, nimirum ex ratione pauperum, de his quæ Deo conſecrata ſunt:* & mox, *Corban, hoc eſt Deo conſecratum:* & aliquanto poſt, *corban eſſe ac donum:* & iterum, *conſecravit Deo, quippe Corban.* Quo nomine vocabatur & theſaurus ſacer. Ioſephus de bello Iudaico lib. 2. cap. 8. *Eſt apud eos ſacer theſaurus, quem Corban dicunt.* Sed tunc frequentius dicebant Corbana ſive Corbona, id eſt קרבנא quod Græci ſcribunt κορβονᾶ & κορβωνᾶ. Reperitur etiam κορβονᾶς, cum ſigma in fine. Suidas ſive Sudas; κορβονᾶς, παρὰ Ἰουδαίοις ὁ ἱερὸς θησαυρός. Vide ſequentia. Phavorinus, κορβωνᾶς, ὁ ἱερὸς θησαυρός. קורבנא κορβωνᾶ, ut ארם Ἀδώμ. Origenes in Matthæum cap. 27. *In corbana data populi propter neceſſitates pauperum congregabantur.* Hinc intelligentiam habet apud Marcum εἰς δῶρα θεοῦ, quod pro eo habendum ac ſi dixiſſet, in Corban ſive Corbana. Nam id

Græce eſt κορβωνᾶς vel κορβανᾶν.

Græce ſonat δῶρον θεοῦ, ut diximus. Erat juſjurandum hoc nomine (meminit Ioſephus in primo adverſus Appionem) nullis mortalibus præterquam Iudæis uſurpatum. Mentio hujus & apud Theophraſtum. Nam in his quæ ſcripſit de legibus ait Tyriorum leges vetare ne quis peregrino juramento utatur. Inter peregrina autem enumerat & Corban, quod ſolis Iudæis in uſu. Reperitur & קובן Coban pro Corban. Vide Maſium in Ioſuam pag. 111. Tam Arabis quam Turcis Corban dicuntur victimæ votivæ, de quibus Georgiovitz in libello quem de Turcarum ritu vulgavit, *Quæ victima non comburitur more Iudæorum, ſed mactato animali, cutis, caput, pedes & quarta pars carnis ſacerdoti præbetur, altera datur pauperibus, tertia vicinis: reliquum victimatores ſibi & comitibus parant ad veſcendum.* Quod fugit, non plane effugit. Matth. 27. Non licet eos mittere in Corbanan, εἰς τὸν κορβανᾶν .i. in templi ærarium.

Core.

Iudæ 11. καὶ τῇ ἀντιλογίᾳ τοῦ Κορὲ ἀπώλοντο: & contradictione Core perierunt. Ebraice קרח, quod nunc legitur Cora vel Corach: ſed antiqui legebant Core קרח Core, ut תרח Thare. In Κορὲ holem per o expreſſa. In libro nominum, *Core calvicies aut glacies.* Gloſſæ Philonis, *Core, calvicium.*

Cyrene.

Duplex Cyrene: una Lybiæ, Aſſyriæ altera. De priore capiendus locus Act. 2. 10. τὰ μέρη τῆς Λιβύης τῆς κατὰ Κυρήνην, partes Lybiæ quæ ſunt ſecundum Cyrenem. Syrus Lybiam appellat לובא & Cyrenem קוריבא. Auguſtinus hom. de paſtoribus, cap. 17. Cyrene, *Lybiæ pentapolis contigua Africa ad orientem magis pertinet. Nam Imperator orientalis mittit judicem ad Cyrenem.* De altera intelligendum quod Amos 9. 7. *et eduxi Aramæos* מקיר *ex Kir:* quod Sym-

Symmachus interpretatur, *ex Cyrene*, quem deinde ſecutus eſt Hieronymus. Hujus urbis mentio 2. Reg. 16. 9. ubi codex Ebræus habet קירה, cui æquivalet אלקיר. Ionathan vero לקריני in Cyrenem. De corus, crocus & cyminum dicam in Cadmo anatolico, ubi de vocibus quæ ex oriente in occidentem demigrarunt.

Dalmanutha.

Loci nomen Mar. 8. 10. ἦλθεν εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθά: *venit in partes Dalmanutha.* Syrus habet לאתר דדלמנותא *in locum Dalmanutha. Quidam Græcus codex*, inquit Eraſmus, *habebat μαγδαλὰ, cujus meminit Matthæus, ſive, ut quidem legunt, Magedan. Auguſtinus, de conſenſu euangeliſtarum putat ejuſdem regionis plura eſſe vocabula, addens hoc quoque loco quaſdam codices habere Mageda.* Hucuſque Eraſmus. Zacharias in unum de quatuor, *Vbi Matthæus Magedan, ibi Marcus ponit Dalmanutha. Idem enim locus duobus ſubeſt nominibus: unde plerique codices ſecundum Marcum habent Magedan.* Hauſit ex Auguſtino. Poſtellus in deſcriptione Syriæ putat eſſe urbem quæ dicitur Cæſaræa Philippi & Maggedan. In Synonymia Ortelij, *Cæſaræa Philippi, quæ & Cæſaræa Paneas ab euangeliſtis Maggedan & Dalmanutha nominatur, ut ſcribit Poſtellus.* Aliud Onomaſticon, *Dalmanutha, regio vicina mari Tiberiadis, in tribu Iſſachar.* Annotat porro Theodorus in uno vetuſtiſſimo codice pro εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθὰ, ſcribi εἰς τὰ ὅρια Μαδεγαδὰ, in fines Madegada.

Saraceni Modan vocant. Vide Liram. Num. 34. 11.

Derbe.

Actor. 14. 6. *in civitates Lycaoniæ, Lyſtram & Derben.* Locus iſte duobus modis exponi poteſt. Vno modo, ut dicat Lyſtram & Derben civitates Lycaoniæ eſſe; altero, ut dicat eos fugiſſe in civitates Lycaoniæ, & Lyſtram & Derben. Quæ expoſitio verior videtur. Nam Derbe & Lyſtra Iſauriæ urbes ſunt.

Quæ licet vicina ſit Lycaoniæ, tamen à Lycaonia diſtinguitur. Priorem expoſitionem ſecutum putarim Hieronymum, cum ſcriberet Derben civitatem Lycaoniæ regionis eſſe. Syra editio æque ambigua eſt. Quanquam interpres reddiderit, *in civitates Lycaoniæ & Lyſtræ & Derbæ*, ac ſi nomina regionum eſſent. Tu potius verte, *& Lyſtram & Derben*, דרבא. Dicebatur & Delbia, Δελβεία, quæ vox, ait Stephanus, in Lycaonum lingua ſig. ἀρκευθον .i. juniperum. Ei affinis eſt דלבא quo caſtaneam, vel potius platanum deſignant. Sane in Arabum lingua Dulb eſt platanus. Quod ſic probo. Dioſcorides de cataputia majore, *frutex eſt arboroſa ficus ficus, ſed minor folia habet ſimilia platano.* Serapio de eadem, *Eſt arbor in magnitudine ficus, habens folia ſimilia Dulb.* Ianuenſis in clavi ſanationis, *Dulb*, *platanus.* Stephanus Arabicarum vocum collector ſcribit *Dulbun.*

Ebræus.

Ebræus ſcribo ſine aſpiratione ex analogia, quia ſimiliter ſcribuntur Arabia, Elamitæ, Emmanuel & alia nomina, in quibus Ain eſt littera princeps, quam Hiero. vocalem appellat, forte quod per nudam vocalem exprimeretur. Si quis tamen Hebræus malit, cum eo litigandum non eſt, præſertim cum hæc ſcriptura jam obtineat, & apud Græcos & apud Latinos. Sit cuique liberum ſequi quod velit. Res non eſt tanti Aliquando errandum cum vulgo. Lingua Ebræa ſive Ebraica duobus modis dicitur, proprie, improprie. Proprie ut cum linguam ſanctam ita nuncupamus, qua ſcriptum eſt maxima ex parte vetus inſtrumentum: improprie, ut cum ponitur pro lingua Syriaca, qua olim Ebræi uſi ſunt in Syria degentes, cujus pars eſt Iudæa. Hoc modo accipies

Iohan.

Iohan. 5. 2. Nam בית חסדא vox eſt linguæ Syræ. Item Iohan. 19. 13. & 17. Nam Gabbatha & Golgotha voces ſunt eiuſdem linguæ. Qua de re diximus aliquid in priore commentario, cap. 1. Ebræus ex Ebræis ita dicitur, ut Haſidæus ex Haſidæis. Qui miratur cur ſcribam Haſidæus, cum tamen ſcribendum doceam Ebræus, abſque aſpiratione, indignus eſt cui reſpondeatur. Nam חסיד & חסידים habent in capite litteram Heth, quæ teſte Hiero. eſt aſpiratio duplex. Hæc non ſunt confundenda. De Haſidæis alias. Nam bonus ille vir locum Gorionidis non intellexit, qui non contra me, ſed contra ipſum facit. Qui iudicio valet & harum rerum peritiam habet, inſpiciat diligenter caput illud & agnoſcet me verum dicere. Quanquam non eo inficias חסידים in ea hiſtoria quandoque Eſſæos denotare. Appellati Ebræi ab Eber filio Sale, vel certe a traiectu Abrahæ. Nam עבר transeo. Vnde pro *Abrahamo Ebræo* .1: העברי, in Græcis editionibus legitur ὁ περάτης.

Elamitæ.

Elamitæ abſque diphthongo, non Aelamitæ. Quamquam in ſcriptura Ebraica עילם, quod antiquitas legebat etiam Αἰλὰμ. Sæpe dixi, & nunc iterum dico, in talibus (*αι*) non eſſe diphthongum Græcam, qua Ebræi carent. Imo nullas habent diphthongos. Quod ſatis ſuperq; probavi in libello de recta legendi ratione, quem fortaſſe aliquando edemus, ut noſtros zoilos, quorum hic magna turba eſt, ad ſuſpendium, quo digni ſunt, adigamus. Iam olim id conantem, aut noſtra deſidia, aut fatum aliquod iniquum, aut a barbaris excitatæ turbæ retardarunt. Act. 2. 9. *Parthi, Medi, Elamitæ.* Græce eſt Ἐλαμῖται. Videntur autem ſignificare Perſas. Sane Ieſ. 21. 2. *Elam & Madai*, Ebræi Perſas interpretantur. LXX. ibi habent

Ελα-

Ἐλαμῖται. Ionathan עילמאי. Elamæi ſive Elamitę. In quodam Onomaſtico legi, *Elam, filius Sem, a quo orti ſunt Perſæ.* Paullo aliter Hieronymus. In Quæſt. Ebraicis, *Elam, a quo Elamitæ principes Perſidis.* Et in locis ex libro Actorum, *Elamitæ, principes Perſidis, ab Elam filio Sem appellati.* Quod hauſit e Ioſepho Ant. hiſt. lib. 1. cap. 14. *Elam, inquit, Elamitas, qui Perſarum ſunt principes dereliquit.* Olympiodorus, Αἰλὰμ, ὁ τῆς Βαβυλῶνος, ὁ καὶ πάσης χώρας ἧς ἦρξε κύριος. Quod tale eſt, quale illud Heſychij, Ἐλαμῆται, Πάρθοι: & paullo poſt, Ἐλαμῖται, Πάρθοι. Nam Elamitę a Medis & Parthis perſpicue diſtinguuntur. Forte per Parthos, Perſas intellexit. Fuerunt & Elamitę Arabiæ populi, mare accolentes, de quibus Plinius lib. 6. cap. 28. & Orig. Ierem. 25. Αἰλὰμ, ἔθνος Ἀραβικὸν, πρὸς τῇ ἐρυθρᾷ κείμενον θαλάσσῃ. Item Elamitæ dicebantur etiam Samaritani, ſi credendum Græco ſcholio quod Ieſ. 22. in editione Romana, Ἐλαμίτας, τοὺς σαμαρείτας καλεῖ. ἐκ γὰρ τῆς Περσικῆς μετῳκίσθησαν χώρας. ἀπεχθῶς δὲ διακείμενοι πρὸς τοὺς Ἰουδαίους, συνεμάχουν κατ᾽ αὐτῶν ἀναγκαίως Ῥωμαίοις. Porro autem in Geneſi magno, qui Ebraice vocatur Breſith rabba, עילם exponitur Græcia .i. יון, quod nomen latiſſime patet in ea lingua.

Eleazar.

Matth. 1. 15. Ἐλιοὺδ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἐλεάζαρ. Nomen hoc interpres Syrus ſcribit אליעזר Eliazar. Ebræi dicunt אלעזר ex quo Eleazar & Græca terminatione Ἐλεάζαρος, & contractiore voce Lazarus: de qua ſuo loco. Videndum an hic ſit Eliezer Lucæ, de quo mox.

El.

El, unde Eli, .i. ἠλὶ ſive ἠλεὶ. (nam utroque modo ſcribitur) fortis vel potens .i. יכול, ut exponit R. David

Pſal.

Pſal. 90. 2. aut ἰσχυρὸς, ut interpretatur Aquila Pſal. 22. 2. Communiter Dei vocabulo redditur, ut Matth. 27. 46. ἠλὶ, ἠλὶ, τοῦτ' ἔστι, Θεέ μου, Θεέ μου: & Mar. 15. 35. citante Euſebio, ἠλεὶ, ἠλεὶ, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, ὁ Θεός μου, ὁ Θεός μου. Sed in hoc poſtremo loco exemplaria vulgata legunt Ελωὶ, Ελωὶ .i. אלהי, quod licet eodem recidat, credibilius tamen eſt Chriſtum dixiſſe ἠλὶ aut ἠλεὶ; ex quo natum cavillum illud, *Eliam invocat*. Certe longius recedit a nomine Eliæ Syriacum Ελωὶ. Syrus utrobique poſuit איל איל, quod reddunt Deus, Deus. Id uſurpant in precationibus pro auxilio, ut cum dicunt תא לאילן veni in auxilium noſtrum. Plura de hac voce in vet. comment. cap. 9. & 13. Quibus addo. Ieſ. 9. 6. אל גבור Aquila & Symmachus, *fortis, potens.* Theodotio, *fortis dynaſta.* Alij, *Deus potens.* Quod præ ceteris probant Euſebius & Theodoritus. Theodoriti verba ſunt in libro manuſcripto, *Depravavit hoc Aquila pro Deus potens, fortis potens interpretando. Nam in Ebraico eſt EL GIBBOR. El autem Deum ſignificat.* Sunt qui ſemper transferunt אל Deus fortis. Si non fallit Euſebius, אל κατ' ἀκρίβειαν ſignificat ἰσχὺν καὶ δύναμιν: & certe non fallit. Nam ita ſumitur hoc nomen cum alibi, tum Proverb. 3. 27. לאל ידך in poteſtate manus tuæ. Igitur *Eli* verti poſſet, *mea vires*, aut, *mea potentia*. Quale illud Poetæ; *Nate mea vires, mea magna potentia ſolus.* Sic Deus a Magiſtris vocatur הגבורה, & a Chaldæis תוקפא Gen. 49. 24. in Oncelo. Vnde lux illi loco, ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως. Nam ſenſus eſt, ad dexteram Dei.

Eli.

Eli an Heli ſcribendum ſit, incertum. Syra editio ſcribit הלי Heli, cum adſpiratione. Alii cenſent decurtatum eſſe ex Eliacim; ut Lazarus dicebant pro Eleazarus.

rus. Quod ſi recipimus, ſcribendum ἀναμφισβητήτως Eli. Sententiam hanc juvat Petrus Galatinus de arcanis catholicæ veritatis lib. 7. cap. 12. ſcribens Eli eſſe qui alio nomine Ioacim & Eliacim nominetur. Cui firmando quod Eliacim dicatur Iudith 4. qui Ioacim vocetur in eadem hiſtoria, cap. 15. Similiter rex Ioacim 4. Reg. 23. nuncupatur Eliacim, unde contractum Eli, ut diximus, Luc. 3. 23. qui fuit avus Chriſti, quem Epiphanius adverſus Antidicomarianos hæreſ. 36. & contra Collyridianos hæreſ. 79. Ioacim vocat, cujus uxor fuerit Hanna mater virginis Mariæ.

Elias.

Oraculis prædictum erat venturum eſſe Eliam Malach. 3. 23. Id erat ita intelligendum venturum eſſe prophetam Eliæ ſimilem, hoc eſt cum ſpiritu & virtute Eliæ Luc. 1. 17. Quale illud Maronis, ſi licet divina cum humanis comparare; *Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.* Hoc ſenſu Elias dicitur a Chriſto Iohannes Baptiſta Matth. 11. 14. At Iudæi putabant ipſum Eliam venturum. Itaque recte ſe eum eſſe negat Iohannes, Iohan. 1. 21. cum tamen propheta dicat, *Ecce ego mitto vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies* DOMINI *magnus & terribilis.* Nec de alio quam de Iohanne hoc intelligi poſſit. Quod autem Iudæi hodie adhuc Eliam expectant, fruſtra ſunt. Si dies DOMINI venit, ergo etiam Elias venit. Sed non mirum eos Eliam expectare, qui adhuc expectant ἠλειμμένον ſuum. Vnde dicunt, *Vbi venerit Elias docebit nos omnem veritatem.* Quod perinde eſt atque ſi dicerent, *Ad calendas Græcas.*

Eliacim.

Græce eſt Ἐλιακείμ. Ebraice & Syre אליקים. Male

igitur

Igitur ſcribunt Eliachim, quod interpretantur, *Dei reſurrectio vel Deus reſuſcitans*, *aut Deus reſuſcitavit*. Sed *reſurrectio* תקומה dicitur, & *reſuſcitans* מקים, & *reſuſcitavit* .i. הקים. Malim ergo, *Deus reſuſcitabit* .i. יקים, Matth. 1. 13. *Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor.* Euangelium Matthæi Ebraicum quod Iohan. Tilius episcopus Briocenſis ex Italia attulit, & poſtea Lutetiæ vulgavit, hîc habet, *Abibud genuit Abner, Abner genuit Eliacim, Eliacim genuit Azor.*

Eliezer.

Luc. 3. 29. qui fuit Eliezer. Græce eſt τοῦ Ἐλιέζερ. Syriace בר אליעזר filij Eliezer. Etymon hujus nominis invenies Exod. 18. 4. Melius autem interpretantur qui interpretantur *Dei mei auxilium*, quam qui interpretantur, *Deus meus adiutor*. Nam adiutor עוזר dicitur: unde eſſet non Eliezer, ſed Eliozer.

Eliſabeth.

Pro Eliſabeth, quod in codicibus Latinis, Græci habent Ἐλισάβετ Luc. 1. 5. Syrus autem אלישבע. Quod nomen extat Exod. 6. 23. ubi Latina vetus Eliſabeth, & Græca ex edit. Rom. Ἐλισαβέθ. Qua forma dicitur Nazareth: item Genneſareth. Hîc aliqua quædam obſervanda. Primum acceſſio litteræ ad finem, ut in βηθσαβέθ, quod citatur Pſal. 50. 1. ex Aquila, Symmacho, Theodotione & ex editione, quæ Septima vocatur. Deinde litteram aſpiratam aliquando in tenuem mutari. Nam & in Exodo, ubi vulgati libri habent Eliſabeth, in antiquis legitur Eliſabet, per t, ſimplex in fine. Sic Ναζαρὲτ & γεννησαρὲτ. Deinde ſcribendum perpetuo Eliſabeth cum s, non, ut vulgo ſcribitur a plurimis, Elizaboth cum z. Pro Eliſabe antiqua lectione, ſunt qui reponant Eliſeba. Nam in ſcriptura Ebraica אלישבע. Cave ſpernas.

Eliſeus.

Nomen hoc varie ſcribitur, Eliſeus, abſque diphthongo, Eliſęus cum diphtongo, Ελισσαῖος, Ελισαιὲ, cum in textu Ebræo, & apud Syrum interpretem ſit אלישע Eliſa, ſive ut veteres legebant, Eliſe. Reperio & Eliſee, ut Hoſe dicimus & Hoſee. Ελισσαῖος cum duplici σσ offendes Luc. 4. 27. Cui ſimile in antiquitate φαρισσαῖος pro Phariſæus. Quæ a ſcribis, ut puto, manarunt. Sic ratio nulla eſt ſcripturæ Meſſias, cum Syri ſcribant משיחא, unde Meſias.

Sic Εμισα & Εμισσα Phœniciæ civitas.

Eloi.

Ελωὶ ſcriptum in omnibus exemplaribus Marc. 15. 34. Id Ebræis eſt אלהי Deus mi: Syris vero אלהי. Si ergo Syrum eſt, ut vulgo creditur, tum erit archaiſmus אלהי Elohi, ut ארם Odom, קרבנא κορβωνᾶ ſive κορβωνᾶς. Vide commentarium meum veterem, cap. 13. in lit. C.

Elymas.

אלעלם in Arabum lingua ſignificat ſapientiam, & עלמא eſt ſapiens: item magus, qui Ebraice חרטם. Quo ſenſu utitur Saadias in verſione ſua Arabica, cujus fragmentum penes me, manu Raphelengij patris deſcriptum. Ergo ελύμας ὁ μάγος nomen eſt cum interpretatione, ut Αββᾶ ὁ πατήρ. Quod exemplum rectius adduxiſſet Hiero. quam *Aſer, divitiæ*, & alia quæ nuſquam extant. Vide nunc Comment. priorem, cap. 7. עלימא ελύμας, ut עקילה Ακύλας, עקיבה Ακίβας. Reperio etiam συμεὼν pro שימון, quod contractum ex שמעון, & Syor pro שיחור in Hiero. manuſcriptis, Ieſ. 23. Nomen עלמא Theodorus derivat a verbo Arabico עלם, quod cognoſcere ſignificat. Sed quid ſi dicamus ſapientiam ita dictam παρὰ τὸ עלם verbo Ebraico abſcondit, occultavit; ut Græci quidam

quidam σοφίαν appellatam putant quaſi ζοφίαν, quod eſſet res occulta & abſcondita? Quo fortaſſe reſpexerit Ieſus Sirach cap. 6. verſ 19. ita ſcribens σοφία κατὰ τὸ ὄνομα αὐτῆς ἐστι, καὶ οὐ πολλοῖς ἐστι φανερά: ſapientia ſecundum nomen ſuum non multis eſt manifeſta.

Emmanuel.

Εμμανουήλ. Nomen rei, ut loquuntur. Neq; enim Ieſus ita nominatus ſuit unquam, ſed quia mediator erat inter nos & Deum, propterea vocatus eſt, & revera fuit Emmanuel .i. μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός. Sic enim certe interpretatur euangeliſta Matth. 1. 23. & recte. עמנו nobiſcum, אל Deus: quod nunc efferunt *Immanuel*, & in nomen tranſiit, quod vocant, proprium: de quo audire malim aliorum judicium, quam meum proferre, qui neque propheta ſum, neque filius prophetæ.

Emmaus.

Εμμαοῦς nomen vici diſtantis ab Ieruſalem ſexaginta ſtadiis, Luc. 24. 13. Dico vici, quia in textu Græco eſt εἰς κώμην. Latinus habet, caſtellum: Syrus, קריתא* opidum, aut, ut Aquila reddere ſolet eam vocem, πολίχνην .i. civitatulam. Ioſephus Orig. lib. 12. cap. 11. πόλιν appellat. Diſtare autem ab Ieroſolyma idem affirmat in de bello Iuda. lib. 7. cap. 26. Nam quamvis in Latino exemplari ſit triginta, tamen in Græco legitur ἑξήκοντα. Eſt autem ſtadium octava pars miliarij. Ergo 60 ſtadia conficiunt miliaria ſeptem & medietatem octavi &c. Pro εμμαοῦς, reperio Αμμαοῦς, & εμμαοὺμ & εμμαῶμ & Ammaum. Hiero. in libro locorum, *Hæc eſt nunc Nicopolis inſignis civitas Palæſtinæ.* In Synonym. Ortelij, *Emmaus, Palæſtinæ opidum Ptolomæo, quod nunc Nicopolis Hiero. Hodie adhuc Nicopol nominari tradit Poſtellus.*

* Imo vicum aut pagum ſignificat & aliquando agrum, unde קורית דם ager ſanguinis. Videtur eſſe Græcum χωρίον. Sed dubito.

Ephphatha.

Ephphatha ſcribas, ut eſt in libris Græcis, an Ephphetha, ut in Latinis, pluma non intereſt. De hoc verbo diximus cap. 27. פתח aperio, & Syrum eſt & Ebræum, unde פתיחא ὁ βλέπων, qui oculorum uſum habet, cui opponitur סמיא cæcus. Legitur Marc. 7. 34.

Ephraim.

Ioh. 11. 54. *in urbem quæ dicitur Ephraim.* Pro Ephraim, quod Græce eſt ἐφραίμ, in editione vulgata, qua Latini utuntur, ſcriptum Ephrem; quod ſe tuetur antiquitate, ut Meſrem, ut Ieruſalem. Quod poſtremum Chaldęis in frequenti uſu. Ephrem pro Ephraim etiam legitur Pſal. 78. 67. *tribum Ephrem non elegit.* Ebraice eſt אפרים.

Eſaias.

Græce Ἡσαΐας quod perperam adſpirant. Syrus habet אשעיא cum Aleph in capite: quod inde profectum, quia nonnulli veterum Ioth cum ſua vocali pronuntiabant ac ſi Aleph eſſet יפקוד Iphcod dicentes pro Iiphcod, יצחק Iſahac pro Iiſhac, ישראל Iſrael pro Iiſrael. In libro nominum, *Eſaias, ſalus DOMINI.* (alibi Iſaias, ſalutare Dei) *Verum apud Ebræos ab I littera ſumit exordium.* Tu intellige I conſonantem. Nam ſcribunt ישעיה Ieſaias. Hilarius non aliter eum nominat quam Ieſſe. Sed & 2. Paralip. 26. diſerte legitur ὑπὸ Ἰεσοῦ τοῦ προφήτου, cum tamen ibi ſermo ſit de Ieſaia. Vide Rom. editionem ad eum locum. Hunc ſerra diſſectum antiqui crediderunt. Orig. in fragmento Matthæi, pag. 68. *Hiſtoria narrat Eſaiam a populo diſſectum fuiſſe.* Lactantius lib. 4. cap. 11. *Eſaiam Iudæi ſerra conſectum crudeliſſime necaverunt.* Vide Obſer. meas lib. 10. cap. 19.

Ezecias.

Ezecias:

Ἐζεκίας & Ἐζεκίας: quod invenies in Nazianzeno ſteliteut. 2. fol. 141. Prius extat Matth. 1. 9. Videtur potius ſcribendum eſſe Hezecias, cum adſpiratione. Nam Ebraice חזקיה, niſi ablata littera princeps Ezecias pro Iezecias, ut Ezeciel pro Iezeciel. Nam & יחזקיה dicimus, ut יחזקאל Iezeciel. Scire licet etiam חזקאל inveniri abſque Ioth nominis proprij formativa. Cave ſcribas Ezechias. Sic Ezeciel aut Iezeciel ſcribendum non Ezechiel, aut Iezechiel· quod ita compendio dicitur pro Iehezeciel. Similiter Iezecias pro Iehezecias, extrita littera Heth, ut fit, ob aſperiorem ejus ſonum.

Gabbatha.

Γαββαθᾶ, ββ geminata legitur hodie in libris Grecis & Latinis Iohan. 19. 13. id eſt גבתא. Sed in antiquis per unum b reperio Gabatha .i. גבתא. Anſelmus Laudunenſis autor gloſſæ interlinearis, *Gabatha, id eſt collis vel ſublimitas.* Collis .i. גבעה. Sublimitas vero גובה dicitur. Angelus Caninius in locis N. T. ait גב Syriace idem eſſe quod כל Ebraice, ſignificareque viam lapidibus ſternere: unde Græce dicitur λιθόστρωτον, quaſi lapidibus ſtratum vel teſſelatum. *Cujuſmodi*, inquit, *multa pavimenta in Hiſpania viſuntur.* Syrus ejus loco poſuit גפיפתא, beth, in phe verſa. Idem λιθόστρωτον interpretatur רציפתא דכאפא .i. pavimentum lapidum, quod non nemo lapidipavium appellat. An recte, ipſe viderit. Tremellij nota eſt ad hunc locum in margine, Γαββαθᾶ *dicitur quod pavimento elevatus eſſet locus: ſed paraphraſtes vocat Gaphiphatha, quod ſeptus eſſet & clauſus, Gallice, parquet.* De lithoſtrotis Plinius lib. 36. cap. 25. *Pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte picturæ ratione, donec lithoſtrata expulere eam.* Hujuſmodi

pavi-

pavimentum fuiſſe templi Ieroſolymitani ſcribit Ariſteus, τὸ ᾗ πᾶν ἔδαφος, inquit, λιθόστρωτον καθέστηκε.

Gabriel.

Vnus ex tribus angelis, quorum nomina recenſentur in libris canonicis. Sunt autem Gabriel, Michael, Raphael. Græce Γαβριήλ. Luc. 1. 19. *Ego ſum Gabriel, qui adſto in conſpectu Dei.* Tales numero ſeptem eſſe credidit antiquitas, quos & archangelos vocant. Tobiæ 12. 19. in exemplari Ebræo. *Ego ſum Raphael angelus unus ex principibus qui miniſtrant coram ſolio gloriæ.* Græcus codex habet οἱ προσαναφέρουσι τὰς προσευχὰς τῶν ἁγίων. Videndus Lyra Zacha. 4. 10. ad locum, *ſeptem oculi DOMINI.* Meminit etiam Ionathan Chaldæus paraphraſtes Gen. 11. 7. *Dixit DOMINVS ſeptem angelis qui ſtant coram illo, Venite nunc &c.* In his omnibus locis angelus pro archangelo ponitur, ut alibi ſacerdos pro ſummo ſacerdote: piſtor & pincerna, pro ſummo piſtore, ſummo pincerna. Sic accipies Luc. 1. 26. ἀπεστάλη ὁ ἄγγελος Γαβριήλ, miſſus eſt angelus Gabriel. Nam unus erat ex archangelis, præpoſitus prœliis, ut ait Hiero. Dan. 8. 16. pag. 513. Ebraice גבריאל, quod in linguam noſtram vertitur fortitudo aut robuſtus Dei. Vide ſequentia. In nom. ex Luca, *Gabriel, confortavit me Deus, aut fortitudo Dei, vel virtus mea Deus.* Orig. Hom. in cap. 2. Matthæi, *Gabriel interpretatur fortitudo Dei.* Fortitudo potius גבורה dicitur, ut גבר vir, unde גברי vir meus. *Confortavit* .i. הגביר in conjugatione Hiphil. גברי poteſt etiam reddi vir ſimpliciter, ut Ioth ſit littera paragogica. Talis paragoge in מלכי צדק Melchiſedec. Nam interpretantur, *rex juſtitiæ vel juſtus.* Sic מלכיאל putarim vertendum, *rex Dei.* In libro interpretationum,

num, quem Plantinus excudit, *Gabriel, vir Deus vel Dei, aut fortitudo Dei, vel fortis meus Deus.*

Galilæa.

Galilęa duplex, ſuperior, inferior. Hanc Thalmudici vocant גלילאת תתאה. Illam appellant גלילאת עלאה. Vtrumq; nomen extat in Sanhedrin, cap. 1. ubi & illud, *Scribe fratribus noſtris filijs Galilææ inferioris, Pax veſtra multiplicetur in æternum.* Superior in hiſtoria Iudithæ vocatur ἡ ἄνω Γαλιλαῖα. Qua ratione inferior dici poſſet ἡ κάτω Γαλιλαία. De Galilæa gentium duæ opiniones ſunt. Vna eſt eorum qui eo nomine ſignificari putant Galilæam inferiorem, ubi fuit Capharnaum. Sed falli eos exiſtimo, etiam in eo quod pro *Galilæa gentium*, reponant *Galilæa populoſa.* Altera eſt eorum, qui locum. Ieſ. 9. 2. Γαλιλαῖα ἐθνῶν, enarrant de Galilęa ſuperiore. Quibus & ego accedo. In libro interpretationum, *Galilææ duæ ſunt. Vna vicinia Tyrijs, de qua ſcriptum eſt, Galilæa gentium, Altera circa Tiberiadem & ſtagnum Genneſareth.* Hiero. in locis actorum, *duæ ſunt Galilææ ex quibus una Galilæa gentium vocatur, vicina Tyriorum finibus, ubi & Salomo viginti quinque urbes donavit Hiram regi Tyri in ſorte tribus Nephthali. Altera Galilæa dicitur circa Tiberiadem & ſtagnum Genneſareth in tribu Zabulon.* Anſelmus in Matthæum fol. 48. *Duæ Galilææ ſunt. Vna quæ dicitur Iudæorum:* (ubi ita dicitur?) *altera quæ dicitur gentium. Zabulon eſt in Galilæa Iudæorum: Nephthalim in Galilæa gentium. Capharnaum vero in confinio utriuſque.* In libro interpretationum Plantini, *Tradunt hiſtorici duplicem eſſe Galilæam, Superiorem ſcilicet & Inferiorem. Superior juxta Tyrum, Sydonem & Cæſaream Philippi ſita eſt, quæ Gentes attingit ad aquilonem. Hæc Galilæa gentium Matth. 4. 15. vocatur, vel quia illic gentes uſque ad Salomonis*

tempora habitarint, vel quod Hiram regi Tyriorum oblata ſit 3. Reg. 9. Hæc in tribu Nephthali ſita eſt. Inferior Galilæa circa Tiberiadem & ſtagnum Genneſaret in tribu Zabulon poſita eſt: de qua Matth. 7. & 4. Ab hac opinione temere diſcedendum non eſt: quod illi faciunt quibus nova omnia placent, vetera ſordent. Tales docti omnes rident, licet indoctis admirationi ſint. In hiſtoria Ebraica Galilæa vocatur גליל, & aliquando גלגל, niſi mendum in libris. Sane apud Gorionidem, cap. 69. גליל העליון eſt Galilæa ſuperior, ubi גררה Gerara non exiguum oppidum, quod Veſpaſianus captum evertit. Mar. 1. 16. *Mare Galilææ* vocatur ſtagnum Genneſareth, quod & mare Tiberiadis. A Galilæa τὸ ἐθνικὸν, Galilæus .i. Γαλιλαῖος. Sic olim Chriſtus dicebatur quod in Galilæa frequenter verſaretur, ubi duas patrias habuit, Nazareth & Capharnahum. Hinc Chriſtiani a Iuliano apoſtata Galilæi appellabantur. Nazianzenus Steliteut. α. pag. 103. Γαλιλαίους ἀντὶ χριστιανῶν ὀνομάζας τε καὶ νομοθετήσας &c. Invenio etiam 1. Machab. 15. Γαλιλαῖα ἀλλοφύλων, id eſt Philiſtæorum an alienigenarum?

Gamaliel.

Gamaliel phariſæus legis doctor Act. 5. 34. apud cujus pedes inſtitutus fuit Paulus apoſtolus ad exquiſitam formam patriæ legis Acto. 22. 2. Græce Γαμαλιὴλ, Ebraice vero גמליאל & Syriace גמליאיל dicitur. Petrus Galatinus autor hunc Gamalielem cognomento ſenem .i. הזקן, præceptorem habuiſſe Simeonem illum qui Chriſtum in ulnis ſuſcepit, quem Simeonem Iuſtum appellat. Quæ an vera ſint, neſcio. Hoc ſcio in libro Genealogiarum memorari quendam Gamalielem Pollionis nepotem, quem Hellel nominant, & patrem R. Simeon, in cujus diebus deſtructa fuerit Ieroſolyma.

De arcan. cathol. verit. lib. 1. cap. 2.

ſolyma. Gamaliel iſte filius erat Ben Hellel, hoc eſt filij Hellel, qui vixit centum annis ante excidium templi. De patre loquor. Nam filius Ben Hellel Chriſto coævus fuit. Ipſe Hellel apud Herodem magnum in magna gratia & autoritate erat. Diſcipulos habuit octoginta, quorum ſummus Ionathan Vzielides, minimus omnium R. Iohanan Zachæi filius, quem Veſpaſianus, quod Romanis faveret, in pretio habuit. Nam cum ex urbe obſeſſa capulo incluſus (ita mos erat mortuos efferendi) in caſtra delatus eſſet, non ſolum honorifice ipſum excepit, ſed etiam certum opidum dedit, in quo cum ſuis philoſopharetur. Qua de re dicam alias, cum plus otij nactus ero.

Gaza.

Gaza modo proprium urbis eſt, ut Act. 8. 26. modo nomen appellativum, ut Actor. 8. 27. Cum eſt proprium ſcribitur Ebraice עזה per Ain, & apud Stephanum Γάζα. Sed vocatur, inquit, etiam ἄζα. Quin hodie Syri Azan eam nuncupant. Quum appellativum eſt, tum ſcribitur גזה per Gimel. Id antiqui legebant Gaza: interpres utrumque ſcribit גזה, etiam nomen urbis. Quæ ſcriptura impoſuit multis veteribus, inter quos Mela de ſitu orbis. Stephanus quoque, *quidam tradunt*, inquit, *a Iove extructam fuiſſe, qui ibi Gazam ſuam reliquerit, unde & nomen habuit.* Nam putarunt dictam διὰ τ̃ γάζης, quam ibi Iupiter repoſuerit: fruſtra. Verum etymon עזה valida, munita, ut ſi Valentiam appelles. Gorionidus hiſt. Ebra. cap. 76. eam vocat dominam omnium urbium Edom. Idem ait eſſe primam in termino Idumeæ qua reſpicit Ieroſolymam. Nicolaus Amos 1: 6. *Nomen eſt urbis regiæ.* Strabus autor gloſſæ ordinariæ, *Metropolis civitas Philiſthinorum, qui*

nunc Palæſtini vocantur, Stephanus, *civitas eſt Phœniciæ, nunc Palæſtinæ.* Euſebius in locis, *terminus Cananæorum juxta Ægyptum, & eſt usque hodie inſignis civitas Palæſtinæ.* Cui ſubnectit, *quæritur quomodo in quodam propheta dicatur, Gaza futura in tumulum ſempiternum. Quod ſolvitur ita, antiquæ civitatis locum vix fundamentorum præbere veſtigia: hanc autem quæ nunc cernitur in alio loco, pro illa quæ corruit, ædificatam.* Nunc vulgo Gazera dicitur. Vide Maſium, pag. 201.

Gehenna.

Quæ filiis Ebræorũ Gehennom (id compẽdio ſermonis valet vallis filij Hennom) Syris dicitur Gehennam, o in a verſa, quod in hac dialecto crebrum: inde Gehenna, ut Maria dicimus pro Mariam. Nihil certius. Pro loco damnatorum uſus eſt ante Chriſtum R. Simeon filius Iohai, in libro Zohar dicto, qui primus fundamẽta jecit ineptæ illius Cabbalæ, cujus periti vulgo Cabballiſtæ vocantur, cum vera Cabbala longe alia ſit, nempe traditio a majoribus per manus accepta. De gehenna fuſe diximus cap. XVI. quibus addo definitionem Gehennæ, *Gehenna*, inquit, *Septimius Tertul. in Apologetico, cap. 47. eſt ignis arcani ſubterraneus ad pœnam theſaurus.* Iuſtinus Apologia ſecunda, pag 142. Η δὲ γέεννά ἐςὶ τόπος ἔνθα κολάζεσθαι μέλλουσιν οἱ ἀδίκως βιώσαντες, καὶ μὴ πιςεύοντες ταῦτα γενήσεσθαι ὅσα ὁ θεὸς διὰ τοῦ χριςοῦ ἐδίδαξε. Plura Hiero. Matth. 10. & Eucherius in libros Regum, pag. 202. Cabbalicis duæ ſunt Gehennæ, Superior, Inferior, quæ nomine communi ארקא vocantur, Vnde forſan Orcus appellatus. De duplici Gehenna videndus Capnio de arte Cabbaliſtica fol. 17. pag. 1. Item Ioſephus Caſtilienſis in Horto nucis, volumine ſecundo; ubi & de ſeptem pœnarum receptaculis criminum

niam reis juſto Dei judicio deſtinatis, quæ mera ſomnia ſunt hominum otio abutentium & male feriatorum. In Ilmedenu, ſectione, *Sancti eſtote*, & in Megella &c. dicunt Doctores, *Quanquam fana omnia idolorum Ieroſolyma fuerint, tamen Moloch erat extra Ieruſalem. Erat autem ſtatua ſeptem cubicula continens, facie vituli, manibus extenſis, quales ſunt hominis parati ad aliquid accipiendum a proximo ſuo, quam igne accendebant ſacrificuli, acceptoque infante ponebant inter manus ipſius Moloch: infans autem animam efflabat. Sed cur vocatur Thopheth & Hinnom? A verbo* תפף *&* בהם, *quorum alterum ſignificat pulſare tympanum; alterum vocis leonum eſt, quia pulſabant tympana & rugitum edebant, ne videlicet pater exaudita voce filij miſereretur ipſius, vel a clamore & ejulatu pueri: vel ab eo quod ſacerdotes dicebant* לך יהבה *proderit tibi. Verba ſolemnia in hac re, cum populus aliquid offerret Deo.* Zacharias in unum ex quatuor, *Nomen Gehennæ in veteribus libris non invenitur, ſed a Salvatore primum ponitur, ut inferi cruciatus deſignet. Tractum eſt itaque ex nomine loci ex cæde hominum ibi interfectorum horribilis ac fœtidiſſimi, qui dicitur Gehennom .i. vallis filiorum Hennom. In hac valle lucus erat conſecratus idolo Baal &c. Erat autem locus juxta Ieruſalem ad radicem montis Moria, ubi Siloa fluit. &c.* Quæ omnia ſumpſit ex Hiero. quem vide ſi placet Ierem. 7. 34. Ieſ. 30. verſu ultimo, & Ierem. 7. verſ. 31. Videatur quoq; Anſelmus in Matthæum. cap. 10. fol. 113. pag. 2. Legi etiam, ſed neſcio ubi, *Locus fuit ſuburbanus, olim amœnus admodum. ejus pars quædam Thopeth dicebatur, a tympanis, quæ reſonabant ibi, cum vivos liberos ſuos Deo Moloch immolarent: unde etiam vallis occiſionis .i.* גי ההרגה *vocatur.* Matth. 5, 22. *Gehenna ignis* .i. ignita, vel potius

Alias, Iglammedenu.

tius ignis Gehennæ, quia ibi continuus ignis erat comburendis cadaveribus quæ illuc projiciebantur.

Additamentum.

Septem habitationes inferni eſſe quidam memoriæ prodiderunt, ex quibus una eſt quæ dicitur Gehenna. Cum alioqui Gehenna vallis olim fuerit juxta Ieroſolymam, in qua Thopheth, quem locum Ioſias contaminavit. De regionibus inferni, quas מדורין appellant videndus Manahem Ricinenſis 154. 4. De Simeone Iohai F. non ſiquet utrum ante Chriſtum vixerit. Auctorem antiquiſſimum fuiſſe credo. Librum autem ejus, quem Zohar vocant, a diſcipulis ejus compoſitum fuiſſe ipſi met Iudæi non diffitentur. Nam facit in eo mentionem punctorum vocalium, quæ ante Hieronymum non fuiſſe adſcripta conſtans opinio eſt.

Genneſar.

Genneſar, duplici NN. ſcribi malim quam Geneſar, unica: & Genneſareth cum t, aſpirata, quam Genneſaret cum t, ſimplici. Reperio & Γεννησαρὰ. Genneſar, Genneſara, Genneſareth, ut Nazar, Nazara, Nazareth, quod & ναζαρὲτ in euangelio ſecundum Lucam. Sic γεννησαρὲτ Matth. 14. 34. Quale & Ελισαβὲτ, quod Latini ſcribunt Eliſabeth. Similis paragoge eſt in ευιλὰτ. Nam Ebraice eſt חוילה Havila vel Hevila Gen. 25. 18. Huc retulerim τωβὶτ, quod in codicibus Græcis, cum in Ebræo ſit טובי Tobi, ex quo Munſterus Tobæum fecit .i. טובי. In libro nominum, *Genneſar, ortus principium.* Id olim emendavi *hortus principum.* Nam שר ſive גר princeps. Sed retineo veterem ſcripturam *principium,* qui eſt antiquus genitivus, quem Pandectæ Florentinæ agnoſcunt. Iuſtinus lib. 1. *Occiſis magis, magna quidem gloria recepti regni principium fuit.* Sic civitatium, ſapientium,

pientium, hominium. Salluſtius, *Iugurtha aut quiſquam hominium ſatis placebat.* Plura in veteri commentario, cap. 24. Heſychus Γηννησαρὲτ, πατρὶς ἀρχόντων. Eſſet autem κῆπ☉ ἀρχόντων. Sed videtur potius corruptum ex Ebraico כנרת inſerta littera ס & כ in ג verſa. Sic alternant & ſe invicem explicant כפף & גבב incurvo, זכוכית & זגוגית vitrum. Ptolomæus fol. 40, pag. 2. γεννησαριτιδὴν lacum memorat, juxta quem dicit eſſe Ιορδάνου fluvij partem. Gorionides compoſitor hiſtoriæ Ebraicæ, cap. 67. *Accidit autem cum veniſſet ipſe ad labrum maris quod eſt Gennoſar.* Ebraicæ אשר לגנוסר. Sic vocatur etiam in opere Thalmudico. De hoc lacu Egeſippus lib. 3. cap. 26. inter alia ſcribit, criſpantibus aquis auram de ſeipſo ſibi excitare: *Vnde & Genneſar*, inquit, *dicitur, Græco vocabulo, quaſi generans ſibi auram aqua dulcis, & ad potandum habilis.* Et mox, *Prætendit autem regio Geneſar, ejuſdem nominis lacum, mirabili natura gratia & ſpecie pulchritudinis. Nam & ſpontaneos fructus ſoli ubertas miniſtrat, & memorum ferax in univerſa genera ſponte ſe ſubrigit: arborum pomiferarum & culturæ ſolertia imitata naturam, in quos voluit uſus, opimæ fœcunditatis deflexit gratiam, ut nihil ſit illic quod natura negaverit, nihil quod cultura prætererit &c.*

Geraſenorum regio.

Geraſenorum habet editio Latina vetus, ubi Græci legunt Γεργησηνῶν Matth. 8. 28. & Γαδαρηνῶν Marc. 5. 1. item Luc. 8. 28. Quanquam exemplaria variant. Nam in aliis eſt γαδαρηνῶν, Gadarenorum, & in aliis Γερασηνῶν, Geraſenorum. Syrus autem habet דגדריא .i. Gadaræorum aut Gadarenorum, ut promiſcue Nazaræus dicimus & Nazarenus. Nondum plane ſcio quid ſequendum ſit. Dies nos certiora docebit. Origenes tom. 8.

in Io-

in Iohannem, *Gergeſa, a qua Gergeſai, urbs eſt antiqua juxta ſtagnum, quod nunc Tyberiadis vocamus, juxta quam rupes eſt ſtagno adjacens, e qua oſtenditur porcos a dæmonibus in præceps delatos fuiſſe.* Idem ibidem, *Geraſa urbs eſt Arabiæ, neque mare neque ſtagnum in propinquo habens.* Plane firmant ſcripturam Γέργεσηνῶν. Contra videtur improbare eam quæ habet Γερασηνῶν: quam tamen Euſebius agnoſcit. Nam in libro locorum ita ſcribit, *Geraſa urbs inſignis Arabiæ. Quidam autem ipſam eſſe Gadaram exiſtimant. Sed & euangelium meminit Geraſenorum.* Idem tamen in eodem libro, *Gergeſa, ubi eos qui a dæmonibus vexabantur Salvator reſtituit ſanitati: & hodieque ſuper montem viculus demonſtratur juxta ſtagnum Tiberiadis, in quod porci præcipitati ſunt.* Anſelmus in Matthæum, *Geraſa eſt urbs Arabiæ trans Iordanem, juncta monti Galaad, quem tenuit tribus Manaſſe, non longe a ſtagno Tiberiadis, in quod porci præcipitati ſunt.* Eadem habentur in Zacharia Chryſolitano epiſcopo, pag. 105. Ad Marci locum annotat Theophilactus pro Γαδαρηνῶν in libris melioribus eſſe Γεργεσηνῶν. Videntur autem Γαδαρὰ & Γεργεσὰ duorum opidorum vicinorum eſſe nomina in altero latere lacus Genneſareth. Quod diſerte affirmat Emmanuel Tremellius ita ſcribens, *Opida erant diverſa Gadara, a quo Gadareni, & Gergeſſa ſive Geraſa a quo Geraſeni vel Gergeſſeni: ſed ambo vicina erant ad lacum Geneſareth ſita.* Vide notas Caſauboni ad locum Marci.

Gethſemani.

Nomen χωρίυ codices Græci: *loci*, editio Syra: (nam דוכתא locus) *villa*, Latina vetus: *vallis*, liber interpretationum, qui eam ponit ad radices montis Oliveti, & ſcribi debere ait Geſemani, contra omnium codicum fidem. Ceterum Græca exemplaria variant.

Nam

Nam in aliis eſt γεθσημανῆ, & in aliis γεθσημανεὶ, quam ſcripturam ſecutus videtur interpres noſter. Nam eadem eſt cum γεθσημανὶ, ut ἠλεὶ dicimus & ἠλὶ pro eodem. Sic ἐλωεὶμ & ἐλωὶμ. Euſebius de locis, *Gethſemani, locus ubi Salvator ante paßionem oravit. Eſt autem ad radices montis Oliveti nunc eccleſia deſuper ædificata.* Hiero. in nominibus ex Matthæo, *Gethſemani, vallis pinguedinum.* Idem in Matthæum, *Gethſemani interpretatur vallis pinguiſſima.* Et Ier. 31. *Unde & locus in quo comprehenſus eſt DOMINUS vocatur Geſemani, quod in lingua noſtra vallem pinguedinis ſonat.* Et Ieſ. 28. lib. 9. *ſuper vallem pinguium, id eſt Geſſemanim, in qua etiam nomen loci ſignificatur, in quo Iudas DOMINUM tradidit.* Vide pag. 101. & 102. & pag. 179. col. 1. & pag. 298. in Ieremiam, ubi lectum ſcriptum Geſemani .i. גי שמני vallis pinguedinum. Angelus Caninius, *Gethſemani non eſt vallis pinguium (Geth enim Ebraicum non eſt) nec prælum olei, ut quidam ſomniat. Sed ſunt duo vocabula Syriaca,* גת שמן *pecuaria butyri.* Videamus. Geth antiqui legebant pro גת Gath. Id qui negat Ebraicum eſſe, negat ſolem lucere in meridie aut bis duo quatuor eſſe. In eadem lingua שמן ſignificat oleum. Dicam nunc quid mihi videatur. Syrus habet גדסמן Gedſimam: ex eo conjicio ſcriptum aliquando fuiſſe גי דשמני & poſtea δ in ϑ mutaſſe culpa librariorum. גי vallis, דשמני .i. pinguium ſive pinguedinum, ab ubertate ſoli ſic dicta fortaſſe. In דשמני articulus eſt Syriacus, de quo in Grammatica noſtra Chaldaica, quam Radæus recens excudit. Hoc pono, non ſtatuo.

δ & ϑ de facili inter ſe permutantur. Contra factum in Γολιὰδ pro Γολιὰϑ.

Gog.

Apocalypſ. 20. 8. τὸν Γὼγ καὶ τὸν Μαγὼγ. In libro nominum, *Gog*, δῶμα .i. tectum. Ebraice גג tectum. Gag, Gog, ut Adam, Odom: Corbana, Corbona.

Theodoretus Ezec. 38. φασὶν εἶναι ταῦτα Σκυθικὰ ἔθνη. Loquitur de Gog & Magog. Dictionarium Theologicum, *Ezeciel conjungit Gog & Magog, & ſignificat ſeptentrionales gentes eſſe: ideo conſentaneum eſt Scytas, a quibus Turci profecti ſunt, his appellationibus indicari.* Locus eſt Ezec. 38. 39. Turcæ hodie dicunt Giok vel Kioc, unica ſyllaba: unde Kioc Gan, qui alibi Gog Kan, & Gog Elp, qui & Gukelp. Leonclavius in Pandectis hiſto. Turci. pag. 186. Ioh. Baptiſta, contra Iudæos in prologo partis ſecundæ, *Gog nomen eſt regis dominantis ſuper populo ſeu loca qui Magog nuncupatur. Attamen non dubitatur quin ipſe ſit quem Chriſtiani Antichriſtum appellant.* Verius ut ſit nomen gentis. Vide Beroaldum Chronol. lib. 4. cap. 6.

Golgotha.

Matth. 27. 33. εἰς τόπον λεγόμενον Γολγοθᾶ, ὅ ἐστι λεγόμενος κρανίου τόπος .i. calvariæ locus. Syrus habet גגולתא Gagultha. In hoc nomine excidit littera, ut in aliis nonnullis. Nam eſſet Golgoltha, nempe ex Ebræo גלגלתא Golgoleth .i. calua ſive caluaria. Sic שושלתא invenitur pro שלשלתא catenæ, & קקלתא pro קלקלתא ſtercus aut ſterquilinium. Sic Babel dicebant pro Balbel σύγχυσις, & אתרורב magnificatus eſt pro אתרברב. Quod noto, ne quis arbitretur vocem corruptam eſſe. Neque enim aſſentior Caninio ita ſcribenti, *Corrupte ſcribitur a Græcis γολγοθᾶ detracto altero λ pro γολγολθᾶ .i. cranium vel calua mortui præſertim. Erat enim cippus Iudæorum.* Saltem non eſt a ſcribis corrupta: Nam de vulgo nolim contendere. Magis inclino ut ſit ablata littera per ſyncopen ex conſuetudine illius ævi. De nominis etymo varia ſententia eſt. Quidam exiſtimant fuiſſe cippum Ebræorum, ut Caninius, cujus verba modo produxi.

duri. Alij cenſent colliculum fuiſſe ſic dictum a rotunditate cranij ſpeciem referente. Vide Theodorum. Aliter Epiphanius contra hæreſes lib. 1. *Golgotha cranij ſive caluariæ locum interpretantur, quia primum formati hominis Adam caluaria illic inventa eſt, & illic reliquiæ ſitæ erant.* Credula nimis antiquitas hoc accepit a Iudæis. Athanaſius de paſſione & cruce DOMINI, pag. 647. *Magiſter Ebræorum dicit ſedem eſſe ſepulchri Adæ. Ibi enim poſt maledictionem eum humatum eſſe aſſeverat.* In libro locorum, *Golgotha, locus caluariæ, in quo Salvator pro ſalute omnium crucifixus eſt: & uſque hodie oſtenditur in Aelia ad ſeptentrionalem plagam montis Sion.* Et nominum, *Golgotha, caluaria. Syrum eſt, non Ebræum.* In comment. Hiero. ſuper Matthæum ſcriptum Golgoltha: ſed ea audacia qua multa alia vocabula ibi ſcribuntur, quæ ad veterem conſuetudinem interpolanda erant, non ad hanc novam, quam Hiero. ignoravit.

Gomorra.

Gomorra Ebraice dicitur Amora unica R, quam Græca conſuetudo geminat. עמורה Gomorra, ut עזה Gaza. Matth. 10. 15. γῆ Γομόῤῥων terræ Gomorrorum i. urbi & regioni circumjacenti. Territorium vocant. Aut terram pro urbe poſuit, ut Euripides in Hecuba. Matth. 2. 6. γῆ Ἰούδα quidam interpretantur urbs Iuda i. Iudeæ. τὰ Γόμοῤῥα, ita dicitur ut τὰ Σόδομα. Gentile Gomorrǫus & Gomorranus: unde *populus Gomorrinus* proverbij loco dicitur de populo planè improbo ac flagitioſiſſimo.

Haceldema.

Vide Aceldema. Syrus ſcribit חקל דמא Haceldema, quod interpretatur קוריית דם ager ſanguinis. Nam קוריא ager. Dicunt & קוריתא eodem ſignificatu. Aliquando

vici & pagi eo vocabulo ſignificantur. Videtur corruptum eſſe ex Græco χωρίον. Sic ex ἀγρὸς dictione Græca fecerunt אגורסא Agurſa. Eſſet autem Agroſa. Nam Aleph additum ex conſuetudine gentis. In eadem editione τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν, redditum בלשנה דאתרא lingua loci illius. Nam dialectus pro lingua ponitur: unde etiam vulgatus interpres *lingua eorum*: & alius, *propria ipſorum lingua*. Contra lingua interdum idem quod dialectus. Eſt autem dialectus proprie in eadem alioqui lingua peculiaris loquendi modus, veluti apud Græcos cum una ſit lingua quinque tamen ſunt dialecti. Sed latiore ſignificatione ſumitur Act. 2. 8. & alibi. Sic dico, ſuus & proprius cujuſque gentis ſermo .i. diverſorum populorum diſcrimen loquendi ſive ſint ejuſdem linguæ ſive non, vocatur διάλεκτος.

Halleluia.

Scribi debet Halleluia cum aſpiratione, non Alleluia. Nam Ebraice eſt הללויה quod compoſitum ex verbo הללו laudate, cujus pauſa הַלֵּלוּ & nomine יה Dominum ſignificante: & eſt unum ex decem nominibus Dei, decurtatum, ut creditur, ex tetragrammato יהוה. Id Hiero. quodam in loco ait ex duobus Ia compoſitum eſſe, cui tamen in eo non aſſentior. Quidam ſcribunt Iah cum aſpiratione in fine: quod non abhorret penitus a Latinorum conſuetudine. Virg. *Ah miſerum Euridicem: Ah miſeros nautas.* Heſychius, ἀλληλούια, αἶνος τῷ ὄντι θεῷ· αἰνεῖτε τὸν κύριον. Mirum unde deſcripſerit. Halleluia, αἰνεῖτε τὸ ὄν. Sic olim Theodotio vertit. Sic etiam Iuſtinus interpretatur. Male in vulgatis fragmentis θεὸν legitur pro τὸ ὄν. Nam יה τὸ ὄν, idem videlicet cum יהוה. In editione Latina Iuſtini, *Laudate concinne, id quod eſt*. Græca habent ὑμνήσατε μετὰ μέλους τὸ ὄν. Locus eſt in Quæſt. ad Orthodoxos.

Samaritana lectio erat Iave, a quo forte decurtatum Ia.

doxos, quæſt. 50. Gloſſarius Philonis, *Hallel*, *laus* .i. αἶνος. Inde forte Heſychius accepit αἶνος τῷ ὄντι θεῷ. Nam quod ſequitur αἰνεῖτε κύριον aliunde ſumpſit. Hiero. in nom. de Apocalypſi, *Alleluia, laudate*. corrige, *laudate Dominum*. Res eſt; non conjectura. Theodoritus Pſal. 110. *Halleluia laudate Dominum ſonat. Sig. enim Hallelu, laudate; Ia, Dominum, vel eum qui eſt.* Idem Pſal. 112. ad locum, *Laudate pueri Dominum*, *Laudate*, inquit, *Ebræus Hallelu dixit* (ita leg. non Halleluia) *ut ſit manifeſtum quoniam Halleluia, laudate Dominum interpretatur.* Hiero. Ieſ. 26. *Ia inviſibilem ſonat, quod in Halleluia extrema ſyllaba ponitur.* Inviſibilem .i. ἀόρατον. Quid in mente habuit cum hoc ſcriberet? Idem epiſt. 137. *Halleluia, laudate Dominum. Ia quippe apud Ebræos unum de decem Dei nominibus eſt.* Erat & hymnus hoc nomine in Eccleſia Iudaica, quem Schira .i. שירה vocabant. Tobi. 13:22. *in omnibus vicis ejus Halleluia cantabitur.* Caminus Pſal. 104. in extremo, *Centum & tres pſalmos cecinerat David: ſed non cecinit Schira, donec vidiſſet ruinam improborum.* Quibus deinde ſubnectit Rabbinus ille, *Halleluia inter omnes cantiones maxime excellit, quia comprehendit* שיר *canticum, &* שבח *laudem ſive hymnum.* Et in Eccleſia Chriſtiana, qui olim canebatur ſingulis diebus dominicis, teſte Auguſtino, epiſt. 120. cap. 15. Idem cap. 17. *Vt autem Halleluia*, inquit, *per illos ſolos dies quinquaginta* (intelligit dies qui Paſcha inſequuntur) *in Eccleſia cantetur, non uſque quaque obſervatur. Nam & in aliis diebus varie cantatur, alibi atque alibi, ipſis autem diebus dominicis ubique.* Erat etiam Halleluia magnum, vel magnus, ut hymnus ſubintelligatur, qui conſtabat ſex pſalmis, videlicet 113, 114, 115, 116, 117, & 118, cujus initium, *Laudate ſervi DOMINVM*. Hunc hymnum

Ebræi canunt in nocte Paſchatis poſt comeſum agnum, de quo intelligunt illud Matth. 26. 30. *Et hymno dicto exiverunt in montem olearum.* Vide Paulum de ſancta Maria archicancellarium Iohannis regis Caſtellæ & Legionis epiſcopum Burgenſem Pſal. 112. addit. 1. Rurſum Auguſtinus epiſt. 178. in altercatione habita cum Paſcentio Arriano, *Nam ſciendum eſt, Amen & Halleluia, quod nec Latino, nec Barbaro licet in ſuam linguam transferre, Ebræo cunctas gentes vocabulo decantare.* Quod noto, quia unum ex illis eſt quæ a Iudæis ad Græcos manarunt, & inde ad Latinos. Habetur autem Apoc. 19. 1. 3. 4. & 6.

Hebræus.

Hebræus cum adſpiratione Græca conſuetudo. Malim tamen Ebræus, de quo ſuo loco. Ebraice .i. ἑβραϊςὶ aliquando valet Syriace, ut Iohan. 5. 2. & 19. 13. 17. ut neſcias fueritne titulus crucis Ebraica lingua ſcriptus, an Syra Iohan. 19. 20. Quæri etiam poteſt an quod habetur Act. 26. 14. ſit intelligendum de lingua Ebraica proprie dicta?

Heli. Vide Eli.

Hemor.

Hemor cum adſpiratione .i. חמור. Græce Ἐμμὼρ vel Ἐμμὸρ, variantibus libris. Pro Ἐμμὸρ malim Ἐμμώρ. Act. 7. 16. *A filijs Hemor filij Sichem.* Sic interpres vetus. Græce eſt παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχὲμ, quod alij reddunt *patris Sichem*, & melius. Nam Sichem filius fuit Hemor. Scire licet in articulo non filium tantum, ſed etiam patrem ſubintelligi, ut etiam uxorem. Ab hoc Iacob emit ſepulchrum, non Abraham, licet in libris vulgatis omnibus Ἀβραὰμ legatur. Quod accidiſſe putarim culpa manus aberrantis. Vt ut ſit, error ille

non eſt recens, ſed pervetus, quem etiam Syrus ſecutus ſit, qui tamen illud τῷ Συχὲμ omiſit. Nodus facile poſſet expediri ſi ſcriptum eſſet ὁ Ἀβραάμ. Nam tum υἱὸς intelligeretur. Aut eſt Abraham, ut alibi David pro filius David. Sed hoc durum videtur. Nam Chriſtus David vocatus & filius David, ſed alia atque alia ratione.

Henoch.

Henoch, non Enoch. Nam Ebraice eſt חנוך cum adſpiratione duplici. Iudę 14. *Prophetavit autem de iſtis ſeptimus ab Adam Henoch, dicens, Ecce venit DOMINVS cum ſanctis myriadibus ſuis* &c. Incertum eſt utrum hoc ſumpſerit ex libro apocrypho, quem Tertullianus laudat, an aliunde. Certe non ex canonico, quia tum ſequeretur aliquid ex canone interiiſſe, quod non eſt admodum credibile. Hiero. exiſtimat ſumptum ex libro apocrypho quem tamen ideo inter Eccleſiæ ſcripturas non recipit. Liber iſte hodie adhuc extare dicitur apud Æthiopes in regno reginæ Sabæ Abyſſina lingua, quem Origines citat Hom. 28. & contra Celſum lib. 5. fol. 69. col. 2. & περὶ ἀρχῶν lib. 4. fol. 157. col. 2. Nos etiam aliqua de illo in Quæſitis noſtris, epiſt. 102. quæ ad Robertum Belum. Ebræo. 11. 5. *Fide Henoch tranſlatus fuit ne videret mortem*, hoc eſt, ne moreretur. Quod quomodo intelligendum ſit, viderint eruditi. Indocti doctorculi temere affirmant quod non intelligunt. Aut non vidit mortem communem, aut ſi eam vidit, Deus rapuit eum ne malitia mutaret intellectum ejus, ut ſenſus ſit, ne videret mortem peccatorum. Peccatores enim mortui vocantur, ex quo illud, *Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Diximus hæc de re alibi, quæ non repeto.

Her.

Luc. 3. 28. *qui fuit Her*. Scribi mavelim Er, abſque adſpiratione. Nam Græce eſt Ἢρ & Syriace עיר. Nomen hoc extat Gen. 38. & 1. Paralip. 4. ubi ער ſcriptum.

Hermas.

Rom. 16. 14. Ἀσπάσασθε Ἑρμᾶν .i. Herman. Origenes ad hunc locum, *Puto quod Hermas iſte ſit ſcriptor libelli illius, qui Paſtor appellatur: quæ ſcriptura valde mihi utilis videtur, & , ut puto, divinitus inſpirata.* De hoc libro diverſa & varia erant aliorum judicia, quæ recenſui in Quæſitis meis epiſtola CVI. Paſtor vocatur quia angelus in ſpecie paſtoris apparuit. Hunc inter libros apocryphos enumerat Hiero. in prologo Galeato: quem locum quidam non intelligens ait Paſtorem eſſe tertium Machabæorum, & ſuo more vulgatam receptamque lectionem emendat, nimis inſcite imperiteq;. Meminit Origenes περὶ ἀρχῶν lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 1. & lib. 3. cap. 2. & lib. 4. cap. 2. & alibi. Verba ex libro primo, quia corrupta ſunt, bono Origenis nunc producam, *Nam & in eo libello, qui Paſtoralis dicitur de angeli poſitione, quem Hermes conſcripſit, ita refert. Primo omnium crede quod unus eſt Deus* &c. Vbi perſpicue legendum, *quem Hermas conſcripſit*. Nam Hermes Græcum nomen eſt, & ſignificat Mercurium: cujus meminit etiam Apoſtolus in loco ſupra citato, ut dubitare non debeamus quin diverſa plane nomina ſint. Quanquam Petrus quoque Lombardus ſive Longobardus ea confundit lib. 4. diſtinct. 35. ubi teſtimonium producit ex viſione quinta, mandato quarto. Vide, ſi placet, & ſi vacas. In libro nominum, *Herman, anathema noſtrum*, חרמן. male in libris, *Hermam*. Nam חרמכם .i. anathema eorum. Sed

Latina conſuetudo mutat Græcum ν in μ, Ερμᾶν, Hermam. Inde mendum, ſi mendum appellari poteſt.

Herodes,

Nomen hoc varie ſcribitur, Ηρώδης Herodes: Ορώδης, quod quidam aſpirant, alij leniter ſcribunt: Υρώδης, Hyrodes. Quod poſtremum legitur apud Plutarchum in Craſſo. Appianus in Syriacis, *Mithridates Parthorum rex pulſus ab Orode fratre, ope Arabum, ſuum regnum recepit.* Hunc quidam colligunt nomen Parthicum eſſe. Cui opinioni firmandæ eſt Strabo lib. 15. ubi de regibus Parthorum, *Arſacidæ vocantur omnes, proprie quidem hic Orodes, ille Phraates &c.* Quocirca de eo interpretando laborare non debemus. In hiſtoria Ebraica reperio הורודוס Horodos, cum aſpiratione, & אורודוס Orodos, abſque adſpiratione. Syri vero pronuntiant, Hiraudes, ο in αυ mutantes. Ceterum plures fuerunt hoc nomine, ſed tres tantum memorantur in novo fœdere, videlicet Herodes cognomento magnus, & alter tetrarcha Antipas dictus, qui Iohannem baptiſtam decollavit, quem Gorionides Antipatrem vocat. Tertius eſt Herodes Agrippa, magni nepos ex Ariſtobulo filio: cujus mentio Actor. 12. 23. qui a vermibus corroſus, καὶ τῷ τῆς γαστρὸς ἀλγήματι, ut eſt apud Ioſephum, interiit. Primi Herodis meminit euangeliſta Matth. 2. 1. ſub quo natus fuit Chriſtus, qui patrem habuit Antipatrem, avum Herodem Aſcalonitam, ex eorum numero qui Apollini miniſtrabant: unde apud Euſebium hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 8. Αντίπατρον Ηρώδου τινὸς ἱεροδούλου παῖδα. Obiit ſeptimo menſis Chaſleu, ut ſcriptum in volumine jejunij, quem diem ideo pro meliore habent. Sed de ejus exceſſu vide ſis Scaligerum de emendatione temporum, pag. 239. Stemma hujus Herodis, quoniam

ad intelligendum hiſtoriam Ebraicam perneceſſarium eſt, alias a me vulgabitur, ſi Deus voluerit.

Herodiani.

Herodiani Iudæi erant qui Herodem Chriſtum eſſe credebant, Epiphanius contra Hæreſes lib. 1. Damaſcenus de Hæreſibus. *Herodis milites, ſeu quos illudentes Phariſæi, quia Romanis tributa ſolvebant, Herodianos vocabant & non divino cultui deditos*, Hiero. in 22. caput Matthæi. Idem ſubjungit, *Quidam Latinorum ridicule Herodianos putant, qui Herodem Chriſtum eſſe credebant: quod nuſquam omnino legimus.* Hucuſque Hiero. *Forſitan in populo tunc qui dicebant oportere dare tributum Cæſari, vocabantur Herodiani ab his qui hoc facere recuſabant.* Origenes in Matthæum. דביח הרודס *domeſtici ſive aulici Herodis*, interpres Syrus. Vide nunc quæ ſcripſimus in priore commentario cap. 23. Sed & Septimium Tertullianum de præſcriptione adverſus hæreſes, cap. 45. & Pamelium ad illum locum. Perſius Satyr. 5. *Herodis venere dies* &c. Ad hunc locum notatum in Gloſſario veteri: *Herodes apud Iudæos regnavit temporibus Auguſti in partibus Syriæ. Herodiani ergo diem natalem Herodis obſervant, ut etiam ſabbatha: quo die lucernas accenſas & violis coronatas in feneſtra ponunt.*

Herodias.

Filia regis Arethæ, Anſelmus Matth. 14. *Ariſtobuli filia ex Bernice*, Suidas in Herodes. *Neptis Herodis magni ex Ariſtobulo*, alius. Videatur Gorionides cap. 59. in principio, & Ioſephus lib. 18. cap. 7. Hujus filia, quam ex Philippo ſuſceperat, Salome dicebatur. Ita enim certe Ioſephus eam nominat. Mentio Herodiadis Matth. 14. 3. & alibi. Syrus habet הרודיא Herodia.

Hoſanna.

Hoſanna.

Hoſanna an Oſanna ſcribas parum refert. Nam Syri aſpirationem Ebræorum leniter efferre ſolent, dicentes אושענא, quod in eorum lingua ſonat *ſerva nos*: ſed Ebraicum eſt הושענא contractum ex הושיע ſive הושיעה & particula נא quæ nunc aut quæſo ſignificat: unde recte Græci reddunt σῶσον δή, opitulare nunc, aut obſecro, quæſo. Locus eſt Pſal. 117. unde id ſumptum arbitrantur, אנא יהוה הושיעה נא, quem laudat Euſebius Ἀποδειξ. lib. 9. per hæc verba, τὸ γὰρ ἑβραϊκὸν, inquit, ἀννὰ Ἀδωναὶ ὠσαννὰ περιέχει. Ex quo emendabis Chryſoſtomum Hom. 11. in Marcum. Nam ubi vulgo Iehova Hoſchiahna, legendum abſque ullo dubio Adonai Hoſanna, vel certe Hoſiana. Verba ſunt, *Quod enim dicitur in editione LXX.* ὦ κύριε σῶσον δή, *in Ebræo habetur, Adonai Hoſanna .i. DOMINE ſalvum fac obſecro.* Nam adduci non poſſum, ut credam Chryſoſtomum aliter ſcripſiſſe. Sic apud Hiero. comment. in Pſalmos, ubi corrector Marianus poſuit *Iehova*, in veteribus Eraſmi legitur *Iao*. Quam lectionem veram eſſe non dubito. Siquidem Iehova inauditum ante hæc tempora nomen. Porro germana interpretatio, σῶσον δή, vel Syriace *ſerva nos*. Ceteræ quæ leguntur apud Theologos veteres, adulterinæ ſunt, ut μεγαλοσύνη ὑπερκειμένη apud Iuſtinum, pag. 255. *hymnus*, apud Euthymium monachum Sigabonum. *vox lætantis*, apud Auguſtinum de doctrina Chriſtiana lib. 2. pag. 18. *redemptio domus David*, apud Hilarium Matth. 21. Rurſum Auguſtinus tract. 21. in Iohan. *Vox autem obſecrantis eſt Oſanna, ſicut nonnulli dicunt, qui Ebræam linguam noverunt, magis affectum indicans, quam rem aliquam ſignificans, ſicut ſunt in lingua Latina, quas interjectiones vocant: velut cum dolentes dicimus*

Heu: vel cum delectamur vah dicimus: vel cum miramur dicimus, ô rem magnam: tunc enim ô nihil ſignificat niſi mirantis affectum. Quod ideo credendum eſt ita eſſe, quia neque Græcus neque Latinus hoc interpretari potuit, ſicut illud, qui dixerit fratri ſuo raca: nam & hæc interjectio eſſe perhibetur, affectum indignantis oſtendens. Autor operis imperfecti in Matthæum, *Hoſanna quidam interpretantur gloriam & redemptionem: alij ſalvifica vel ſalvum fac.* Beda in Mathęum, *Notandum quod Hoſanna verbum Ebraicum compoſitum eſt ex corrupto & integro. Salva namq; ſive ſalvifica apud eos dicitur Oſi: anna vero eſt interjectio deprecantis, ut heu apud Latinos dolentis, papæ admirantis* &c. Nomen hoc alia duo præterea ſignificat. Nam erat precatio quæ dicebatur Hoſanna, unde הושענא גדולה Hoſanna magnum ſive majus: & Hoſanna dicuntur faſciculi ſalicum, ut in Thargum Eſther, *faciunt ſibi hoſanna*; & in Thalmude, cap. Lulab hagazul, *qui nectunt hoſanna* .i. faſciculos ſalicum. Legitur & הושעני in numero multitudinis. Gloſſographi ſalices interpretantur. Sed Caninius annotat transferri etiam ad aliarum arborum ramos, quos in feſto tabernaculorum geſtabant, ut ſunt cedrorum, palmarum, myrtorumve. Vide ipſum in locis N. T. cap. 21. Munſterus in notis quas edidit in exemplar Ebraicum Matthæi euangeliſtæ, pag. 302. & 303. *Decima quinta Theſri .i. Septembris vocabatur dies ſalicum .i.* ערבה: *eo die clamabant Hoſanna geſtantes ramos ſalicum* &c. Vide nunc, ſodes, comment. veterem, cap. 18.

Hyſſopus.

Iohan. 19. 29. καὶ ὑσώπῳ περιθέντες. Interpres vetus *& hyſſopo circumponentes.* Eſt autem hyſſopus notę herbę nomen. Ebraice אזוב dicitur. Vox ergo eſt domo Ebraica. Nonnus habet ὑσώπῳ κεκερασμένον, nempe acetum exiſtimavit

mavit hyſſopo miſtum fuiſſe. Camerarius divinat aliquando ſcriptum fuiſſe ὑσσῷ προπεριθέντες, ut ſignificet ſupra pilum ſpongiam ibi circumdatam fuiſſe Ieſu oblatam. Nam ὑσσὸν pilum, Romanę militiæ peculiare telum. In editione Syra סמו על זופא *poſuerunt ſuper hyſſopum*, ſive *hyſopum*. Nam utroque modo ſcribitur. Arabice Sufe, hyſopus. Apud Simonem Ianuenſem in clavi ſanationis, *Sufe ratab* זופא רטב *hyſſopus humida: Sufe Iobes* זופא יבש *hyſſopus ſicca*. Stephanus Arabicarum vocum collector etiam Sufa ſcripſit .i. זופא quod rectius Zufa vel Zupha ſcriberetur. Sed interpretes hæc tam accurate non obſervant. Vide nunc, ſi placet annotationes Theodori. Adito etiam ad Cadmum noſtrum.

Iacobus.

Iacobi duo fuerunt inter diſcipulos, Iacobus Zebedæi F. Matth. 4. 21. frater Iohannis Marc. 3. 17. & 5. 37. ab Herode occiſus Actor. 12. 2. & Iacobus Alphæi F. Matth. 10. 3. qui frater Domini vocatur Galat. 1. 19. & Iacobus minor Marc. 15. 40. Ieroſolymitanæ eccleſiæ præeſt Act. 12. 17. & 15. 13. & 21. 18. Vxorem habuit Mariam nomine, quæ propterea Maria Iacobi dicitur Luc. 24. 10. fratrem Iudam, cujus extat epiſtola inter canonicas. Iud. 1. *Frater DOMINI dicebatur propterea quod eſſet filius Mariæ materteræ Ieſu. ipſa eſt Maria Cleophæ.* Beda, citante Zacharia Chryſopolitano epiſcopo, pag. 357. Euſebius hiſt. eccleſ. lib. 2. cap. 1. ex Clemente meminit Iacobi cognomento Iuſti, qui Ieroſolymorum primus epiſcopus & de pinna templi dejectus fuerit: item alterius, cui Herodes caput amputaverit. Sunt qui tres Iacobos faciunt, ſed eos errare putarim. *Iacobus minor filius fuit Alphæi & Mariæ, ſororis Mariæ virginis, quod ex Iohan. 19. colligi poteſt.*

Hic erat epiſcopus Ieroſolymæ. Chryſoſtomus hom. 33. in Acta Apoſt. *Frater DOMINI dicebatur eo quod eſſet filius Ioſeph, qui Christi quaſi pater habebatur.* Euſebius hiſt. eccleſ. lib. 2. cap. 1. *Quidam tradunt fuiſſe filium Ioſeph ex priore uxore, quæ convenerat ipſi antequam duceret Mariam.* Orig. in Matth. pag. 62. Loquor de fragmento Origenis, quod Eraſmus edidit.

Iambres.

Iambres Ἰαμϐρῆς alter principum magorum Pharaonis, qui Moſi reſtiterunt. Meminit Ionathan Exod. 1. 15. ubi ימברים vocatur, quod antiqui legebant Iambres. Vide quæ ſcripſimus in Mambres.

Ianne, Iannes.

Iannes iſte creditur eſſe is quem Ioſephus Iohannem Hyrcani appellat, qui fuit ultimus princeps de domo Iechoniæ, cujus bona Epiphanes fiſco addixit: atque hinc Christi familiæ paupertas.

Luc. 3. 24. *qui fuit Ianne.* In libris Græcis eſt τοῦ Ἰαννὰ, qui fuit Ianna, vel, ſi placet, Iannæ, cum diphthongo. Ianna, Iannæ, ut Iuda, Iudæ. Ianhe abſque diphthongo .i. ינאי, nun per dages geminata. Syrus habet יאני Iani, niſi legendum יאני. Iane. Addito S diceremus *Iannes*, ut *Ioſe, Ioſes:* quod nomen extat 2. Timoth. 3. 24. Græce eſt Ἰαννῆν. Celebrem autem hunc magiæ nomine fuiſſe teſtatur Plinius lib. 30. cap. 1. his verbis, *Eſt & alia magices factio a Moyſe & Ianne & Iotape Iudæis profecta.* Sic enim ex emendatis codicibus hunc locum legit doctiſſimus Theodorus. Conſule Parallela mea, pag. 122. col. 2. Iannes iſte in Thalmude vocatur יוחני; & in Ionatha Exod. 1. 15. ינים, & apud Apulejum Apolog. 2. *Ioannes*, niſi legendum ibi *Iannes*, ut Coluius emendat.

Iared.

Luc. 3. 37. *Qui fuit Iared.* Græce τοῦ Ἰάρεδ. Syriace autem, *filius Iared.* Sed Ebræi dicunt Iered. ירד Iared, ut

ut חבל Habel, פרץ Phares: quæ in pauſa mutant prius ſegol in camets: unde Iared &c.

Iaſon.

Nomen hoc Græcum eſt, non Ebraicum. Scire licet Helleniſtas olim uſos fuiſſe pro nomine Ieſus. Vnde Iaſon frater Oniæ vero nomine Ieſus vocabatur. Sed Iaſon appellari maluit. Euſebius in Chronico. Ioſephus Orig. Iud. lib. 12. cap. 6. Sic reperias qui libentius audiunt Ianus, quam Iohannes, & Iuſtus, quam Iodocus. Ieſus ille primus gymnaſium, in quo Græcæ diſciplinæ tradebantur, Ieroſolymæ inſtituit.

Ieremias.

Ieremiæ nomen irrepſiſſe videtur Matth. 27. 6. in locum Zachariæ vel culpa manus exſcribentis, vel certe memoriæ vitio. Quanquam Hiero. commentario ad hunc locum teſtatur ſe legiſſe verba, quæ ibi citantur, in apocrypho quodam Ieremiæ prophetæ. Sed vide ſodes Parallela mea. Scribi autem debet Ieremias exiliter, non Hieremias cum adſpiratione. Hunc lapidatum fuiſſe a Iudæis exulibus in Ægypto ſcribunt Dorotheus, Tertullianus, Epiphanius, Primaſius & alij. Idem de Ezeciele proditum. Quo accommodant locum Apoſtoli Ebręo. 11. 37. Vide, ſi vacas. Matth. 16. 14. *alij vero Ieremiam*: & fragmentum Origenis in Matthęum, pag. 211. Ibi cauſſam reddit quare Chriſtum Iudęi in euangelio Ieremiam eſſe putaverint. Locum deſcripſiſſem, ſi liber ad manum fuiſſet.

Ieruſalem.

Ieruſalem dicimus & Ieroſolyma Ieroſolymæ, & Ieroſolyma Ieroſolymorum, ut Sodoma Sodomæ & Sodoma Sodomorum. Græce τὰ Ἱεροσόλυμα καὶ τὰ Σόδομα. Gentile Ieroſolymita & Ieroſolymitanus, ut Sodomita

& Sodomitanus. Ieruſalem Ebraice vocatur Ieruſalaim, numero duali. Sed Ieruſalem etiam Chaldæis in uſu, quod ſcribunt ירושלם cum Tſere in ultima. Adhibe Obſervationes meas. Ieruſalem duplex, cœleſtis, terreſtris. Poſterior vocatur ἡ νῦν Ἱερουσαλὴμ Gal.4.25. Prioris mentio Ebræo. 12. 22. & alibi: quæ & nova Ieruſalem Apocalyp.3. 12. & ἡ ἄνω Ἱερουσαλήμ, id eſt ſuperna vel ſublimis, aut quæ ſurſum eſt Ieruſalem Galat. 4. 26. Terreſtris dividitur in ſuperiorem civitatem, τὴν ἄνω πόλιν, quæ & ἄκρα dicitur .i. חקרא, & inferiorem τὴν κάτω πόλιν. In circuitu continebat 50 ſtadia, ut Hecateus Abderita memoriæ prodidit, quæ fere ſex milliaria Germanica conſtituunt.

Ieſſai ſive Ieſſe.

Iſai & Ieſſe diverſa nomina eſſe putat Anſelmus: non ſunt. Iſai .i. אישי ita lectum ſcriptum hoc nomen 1. Paralip. 2. 12. Nec aliter interpres Syrus Matth. 1. 5. ubi Græcus codex habet τὸν Ἰεσσαὶ: unde eſſet Ieſſai, ſive Ieſſe, quod male ſcribunt Ieſſę, cum diphthongo. In libro nominum, *Ieſſai, inſulæ ſacrificium.* אי inſula, שי munus, ſacrificium. Perperam in Iſidoro, *in ſole ſacrificium:* quod hinc emendari debet. Ebraice ישי abſque dages Ruth. 4. 17. Videtur autem chirec longum eſſe. Nam parvum poſt ſe dages haberet. Radix Ieſſe vocatur Chriſtus Rom. 15. 12. quia ex poſteritate Ieſſe, qui fuit pater Davidis. In Ieſſe autem erratum quale in Micheas, quod ſępius Michæas ſcribunt, cum debeat ſcribi Michaias. ישי Ieſſai, ut פרישי Φαρισαῖος. Aut Ieſſai, Ieſſe, ut Ephraim, Ephrem. Verum puto.

Ieſus.

Tres hoc nomine veniunt in novo fœdere; Ieſus Chriſtus, Ieſus filius Nun & Ieſus cognomine Iuſtus.

Secundi

Secundi mentio Act.7.45. Ebræo.4.8. Tertij Col.4.11. Primi memoria uſurpatur cum alibi paſſim, tum Mat.1.21. ubi & ratio nominis ponitur quod accepit a ſervando. Græci σωτῆρ interpretantur, quæ vox Latine reddi non poteſt, ut ait Cicero Act.IV. in Verrem. Sonat aũt σωτῆρ qui ſalutem reddit. Noſtri Salvatorem dicunt, quo vocabulo uſi ſunt Lactantius, Auſonius, aliĳq; ſacri ſcriptores. Ebraice ישוע Ezræ 2.2.& 3. 2. & 2.Paralip. 31. 15. quod perperam in catecheſi trilingui ſcribitur יְשׁוּע cum ſcheva ſub Iod. Brevius etiam dicunt ישו, unde Ἰησοῦς. Solent enim Græci nominibus barbaris in fine σ addere: ישו autem dicebant pro ישוע ex more antiquo, quem ignoravit autor libri qui de fide ſcriptus. Nam cap.14. *Vocatur*, inquit ישוע, *quia eſt ſervator noſter, & redemptor noſter & Meſſias noſter. Verum ſapientes noſtri nominarunt eum* ישו *per contemptum & indignationem. Nam dicunt Ieſu exprobrantes ei.* Paullo aliter Elias in libro ubi vocum Rabbinicarum ſenſa collegit, *Quia Iudæi, non confitentur ipſum eſſe σωτῆρα, ideo nolunt dicere* ישוע, *ſed dicunt* ישו *abjecta littera Ain. Poſſumus etiam dicere id factum eſſe quia pronuntiatio litteræ illius difficilis & ardua eſt gentibus, quemadmodum ſcribit Abenezra neminem poſſe bene ſonare Ain & Heth, niſi qui a pueritia didicerit.* Hactenus Elias. Morem illum, de quo dixi, notat autor Lexici Thalmudici ſive Baal Aruch, inquiens, *Mos linguæ Syræ elidere Heth & Ain litteras.* Adhibe Gramaticam Chaldaicam. Sic קטי obviam pro קטיע .i. ſuccifus. Nihil verius. De hoc nomine mirabile quid refert Irenæus, cap. IV. *Ieſus ſecundum propriam Ebræorum linguam litterarum eſt duarum & dimidiæ, ſicut periti eorum dicunt, ſignificans Dominum eum qui continet cælum & terram.* Id quovis ænimate obſcurius videtur. Sed non erit opus Oedipo. Ego

Davus explicabo. ישו tres litteras habet, quarum prima Ioth dimidia dicitur propterea quod medium duntaxat aliarum litterarum attingat. Eadem littera ſignificat יהוה quod reddunt DOMINUS, ש autem valet שמים & vau וארץ. Ecce *DOMINUS cæli & terræ.* Sunt qui ſcribant Iheſus cum adſpiratione, ſed inepte inſciteque. Nam quod Faber Stapulenſis ait, *In nomine Iheſu aſpiratio poſtponenda, quia in nomine tetragrammato Iod præcedit He, non autem He Ioth*, indignum eſt, cui reſpondeatur. Nihil enim commune nomini Ieſus cum nomine tetragrammato. In Alcorano Ieſus vocatur עיסא. Alij ſcriptores Arabici eum vocant ישוע. Sic euangelium in Engel mutarunt aut potius corruperunt. Legi apud neſcio quem, quæ nunc ſubjiciam, *Turcæ Ieſum dicunt Iſſa vel Ieſſe, ut Iſſa berember .i. Ieſus propheta, quem in magna veneratione habent, & credunt eum ex Maria virgine natum, quam ipſi appellant Meriem Ana: de quo etiam dicitur in Alcorano, capite Elneſer, Ieſus Chriſtus eſt Dei verbum, quod miſit in virginem Mariam per Spiritum ſanctum. Siquis eum blaſphemaverit Turcus, Iudæus aut Chriſtianus, punitur non ſecus ac ſi Mehemed blaſphemaſſet. Pœna blaſphemiæ ſunt 50 ictus fuſtium, & multa pecuniaria. Non credunt eum mortuum in cruce, ſed alium fuiſſe quem pro eo Iudæi ceperint.* Vide nunc quæ de hoc nomine ſcripſimus in comment. vetere, capite quarto.

Ioatham.

Ἰωάθαμ eſt in codicibus Græcis Matth. 1. 9. & Ioatham in Latinis, cum tamen Syri & Ebræi dicunt יותם Iotham: cujus ſcripturæ rationem nullam aliam adhuc invenire potui, quam quod interpretes LXX olim ita hoc nomen ſcripſerint. Cogitemus amplius.

Iob.

Iacob. 5. 11. τὴν ὑπομονὴν ἰώβ. Nomen hoc in codicibus Græcis & Latinis ambiguum eſt. Nam ei reſpondet יוב filius Iſſachar Gen. 46. 13. qui Iaſub vocatur 1. Paralip. 7. 1. Num. 26. 24. & איוב de quo hîc ſermo, qui Moſi contemporaneus fuit, ut Hiero. & Severus arbitrantur, & propheta vocatur in Chronico Ebræorum majore, ubi etiam vixiſſe dicitur medio tempore inter Abrahamum & Moſem. De hoc Iobo vide Theodoritum Quæſt. in Geneſin, pag. 58. Euſebium Προπαρασκευ. lib. 9. pag. 251. Auguſtinum de civit. Dei lib 18. cap. 47. Hiero. in Quæſt. Ebrai, pag. 213. Eucherium in Gen. pag. 72. Albinum ſive Alcuinum, pag. 461. & alios.

Iohanna.

Luc. 3. 27. *qui fuit Iohanna.* Græce eſt τοῦ Ἰωαννᾶ. Syrus autem habet בר יוחנן .i. filij Iohannis. Forte יוחנא dicebant pro יוחנן, ut שבא pro שבת .i. ſabbathum. Aut Iohannan, Iohanna; ut Mariam, Maria. Sic Goliath, Golia. Solent enim Græci ultimam nominis barbari quandoque abjicere. Reperio & Ἰωάννα proprium mulieris Luc. 8. 3. & 24. 10. quod ſcribi debet Latine Iohanna, cum adſpiratione. Ceterum in exemplari Syro utrobique eſt יוחן Iuhan ſive Iuchan.

Iohannes.

Hoc nomine tres memorantur in N. T. Iohannes baptiſta Matth. 3. 1. Iohannes filius Zebedæi Matth. 4. 21. Iohannes qui & Marcus Act. 12. 12. Zebedæi filius vocatur etiam euangeliſta, cui attribuunt epiſtolas tres canonicas & Apocalypſin. In Apocalypſi κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur theologus, quod de Chriſti divinitate apertiſſime ac diviniſſime ſcripſerit. Quanquam ſunt qui Apo-

calypſin ab alio quodam Iohanne conſcriptam putant, ut narrat Euſebius hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 39. Nempe a Iohanne preſbytero, quem autorem etiam faciunt epiſtolæ ſecundæ, ubi ſe initio πρεσβύτερον appellat. Nonnulli etiam theologum a preſbytero diſtinguunt. Vt ut ſit, nomen Ebraicum eſt יוחנן Iohanan ſive Iochanan, ex quo factum Iohannes, quod ſcribi debet perpetuo cum adſpiratione. Nam quod Græci ſcribunt ιωάννης neceſſitatis eſt, quia nomina in medio non aſpirant. Iohannis Baptiſtæ mentio in hiſtoria Ebraica, cap. 63. & in Chronico templi ſecundi, fol. 54. col. 4. Verba hiſtoriæ. *Mortuo Archelao filio Herodis regis regnavit Antipater frater Archelai, qui ſe Herodem commutato nomine vocavit.* & mox, *Hic accepit uxorem Philippi fratris ſui dum adhuc viveret in uxorem, occiditque multos e ſapientibus Iſrael, et in his Iohannem ſacerdotem magnum, eo quod diceret ei, Non licet tibi habere uxorem fratris tui: ipſe eſt Iohannes, qui * baptizatus fuit.* Sic interpretor הנטבל. Nam *qui baptizabat* .i. הטובל. Verba vero Chronici, *Accepit Antipas uxorem Philippi fratris ſui, & reprehendit eum propter hoc factum abominandum R. Iohannes ſacerdos magnus, quem propterea Antipas occidit.* Forte apud Gorionidem pro Antipater, legendum Antipas אנטיפס vel ex Ioſepho, qui Herodem hunc aliter non nominat, quod ſciam.

* Forte *qui continenter baptizabat.* Sic רבבר continenter locutus fuit.

Iona.

Iona, unde Simon Bar Iona Mat. 16. 17. & Σίμων ὁ ὑὸς Ἰωνᾶ Iohan. 1. 42. contractum videtur ex Iohana, id eſt יוחנא. Nam certe legimus alibi *filius* Ἰωάννυ, id eſt Iohannæ vel Iohannis. Qua de re diximus aliquid in Obſervationibus. Vide, ſi vacas. Iohana, Iona, ut שועבא & שובא. Quanquam hîc Ain, ibi Heth. Nam eadem utriuſq; ratio. Sic שודא munus pro שוחדא: proprie quod datur ad corrum-

Syrus, בר יונא filius Ionæ.

corrumpendum judicem. Etiam he eliditur in medio, unde Aron pro Aharon. Sic pro יוסף plene aliquando ſcribitur יהוסף. & pro יוחנן reperias etiam יהוחנן, ut & Iuda dicimus pro Iehuda.

Ionas.

Ebraice יונה. Iona, Ionas; ut Iuda, Iudas. Aliud nomen ab eo de quo diximus. Reperitur Matth. 12. 39. *niſi ſignum Ionæ prophetæ*, Ἰωνᾶ τοῦ προφήτου. Syrus hic habet ריונן נביא .i. *Iaunan prophetæ.*

Ioppe.

Act. 9. 36. ἐν Ἰόππῃ. Vetus interpres, *In Ioppe*: alius, *Ioppa*. Ioppa Ioppæ neſcio an defendi poſſet. Nam dicimus Ioppe, unde obliquus Ioppes. Ebraice יפו Iapho. Syrus habet יופא, quod legunt Iuppi: malim Iuphi. Italis hodie Iaffo & Zappho. A Ioppe τὸ ἐθνικὸν, Ioppites & Ioppita in editione vulgata 2. Machab. 12. 3. Hinc etiam *Ioppenſe mare* apud Ioſephum.

Ioram.

Mat. 1. 8. τὸν Ἰωράμ .i. יורם quod plenius effertur יהורם 1. Reg. 22. 5. Syrus habet *Iuram*, ô in u verſa. יהורם. Ioram, ut יהודה Iuda. Sic promiſcue dicimus יהונתן & יונתן. Sed & יהוסף legitur apud Davidem pro יוסף .i. Ioſeph.

Iordanus.

Ἰορδάνης, Ἰορδάνου. Sed Latini dicunt Iordanis. Reperias & Iordanes. Apud Pauſaniam in Eliacis eſt Ἰάρδανος. Ebraice ירדן Iarden. In Syriacis Matth. 3. 5. יורדנן Iurdanan, & in verſione Latina Iurdan. Dictus ita vel quod e Dan deſcendat, vel nomine compoſito ex duobus ejus fontibus Ior & Dan. Suidas Ἰορδάνης, ὁ ποταμός. ἐκλήθη δὲ οὕτω διὰ τὸ συμμίγνυσθαι δύο ἅμα ποταμούς, Ἰὸρ καὶ Δάνην. Apud eundem Ἰορδάνεια ῥέεθρα .i. fluenta

Iordanus. Manahemus de Recanati Gen. 1. *Iordanis exit e ſpelunca Pameas, & vadit in mare Tuberiadis, indeque deſcendit in mare magnum.* Pameas .i. פמייס cujus meminit & Kimchi Ioſ. 19. Omnino eſt Paneas, fons in monte Libani, unde Iordanus fluvius erumpit. Vide Ioſephum de bel. Iuda. lib. 3. cap. 18. Paneas, Pameas, ut Spania & Spamia. Nam נ & מ alternant. Sic Moph. dicimus & Noph. Hiero. in Quæſt. Ebraicis, *Dan unus e fontibus eſt Iordanis. Nam & alter vocatur Ior, quod interpretatur ῥεῖθρον. Duobus ergo fontibus, qui haud procul diſtant in unum rivum fœderatis Iordanis deinceps appellatur.*

Ioſaphat.

Ἰωσαφὰτ Matth. 1. 8. Ebraice יהושפט quod plene ita ſcriptum invenitur 2. Sam. 8.16. & alibi paſſim. יהושפט Ioſaphat, ut יהודה Iuda. Sic יהוצדק Ioſadac vel Ioſedec. Syri legunt יהושפט Iuſaphat. Nam vocali o penitus carent. Itaque pro ea utuntur u vel au: unde & Hauſe pro Hoſe. Qua de re diximus in Quæſtionibus noſtris.

Ioſeph.

Syriace Iauſeph. Sed Ebræi dicunt יוסף, unde Ἰωσὴφ. Hinc eruimus vernaculam Iudæorum linguam tempore Chriſti mere Syriacam non fuiſſe, ut hactenus creditum eſt. Ioſephi plures fuerunt: de iis loquor qui in novo fœdere memorantur. Primus eſt Ioſeph Arimathæus Luc 23. 15. & alibi. Secundus, Ioſeph, qui & Barſabas Act. 1. 13. Tertius Iacobi filius patriarcha Act. 7. 9. Quartus Mariæ virginis maritus, qui & pater Chriſti putabatur, unde Chriſtus vocatur fabri filius a Iuliano apoſtata. Nam fabrilem artem exercebat. Sunt qui tradant duos patres habuiſſe: unum naturalem, & alium per legem quæ IBBUM vocatur. Qua de re conſulendus Auguſtinus quæſt. lib. 5. quæſt. 46. & quæſt.

euang.

euang. lib. 2. quæſt. 5. Pater Chriſti dicitur Luc. 2. 27. & 3. 41. 48. non ex rei veritate, ſed ex vulgi opinione: unde additum *ut putabatur* Luc. 3. 23. Hoc modo loquendi idola Dij nuncupantur. Sic Herodes Antipas, qui tetrarcha tantum erat, rex appellatur Marc. 6. 14. euangelium ſtultitia dicitur 1. Corinth. 1. 18. Chriſtus Ioſephi filius Luc. 2. 27. Fabrum autem fuiſſe Ioſephum liquet ex Matth. 13. 55. Mar. 6. 3. Luc. 4. 22. Semel occurrit יהוסף Pſal. 81. 6. 1. Iehoſeph, cum additione litteræ ה. Sic Abrami nomen mutatum eſt in Abraham, ubi ſimiliter H additum. Sic Ionathan Haſamonæus, cum fratri ſuccederet, vocatus eſt a ſenioribus Iſrael יהונתן Iehonathan Gorio. cap. 26. Quorſum iſta? nempe ut oſtenderem additionem hujuſmodi non temerariam aut de nihilo eſſe.

Ioſes.

Idem cum ſuperiore. Ioſeph, Ioſes, ut Tobit, Tobis; Goliath, Golias: Hannibal, Αννίβας. Sed verius quod nunc ponam. Pro Ioſeph abjecta ultima Ebræi dicunt יוסי Ioſe. Inde Ioſes .i. Ιωσῆς, ut ישו Ieſus. Amant enim Græci nominibus in vocali deſinentibus addere ſigma. Act. 4. 36. Ιωσῆς ὁ ἐπικληθεὶς Βαρνάβας. Verus interpres, *Ioſeph qui cognominatus eſt Barnabas*. Syrus quoque habet יוסף Ioſeph: & notatum in uno exemplari Græco legi Ιωσήφ. Contra Act. 1. 23. ubi libri vulgati Ιωσήφ, in uno vet. exemplari habetur Ιωσῆν Ioſen, Mar. 15. 47. καὶ Μαρία Ιωσῆ. Syrus יוסא Iuſſe vel Iauſe. Autor Latinæ vulgariæ *Maria Ioſeph*. Ceterum יוסי pro יוסף legitur in Avoth cap. 6. & alibi.

Ioſias.

Ιωσίας Matth. 1. 10. Ebraice יאשיה & יאשיהו Ioſia, Ioſias; ut Iuda, Iudas: & יאשיהו, ut ירמיהו, ut ישעיהו,

ut

nt עזיהו. Solet enim nominibus in ה terminatis præcedente camets, addi vau ſchurec. Syrus habet Iuſia. Nam Syri o in u mutant. Sic Iuram dicent pro Ioram.

Iota.

Iota unum Mat. 5. 18. Syrus יוד חדא Iud unum. Sed Ebræi hanc litteram nominant Iod, ultima daleth: aut Ioth, ultima thau, unde Ἰῶτα, aſpirata in tenuem verſa. *Ne Iota quidem unum*, proverbiale, de quo ſuo loco. Hinc poeta noſtri temporis, *Neſcit Scriptura vel breve Iota ſacra.* .i. nihil quicquam ſcit de Scriptura ſacra: plane imperitiſſimus eſt rerum ſacrarum. Nam Iod litterarum alphabeti minima eſt. י

Iſahac.

Iſahac ſcribendum cum adſpiratione, non Iſaac, quod a Græcis manavit, quos in nominibus Ebraicis non ſequimur. Siquidem Græci voces in medio non aſpirant. Græca & Latina declinatione dicimus Iſahacus, & contracte Iſacus.

Iſcariotes.

Matth. 10. 4. Ἰσκαριώτης. Caninius conjicit hoc eſſe quod Ebræi dicerent איש קריות. Eſt autem Cerioth ſive Carioth opidum tribus Iuda Ioſ. 15. 25. Sed איש קריות Græce potius diceretur Καριώτης, ut איש ישראל Ἰσραηλίτης. Quod idem cum illo מן קריות ἀπὸ καριώθ. Minus ſe probat mihi ἀπὸ καριώτου, quod apud Iohannem in libro pervetuſto. Legitur etiam in antiquis codicibus Σκαριώθης, non ſolum in hoc euangeliſta, ſed etiam in Marco & Luca. Cui firmando Origenes περὶ ἀρχῶν lib. 3. cap. 3. ubi legimus *in cor Iudæ Scariotis.* Sed & Hiero. lib. nono comment. ſuper Ieſaiam, *propter Iudam qui de tribu Ephraim, & de vico ejuſdem tribus Scarioth Dominum pretio vendidit.* Secutus autem ſum

fidem

fidem exemplaris manuſcripti. Nam in editis vulgo Iſcarioth, quod nullo modo ſe probat mihi. Si in mente habuit Carioth, mirum cur dicat, *de vico ejuſdem tribus*. Nam Carioth ad tribum Iuda pertinebat, ut diximus. Reliqua excuſari poſſunt. Scarioth pro Carioth ex dialecto Syriaca, ut סקבל dicimus pro קבל .i. caligo, & סגרגר granum .i. גרגר, & סגלגל rotundus pro גלגל. Scarioth, Scariotes, & præpoſita Ioth Iſcariotes. Solitum enim iis nominibus, quæ a gemina conſonante incipiunt, addi littera i, ut Ισπανία pro Σπανία. Sic Turcæ hodie ex Scopia faciunt Iſcopia, quod & Vſcopia per v Gallicum. Sic pro Scendere dicunt Iſcender, & pro Scodra, Iſcodra. Vide Pandectas Leonclavij, num. 169. Sic Galli ex ſcribo fecerunt eſcrire, ex ſchola, eſcole &c. Ceterum in edit. Syra habetur סכריוטא Scariuta; de quo tacere malo, quam adferre quæ non probo. Vide nunc, ſi placet, & Theodorum, & notas Tremellij ad locum Matthæi ſupra citatum.

Iſrael.

Iſrael ſcribendum, non Hiſrael aut Iſrahel. Gentile Ισραηλίτης, Iſraelita, unde viri Iſraelitæ Act. 2. 22. &, *ecce vere Iſraelita, in quo non eſt dolus*, Iohan. 1. 47. &, *Iſraelitæ ſecundum carnem* 1. Corinth. 10. 18. Sumitur autem pro Iacobo patriarcha, & pro ipſa gente Rom. 9. 6. pro tota eccleſia Galat. 6. 16. Dictus ita a שרה & אל quia de principatu contenderat cum Deo, vel quia princeps evaſerat cum Deo contendens.

Iſmael.

Iſmael, non Iſmahel. Nam ſcribitur cum Ain in ſyllaba ultima, quam veteres leniter efferebant. Teſtes Arabia, Emmanuel, Elamitæ, & alia ſexcenta.

Iſſachar.

Ἰσαχὰρ unico σ & accentu in ultima Apocalyp. 7. 7. Ἰσσάχαρ duplici & accentu in penultima Gen. 30. 18. Codices Latini fere habent Iſſachar. Quanquam in nonnullis Iſachar. Appellatur a mercede quæ שכר dicitur. In libro nominum, Iſſachar, eſt merces. Ebraice יששכר altero ש redundante. Hiero. de Quæſt. Ebrai. *Iſſachar, eſt merces, ex* ש, *&* שכר. *Hoc autem ideo quia mandragoris filij Ruben introitum, qui Racheli debebatur, ad ſe viri emerat.* Ioſephus Orig. Iudaic. lib. 1. cap. 27. *Iſachar, ſignificat ex mercede natum*, ἐκ μισθοῦ γενόμενον. Male alij, *Iſſachar, viri merces*, quod magis in ſono vocis quam in ipſis litteris. Similiter peccatum in nomine Iſrael, quod interpretantur *vir videns Deum*: de quo in hunc modum Hiero. Ieſ. 44. *Proprie juxta Ebræos & litterarum fidem Iſrael rectus Dei dicitur. Vir autem videns Deum non in elementis, ſed in ſono vocis eſt.*

Iudas.

יהודה Iuda, ut יהורם Ioram, יהושע Ioſue: & Iuda, Iudas; ut Thoma, Thomas. Iudæ plures memorantur. Primus eſt Iudas patriarcha Matth. 1. 2. & 3. Secundus Iudas Iacobi Luc. 6. 16. ſubintelligitur autem frater, qui & Lebbæus & Thaddæus Mar. 3. 16. Tertius Iudas Simonis Iſcariotes, quem Apoſtolus appellat filium perditionis. Quartus Iudas cognomine Barſabas Act. 15. 22. Quintus Iudas Galilæus Act. 5. 37. Vt Iudas nomen eſt viri, ita Iuda interdum ſumitur pro Iudæa, quæ ab Ebręis ארץ יהודה, & aliquando יהודה ſimpliciter vocatur: unde *Bethlehem Iuda* & *Bethlehem terra Iuda* Matth. 2. 5. & 6. & civitas Iuda Luc. 1. 39. & *montana Iudæ* .i. Iudęæ verſ. 65.

Iudæa.

Iudæa.

Iudæa dupliciter dicitur. Vno modo ut denotet eam partem in qua Ieroſolyma, quæ continebat duas tribus, videlicet Iuda & Benjamin, Matth. 2.1. & a Galilæa diſtinguitur Matth. 19. 1. Mar. 3. 7. Iohan. 3. 47. & 54. & a Samaria Act. 8. 1. Altero modo ut etiam reliquas tribus comprehendat generali ſignificatione. Qua de re audiendus Zacharias Chyſopolitanus epiſcopus in unum ex quatuor, *Omnis quidem Iudæorum provincia*, inquit, *ad diſtinctionem aliarum gentium Iudæa dicitur: ſed ſpecialius meridiana plaga, ad differentiam Samariæ, Galilææ, Decapolis & ceterarum regionum ejuſdem provinciæ.* Iudææ amplitudo quanta fuerit ex Hecatæo Abderita docet Ioſephus contra Appionem lib. 1. *Pæne decies*, inquit, *trecenta millia jugera terrarum optimarum uberrimæ provinciæ poſſident* &c.

Iudæus.

Iudæi, inquit Proſper, *quaſi jus Dei*. Verba quibus hoc dicit habentur in de provident. & prædict. part. 1. cap. 40. *Vnde æſtimo quod ideo nuncupentur Iudæi, tanquam portantes vel ſequentes jus Dei.* Quid ineptius? Verum etymon invenies apud Lactantium lib. 4. cap. 10. *Iudæi dicti a Iuda qui erat princeps examinis.* Nam a Iuda .i. יהודה, gentile Iudæus .i. יהודי, & Chaldaice Iehudai: unde Ἰουδαῖος. Vna cum Iudæis ſimul nominantur Samaritani Iohan. 4. 9. proſelyti Act. 2. 11. Græci Rom. 2. 9. & alibi: gentes Act. 14. 5. Sub hoc nomine aliquando Chriſtiani comprehenduntur, ut in illo verſu Sibyllæ apud Lactant. lib. 4. cap. 20. Ἰουδαίων μακάρων θεῖον γένος οὐρανιώνων. Sic apud Tacitum, *Iudæos impulſore Chreſto tumultuantes Roma expulit.*

Iudaicus.

Iudaicæ fabulæ. Tit. 1. 14. *μὴ προσέχοντες Ἰουδαϊκοῖς μύθοις.* Syrus habet לשׁעיתא דיהודיא .i. fabulis Iudæorum: cujuſmodi plurimas invenies in Salomone Trecenſi, qui vulgo R. Salomo vocatur, & in Thargum Ieroſolymitano, quod ſub nomine Ionathani nunc legitur, & in Manahemo de Recanati commentario in legem. *Iudaice vivere* .i. יהודאית Galat. 2. 14. Iudaiſmus 1. 13. & 14. Iudaizo 2. 14. Ebraice מתיהדים Iudaizantes, in hiſtoria Eſther. Quanquam autem Iudaizare nemini Chriſtiano liceat, Iudaicas tamen litteras diſcere non eſt prohibitum, imo neceſſarium theologo, cum Chriſtianæ religionis principia a Iudæis pendeant, ut ait Origenes contra Celſum fol. 4. col. 1. cui in eo ſubſcribo. *Salus enim*, inquit, *Christus a Iudæis eſt.* Quin conſtat eos, qui Ebraicam doctrinam aut contempſerunt aut neglexerunt, in multis turpiter, ne dicam pueriliter, hallucinatos eſſe. Auſim dicere pleroſq; omnes errores ex ignoratione rerum Iudaicarum in eccleſiam Dei paulatim irrepſiſſe, cum nemo eſſet ante hæc tempora qui eos in tanta caligine. Sed reprimam me. Nam etiam illi, qui aliorum errata detexerunt, non patiuntur hodie ſua detegi. Vſque adeo inviſa omnibus veritas. Neq; in nugis neque in vero verum toleratur.

Lama.

Lama an Lamma ſcribas parum refert. Lama .i. *λαμὰ*. Chaldaice למא ex ſono antiquo. Nam hodie dicerent *λεμὰ*, quod in uno exemplari Græco. Syrus habet לְמָנָא Matth. 27. 46. Sonat autem cur, quare, quamobrem. Ebræis in uſu למה cum accentu in ultima & unica מ, & למה cum accentu in penultima, mem per dages geminata; unde *λαμμὰ*. Vide commenta priorem cap. 13.

Lazarus.

Lazarus.

Lazarus idem quod Eleazarus: unde qui in euangelio Lazarus appellatur, apud Tertullianum in libro de Idololatria & Prudentium in hymno de ſanctorū exequiis vocatur Eleazarus. Syrus habet לעזר Laazar Luc. 16. 20. Porro Ebraice hoc nomen integre ſcribitur אלעזר Eleazar.

Lamech.

Lamech Ebraice dicitur Lemech. למך Lamech, ut הבל Habel. Nam in pauſa למך. Sic Pheres, Phares: Pheleg, Phaleg.

Lebbæus.

Lebbæus, i. λεββαῖος Mat. 10. 3. Syrus לבי Labbi. Sed Lebbæus, id eſt Lebbai. Appellatio a corde, quaſi corculū dicas. Siquidem לב cor: unde & לביא, ut quidam volunt. Theodoritus in Num. queſt. 16. Θαδδαῖος ὁ καὶ Λεβ. emenda, ὁ καὶ Λεββαῖος. Nam Levi alius eſt. Res eſt non conjectura.

Levi.

Marc. 2. 14. εἶδε Λευὶν τὸν τοῦ Ἀλφαίου. Vetus interpres, *vidit Levin Alphai*. Syrus autem, *vidit Levi filium Halphai*, ſive *Chalphai*: quod male ſcribunt Calphai. Sed de hoc nomine alias. Pro Λευὶν Baſileenſis editio habet Λευὴ, quod idem cum Λευί. Sic promiſcue dicimus ἠλεὶ & ἠλὶ Deus mi. Hanc ſcripturam germanam eſſe putant. Ego parum referre arbitror hoc an illo modo ſcribas. Λευὶ i. לוי: cui Greci addunt, ſuo more, ſigma in fine Λευὶς: unde obliquus Λευίν. Sic ex טובי dicunt Tobis, & in accuſandi caſu Tobin. Aut ν additum ut in Σαβὶν & ſimilibus. Nam Ebraice dicimus σαβὶ i. צבי. Prius verius videtur. Nomen לוי etiam levitam denotat, ac tum articulum admittit הלוי Exod. 4. 14. In edit. Syra eſt לויא Luc. 10. 32. & Act. 4. 36. Pluralis לוים Levitæ vel לוים. Syriace ליויא Iohan. 1. 19. לויא Ezræ 6. 16. A

Levi adjectivum eſt Leviticus; ut *Leviticum ſacerdotium*, Ebræo. 7. 11.

Lucas.

Lucas non eſt nomen Ebraicum, ut quidam opinantur; ſed Latinum, Greco ὑποκοριστικῶς detortum a Lucius, ut a Rufo Ῥοῦφος. Lucius autem a luce dictus Act. 13. & Rom. 16. 21.

Madian.

Act. 7. 29. *in terra Madian*. Scribi debet hoc nomen cum N in fine. Hoc primum: deinde antiquum eſt Madian pro Midian. Nam Ebraice מדין. Quanquam in editione Syra Median. Midian, Modian, Madian, ut Nimrod, Nemrod, Namrod: & מדין Madian, ut מרים Mariam, מגדל Magdal; unde Magdalene. Sic dialectus Chaldaica pro מזבח dicit מדבח Zain in daleth mutata.

Magdalene.

Matth. 27. 56. *Μαρία ἡ Μαγδαληνή*. Syrus habet מגדליתא Magdalitha. Dicta ſic a vico Magdala, qui Herodoto *μάγδαλον*; vel certe a turri. Nam turris Migdal dicitur, unde dialecto Syriaca Magdal. Hiero. in nom. de Matthæo, *Magdalena, turris*. *Sed melius ſicut a monte montanus; ita turrenſis a turri dicitur.* Belgice, **banden toore.** מגדל Magdal, ut מדין Madian. Nam *μαδιάμ*, quod in codicibus Græcis, mendum eſt quale in Ἐδὲμ pro Ἐδὲν. Hoc ſupra fugit me obſervare. Nunc ad rem. Sunt qui cenſent duas Magdalenas fuiſſe, ſunt qui negant. Qua de re videndus Zacharias in unum de quatuor; pag. 365. & 364. Extat liber Iacobi Fabri Stapulenſis de tribus Magdalenis, & de unica Magdalena: ad quem te remitto.

Magog.

Apocalyp. 20. 8. τὸν γὼγ καὶ τὸν μαγώγ. De Gog di-

ſtrum eſt. De Magog Ioſephus Ant. hiſt. lib. 1. cap. 11. *Magog Magogas a ſe nominatos inſtituit: qui a Græcis Scytæ ſunt appellati.* Et Hiero. Quæſt. in Geneſin, *Scio quendam Gog & Magog tam de Geneſi quam de Ezeciel ad Gotthorum nuper in terra noſtra vagantium hiſtoriam retuliſſe: quod utrum verum ſit prælii ipſius fine monſtrabitur. Et certe Gothos omnes, retro eruditi magis Getas, quam Gog & Magog appellare conſueverunt.* Plinius lib. 5. cap. 23. ſcribit Bambycen curvæ Syriæ urbem, quæ alio nomine Hierapolis nominatur, Syris Magog dici. Sunt etiam qui Magog ſtatuunt eſſe populum Cœloſyriæ. Ad latera Aquilonis. Ezeciel hanc gentem collocat cap. 38. & 39. In libro nominum, *Magog δῶμα .i. tectum, vel de domate, hoc eſt detecto.* Lego, *Gog, δῶμα .i. tectum: Magog, de domate, hoc eſt, de tecto.* Scribendum autem *de tecto* diviſim. Neque recte Proſper, *Gog & Magog verba Ebræa quæ Latine tectum & detectum dicuntur, ut ſic accipiamus detectum, quia oportet diabolum ſolvi & produci in brevi tempore.* Scribit hoc pag. 108. Vide quid ſit ſacra tractare ſine peritia linguarum.

Magus.

Vox eſt Perſica. Significat autem in ea lingua ſapientem ſive philoſophum. Sed ut philoſophis attulerunt vitium ſophiſtæ, ſic magia diabolicis ſortibus commutata eſt. Ergo magus, præſtigiator. Sic fere Græci uſurpant. Vide Baal Aruch. *Magus in lingua Græca eſt* מכשפא .i. maleficus, φαρμακεύς. In eodem libro אמגושא in lingua Iſmaelitica ſive Arabica [illegible] .i. ſaga, ſi recte capio. Act. 13. 8. *Elymas magus. Sic enim interpretatum ſonat nomen ejus.* Mens horum verborum, nomen Elymas, ſi interpreteris, ſignificat magum, hoc eſt ſapientem, aut malis artibus deditum. Hinc eruimus magi nomen

men dupliciter accipi. Nam in malam partem accipitur Act. 8. 9. & 13. 6. in bonam autem Matth. 2. 1. ubi Syrus habet מגושא. Erant autem magi olim apud Perſas, quod Chaldæi apud Babylonios & Aſſyrios: Gymnoſophiſtæ apud Indos: Druidæ, qui & Semnothei appellabantur, apud Gallos. De magis Perſarum Ammianus lib. 23. *Aucti paulatim in amplitudinem gentis ſolidæ conceſſerunt & nomen, villaſque inhabitantes nulla murorum firmitudine communitas, & legibus ſuis uti permiſſi, religionis reſpectu ſunt honorati.* Magos veniſſe ſcribit Matthæus ἀπὸ ἀνατολῶν. Ceterum orientem Ebræi vocant קדם, qui olim propter artes magicas audijt male: unde apud Ieſaiam, *repleti ſunt oriente* .i. malis artibus. *Ab oriente* hoc eſt, a Perſide, autor operis imperfecti in Matth. Hom. 1. ex Arabia, Iuſtinus Martyr in colloquio cum Tryphone habito: *e Saba*, Chryſoſtomus de nativitate Ioh. Baptiſtę. Sed Saba potius in meridie erat; unde regina Sabæ vocatur regina auſtri. Poteſt etiam fieri ut venerint e Meſopotamia. Sane Balaam, ex cujus genere originem ducere creduntur, Meſopotamenus erat. Hos reges appellat Chryſoſtomus in loco citato, *Ideo ſancti viri reges, inquit, & patres Sabæ venerunt ipſi magi invitante ſtella* &c. De magis hiſce videndi ſunt Orig. contra Celſum lib. 1. Chryſoſtomus hom. 1. de Epiphania Domini in ſecundum Matthæi, Zacharias in unum ex quatuor pag. 47. Rurſum Chryſoſtomus Hom. 20. in Matthæum, fol. 22. Vide quoque de magis Perſarum Crinitum de honeſta diſciplina lib. 3. cap. 2. Nomina magorum, qui Chriſtum viſitarunt, ab aliis recenſentur Iaſpar, Melchior, Balthaſar: & ab aliis aliter. Zacharias, pag. 47. *Nomina trium magorum Ebraice Apellius, Amerus, Damaſcus. Apellius interpretatur fidelis, Amerus humilis,*

Damaſ-

Damaſcus, miſericors. Græca lingua vocati ſunt Magalath, Galgalath, Saraeim. Magalath interpretatur nuncius, Galgalath devotus, Saracim gratia.

Mamres.

2. Timoth. 3. 8. ubi in Græca editione Ἰαμβρῆς, Latina vulgata habet Mambres: quæ lectio ſe tuetur ſcriptura Ebraica. Nam magus iſte in Gemara vocatur ממרא Mamre. Mamre, Mambre, ut Nemrod, Nembrod: & Mamre, Mamres, ut Ioſe, Ioſes. Inter magos Ægyptiorum principatum tenuit una cum Ianne ſive Iohanne .i. יוחני, qui apud Numenium philoſophum Pythagoricum, & apud Apoſtolum loco citato Ἰαννῆς vocatur. In Plinio autem lib. 30. cap. 1. ſcriptum Iamne: ſed Cl. Theodorus emendat Ianne ex hoc loco. Dubito an recte. Dubitandi cauſſa quia Iannes iſte Ægyptius fuit. Plinij autem Iannes, ut ipſemet teſtatur Iudæus erat, qui una cum Moſe & Iotape novam magices factionem inſtituerit. Sed hîc libenter ἐπέχω. Plura de his in veteri comment. cap. 2. & in adagio Thalmudico, *In urbem olerum olera defer.*

Mamona.

Mamon, mamona, mamonas; ut Satan, Satana, Satanas: Saron, Sarona, Saronas. Mamon, Ebraicum eſt, mamona Syriacum, mamonas Græcum: hoc eſt terminatio Græca. Græci enim nominibus in a deſinentibus addere ſolent σ. Mamona, Mamonas; ut Iuda, Iudas. Cave ponas diſcrimen inter hoc & illud. Mamon .i. ממון. Sed in libris fere μαμμωνᾶ .i. ממונא cum duplici μμ. Vide Matth. 6. 24. Nondum ſcio, utra ſcriptura melior verior ſit. Origo nominis, ut quidam exiſtimant, ab אמן in quo ſignificatio firmitudinis. Quo argumento & חיל dicuntur. Aliis mammon idem quod

Vide poſteriorem comment. cap. 14.

מטמון eliſa littera Teth: cui firmando Heſychius, μαμωνᾶ, θησαυρὸς [illegible]. Forerius Ieſ. 45. 3. *Putarem ex voce Ebraea מטמון fluxiſſe illam, quae Rabbinis frequens eſt, & qua in euangelio utitur DOMINVS, mammon, ט ablato e medio. Licet enim ſit vox Syriaca mamona, quia tamen mixtum erat idioma ex Chald. & Ebraeo; & corrupta erant voces magna ex parte, quid mirum ſi ex matmon ſit factum mammon? ergo ab occultatione dictae ſunt hac voce divitiae.* Non eſt temere aſſentiendum: Nam Teth hoc modo eliſi non ſolet. Praeterea מטמון eſt theſaurus a recondendo dictus: ממון aliud ſignificat. In libro electo, cap. 10. *Animae divitiae meliores ſunt divitijs mamona.* Ebraice eſt עושר הממון. Alibi reperias דיני הממונות judicia pecuniaria i. omnia ea quae ad rem pecuniariam pertinent. Iam ad theologos. Irenaeus adverſus Haereſes lib. 3. cap. 8. *Mammona ſecundum Iudaicam loquelam, qua & Samaritae utuntur, cupidus & pluſquam oportet habere volens. Secundum autem Ebraicam adjunctive dicitur mam, vel ſig. guloſum i. qui non poſſit a gula ſe continere.* Nugae, & Naevij butubata. Hiero. epiſt. ad Algaſiam, quaeſt. VI. *Mammona non Ebraeorum, ſed Syrorum lingua divitiae nuncupantur, quod de iniquitate collectae ſint.* Cur addit, *de iniquitate collectae?* An putavit Mamona compoſitum ex מן & און iniquitas? verum videtur. Geminatur autem littera mem ut in memmenu & ſimilibus. Ergo mamona opes מן און i. ex iniquitate. Min, men, man; ut Niſibis, Neſibis, Naſibis. Sic Nimrod, Nemrod, Namrod. Idem Hiero. *Mammona vox eſt Syra, quae apud eos opes denotat, quod apud Graecos πλοῦτος.* Auguſtinus in ſermone de verbis DOMINI, & in Quaeſt. Euangelij, *Mammon punice lucrum eſſe dicit, multaſque in verbis Divinis eſſe linguae Ebraeam & Afram.* Idem lib. 2. de ſer-

mone

mone DOMINI in monte, *Mammona apud Ebraos divitia appellari dicuntur. Congruit & Punicum nomen. Nam lucrum Punice Mammon dicitur.* Porro Tertul. interpretatur Mammona nummum, adverſus Marcionem lib. 4. cap. 33. Petrus Lombardus ſive Longobardus lib. 2. diſtinct. 6. *Inde etiam eſt quod nomine demonis divitia vocantur, ſcilicet mammona. Eſt enim Mammon nomen demonis:* (dubito) *quo nomine vocantur divitia ſecundum Syram linguam. Hoc autem non ideo eſt quod diabolus in poteſtate habeat dare vel auferre divitias cui velit: ſed quia eis utitur ad hominum tentationem & deceptionem.* A Mammone Syrorum Pluto derivatum eſt Mammoneus, quod Prudentius uſurpat pro avido. *Mamona injuſtum* Luc. 16. 9. Auguſtinus Homil. 30. tom. 10. *Injuſta divitia dicuntur, non quia injuſtum eſt aurum & argentum; ſed quia injuſtum eſt eas putare divitias, qua non auferant egeſtatem.* Mamona injuſtum & verum, id eſt ἀλήθινον opponuntur, *Si in Mammona injuſto fideles non fuiſtis, quod verum eſt quis vobis credet?* Verum Mammona ſunt divitiæ ſpirituales: injuſtum ipſæ divitiæ quæ ut plurimum injuſte poſſidentur. Vnde apud Salomonem dives vocatur vir fraudum. Nam opes fere cum aliqua iniquitate vel comparantur vel conſervantur. Ideo Hiero. *Dives,* inquit, *aut iniquus aut iniqui hæres.* Sirach. 5. 1. *Noli attendere ad poſſeſſiones iniquas.* Græce ἐπὶ τοῖς χρήμασί σου. Sed vide ſis Eraſmum Luc. 16. & Bezam ultima editione. Ambroſius in 16. Lucæ, *Pulchre iniquum mammona dixit, quia variis divitiarum illecebris nos avaritia tentabat affectus ut vellemus ſervire divitiis.* Rurſum Auguſtinus de ſerm. 35. de verbis DOMINI, *Mammona iniquitatis, divitia ſunt ſeculi omnes undecunque ſint. Vndecunque congregentur, Mammona iniquitatis eſt .i. divitia*

ſunt iniquitatis. Quid eſt divitiæ ſunt iniquitatis? Pecunia eſt quam nomine divitiarum appellat iniquitatis. Vide præcedentia. Finiam, ſi hoc unum addidero. Μαμωνᾶ Clemens ςρωματ. lib. 4. φιλαργυρίαν interpretatur.

Manahen.

Act. 13. 1. Μαναήν τε Ἡρώδου τοῦ τετράρχου σύντροφος. Vulgatus habet, *Manahen:* Syrus מנאיל Manael. In libro nominum *Manaem, caſtrum.* Sed caſtrum potius Manaim diceretur, vel certe manem.i. μανὴμ pro mahanem. Suſpicor legendum Manahem .i. מנחם quod Græci ſcribunt μαναήμ: contra factum in μαδιάμ. Nam eſſet μαδιαν, cum ν in fine. Manaen, Manael, ut בשבה & לשבה. Sic לוז nux. Nam N & L alternant. Ceterum in dictionario quodam Theologico diſerte ſcriptum offendi, Manahem, cum M in ultima. A quo Græca & Latina declinatione Manahemus. Manaim ſive Mahanem .i. מחנים. Vide Gen. 32. 2.

Manaſſes.

Matth. 1. 10. τὸν μανασσῆ: & mox Μανασσῆς δὲ ἐγέννησε. מנשה Manaſſes, ut מנחם Manahem: item ut Ioſe Ioſes. In libro nominum, *Manaſſes, oblivioſus.* Malim, *oblivisci faciens.* Vide Gen. 41. 51. Interpretationem meam juvant illa verba כי נשני *quoniam oblivisci fecit me.* Sed nihil decerno.

Manna.

Τὸ μάννα Iohan. 6. 31. & alibi. Varias appellationes habet. Nam vocatur ἄρτος ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, panis e cœlo. Iohan. 6. 31. & *frumentum cœli* .i. דגן השמים Pſal. 78. 24. & ἄρτος ἀγγέλων, panis angelorum. Quanquam in Ebræo אבירים .i. fortium: ubi & cœli ſubintelligi poſſint. Panis autem cœlorum dicitur quia ex aere deſcendit. Cœlum enim pro aere ponitur; unde aves cœli, &

Lucre-

Lucretius, *Cælum qui dicitur aer.* Huc refer ἕτοιμ۞ ἄρτ۞ ἀπὸ οὐρανοῦ, quod obvium Sap. 17. Suidas, μάννα ἡ ἄνωθεν χορηγουμένη τροφή: &, ἄρτ۞ ἀγγέλων λέγεται, ὡς ὑπ' ἀγγέλων χορηγούμενος. Ebraice מן. Sed Chaldæi dicunt מנא unde μάννα. Scribi autem debet cum duplici ν. De etymo vide quæ ſcripſimus Quæſt. lib. 1. quæſt. 72. Interpretantur τί τοῦτο ἐστι; quid eſt hoc? Quod e Ioſepho ſumptum invenies apud Originem, Chryſoſtomum, Arnobium, Hieronymum & alios. מן Chaldaice quis, & quid: tam de re quærit, quam de perſona. Sæpius tamen de perſona uſurpatur: rarius de re, ut Gen. 33. 9. מן די לך id quod tuum eſt: & Proverb. 14. 23. & 27. 1. מנא ילד יומא quid paritura ſit dies. Rurſum 27. 23. במן דשים קדמך id quod poſitum eſt ante te. Sic מי in Ebraiſmo interdum idem valet quod מה, ut ubi legimus, מי שמך quod eſt nomen tuum? & alias. Porro diverſum erat a Manna medicorum, quam ſe vidiſſe teſtatur Abenezra in Arabia. Nam hæc manna ſolummodo menſibus Niſan & Iar deſcendebat, nec ſoli expoſita deſluebat ſive liqueſcebat, nec per noctem adſervata putreſcebat, neque tam dura erat ut in mortario conteri poſſet, aut ſuper linguam poſita liqueſceret. Eſt ubi μάννα reperiatur culpa exſcribentium pro μαναὰ, quod nunc legunt מנחה: unde Suidas, μάννα, θυσία, σπονδὴ καὶ ἡ ἄνωθεν πίπτουσα τρόφη.

Man etiam in lingua Ægyptiorum ſignificat quid, ait Haſcuni.

Maranatha.

μαραναθὰ, unica dictione & conjunctim, vel μαρὰν ἀθὰ duabus & diviſim 1. Corinth. 16. 22. Maranatha. Extrema & ultima ſpecies excommunicationis quæ Ebræis ſamatha dicitur: cujus mentionem facit Ionathan Gen. 42. 37. *Duos filios meos occidas* בשמתא *per ſamatha.* Sunt verba Rubenis ad patrem. Vide Quæſt. lib. 1.

quæſt. 9. Vox eſt mere Syriaca: quam interpretantur, *Dominus noſter venit*, Chryſoſtomus, Ambroſius, Hieronymus: *Dominus venit*, Theodoretus & alij. מרא & מריר mare dominus, etiam מר, & cum pronomine מרן dominus noſter. Vel certe dominus, ut nun ſit littera hemantica: unde & Marna ſive Marnas, deus Gazæorum. Significat eadem vox rebellem & refractarium; a quo marani nomen. Thema מרה rebellavit. Hoc Rabbinicum eſt: illud Syriacum.

Maria.

Hiero. in comment. Hoſ. 5. *Septuaginta hanc habent conſuetudinem ut Ebræa nomina Græco ſermone declinent.* Quod factum cum in aliis nonnullis, tum in hoc nomine Maria. Nam abjecta ultima nominis barbari Mariam, quod legunt Miriam. i. מרים, ut Migdal magdal. In libro nominum, *Mariam, ſtella maris* emendo, *ſtilla maris*. Nam מר ſtilla. Sic leges in cantionibus eccleſiaſticis, *Ave Maria ſtilla maris*: ſtilla, inquam, non ſtella. In eodem libro, *ſciendumque quod Maria ſermone Syro domina nuncupatur*. מרא dominus מריא domina, Moſchopulus περὶ σχεδῶν. Μαρία, ὄνομα ἑβραϊκὸν, καὶ ἑρμηνεύεται * κυρία. Quod ait nomen Ebraicum eſſe, verum dicit. Sed in ea lingua non ſig. dominam, ut nec in Syra. Syri enim non מריא enunciant, ſed מרים cum mem in ultima. Ebræi ſic appellatam cenſent propter tyrannidis amaritudinem, qua Iſraelitæ oppreſſi cum ipſa naſceretur. Autor is qui majora Chronica Ebræis compoſuit, *Cur appellata fuit Mariam? propter amaritudinem ſive amarorem, quem tota ejus ætate ſenſerunt.* Nam ipſorum opinione ſervitus Ægyptiaca non duravit niſi annis 87. quantus fuit annorum Mariæ numerus. Vide Chronica illa, pag. 18. Vide quoque Angelum Cani-

* Sic etiam Epiphanius, cujus verba producam alias.

Caninium de locis N.T. pag.18. & Comment. noſtrum, cap.15. Mariæ plures fuerunt, mater Ieſu Matth. 1. 16. Magdalene Luc. 7. 38. ſoror Marthæ Ioh. 11. 5. Cleopæ uxor Luc. 24. 10. & Iohan. 19. 25. Iacobi minoris mater Matth. 27. 56. Marc. 15. 40. Iohannis Marci mater Act. 12. 12.

Martha.

Μάρθα ſoror Lazari Iohan. 11. 1. & Mariæ Luc. 10. 38. & 39. Syriace מרתא. Hoc nomen legitur etiam apud ſcriptores Ebræos, ut in libro Iuchaſin, fol. 57. *Ioſua filius Gamalielis duxit Martham Boethi filiam viduam perdivitem.* Ebraice נשא למרתא בת ביתוס. Ergo ביתוס Boethus. In libro nominum, *Martha, ſermone Syro domina vel dominus interpretatur.* Ceterum quia Martha Chriſto ancillabatur, inde factum eſt ut in nomen commune tranſierit apud Belgas, qui quamvis ancillam vocant martham, een Maerte.

Matthan, * *Matthat.*

Ματθὰν, donum .i. מתן. Nomen viri Matth. 1. 15. Tam Ebraicum eſt, quam Syriacum. Scribi autem debet cum duplici th: quorum prius tenue & alterum aſpiratum. Quanquam in nonnullis codicibus Mathan, unico th. Affine eſt Matthat, quod ſcribunt Ματθὰτ Luc. 3. 24. Syrus habet מתות Matthath. Nomen מתן extat etiam 2. Reg. 11. 18. *Et Matthan ſacerdotem Baal occiderunt ante altaria.* Sonat autem vox donum a verbo nathan quod dare ſignificat. Etiam Matthath dicimus eodem ſignificatu. Africanus de conſonantia euangeliſtarum, *Matthan & Matthat diverſis temporibus de una uxore Eſtha nomine, ſingulos filios procrearunt, quia Matthan, qui per Salomonem deſcendit, uxorem eam prius acceperat, & relicto filio Iacob defunctus eſt. Poſt cuius obitum*

* Malim Matthath

tum Matthat, qui per Nathan filium David genus duxit, cum eſſet ex eadem tribu, eandem Eſtham accepit uxorem, & ex ea genuit filium nomine Eli. Ergo Iacob & Eli fuerunt uterini fratres. Quorum Iacob ex mandato legis accepit uxorem fratris ſui Eli ſine liberis defuncti, & ex ea genuit Ioſeph. Itaque Ioſeph ſecundum legem dicitur filius Eli, ſecundum naturam filius Iacob. Ergo convenienter dicit Matthæus: Iacob autem genuit Ioſeph, & Lucas, ut putabatur filius Ioſeph, qui fuit Eli, qui fuit Mathat.

Matthias. Mathathias.

ματθία vel ματθίας: unde obliqui ματθίου, Matthîæ; & ματθίαν, Matthiam. Act. 1. 23. unus ex 70. diſcipulis. Syriace מתיא: Ebraice vero מתיה cum ה in fine. Meminit Euſebius hiſt. eccleſ. lib. 1. cap. 13. Matthia, Matthias; ut Iuda, Iudas. Mathathias vel Matthathîas מתתיה Luc. 3. 25. τοῦ Ματταθίου, qui fuit Matthathiæ. Sed verſ. 26. in edit. Latina eſt, *Matthathiæ*. Idem nomen cum ſuperiore. Quod ſic doceo. Ioſephus in Græco textu vocatur υἱὸς ματθίου, & apud Rufinum *Matthathiæ filius*. Item Matthathias ſacerdos pater Iudæ Machabæi, cognomine Haſamonæus, in Ioſephi Antiquitatibus lib. 12. cap. 8. nominatur ματθίας. Sic etiam vocatur in codice Aldino 1. Machab. 2. 1. In Iuchaſin fol. 62. pag. 2. מתיא בן שמואל Matthias filius Samuelis: liber alius מתתיה, pro quo & מתתיהו invenitur. Quæ ita firmant ſententiam meam, ut alia probatione non ſit opus. Male vero apud Suidam, ἰωσηπος τοῦ Ματθαίου. Nam id aliud nomen eſt.

Mathuſale.

Luc. 3. 37. ubi codices Græci habent Μαθουσάλα, vulgatus interpres legit Mathuſale. Syriace autem eſt

מתושלח

מתושלח, quód nunc legunt Methuſela. Sále, Sála: ut Thare, Thara: Ioſue Ioſua.

Matthæus.

Ματθαῖος .i. מתי & euangelium κατὰ Ματθαῖον .i. למתי, quod idem cum illo, euangelium Matthæi, nempe conſcriptum a Matthæo. Ioſephus Matthiæ filius .i. Ματθίου. ita corrigendus Suidas. Nam in libris editis Ματθαίου. *Matthæus Ebraico ſcripſiſſe perhibetur eloquio, ceteri Græco*, Auguſtinus de conſenſu euangeliſtarum lib. 1. cap. 2. Euſebius autor exemplar Ebraicum a Pantæno in India repertum, inde primum allatum in Græciam. Hæc ille hiſt. eccleſ. lib. 5. cap. 10. Vide quoque lib. 3. cap. 24. & cap. 39. in extremo: & lib. 5. cap. 8. Alio nomine Levi dicebatur, patre Alphæo genitus Marc. 2. Luc. 5. Male Caninius Matthæus interpretatur donum Dei, qui Græce, inquit, Doſitheus vel Theodorus. In libro nominum, *Matthæus, donatus* vel *donatus quondam*. Sic etiam Oecumenius. Scholion Ματθαῖος τὸ εὐαγγέλιον τῇ ἑβραΐδι διαλέκτῳ γράψας ἔδωκεν. ἐκοιμήθη δὲ ἐν ἱερᾷ πόλει τῆς Παρθίας, κἀκεῖ θάπτεται. Alias plura, ſi Deus conceſſerit. Quando ἴσως .i. Mathai.

Medi.

Actor. 2. 9. Πάρθοι καὶ Μῆδοι καὶ Ἐλαμῖται: *Parthi & Medi & Elamitæ.* Syrus habet *Parthi, Medi & Elanæi.* Parthos vocat פרתויא: Medos מדיא. Elanæos autem אלביא. Ebraice מדי Medus. Chaldaice מדיא Dan. 6. 1. Appellatio a Madai filio Iapheth Gen. 10. 2. quod nomen ſæpe pro ipſa regione ponitur, quam nos Mediam nuncupamus, ut Eſth. 1. 3. & Dan. 5. 28. Per Medos quandoque Perſæ ſignificantur & contra. Nam hoſce populos propter vicinitatem antiqui confundebant. Catullus, *Cum Medi irrupere novum mare* .i. Perſæ. Ioſephus Μα-

δαίους eos appellat. Dicebant etiam Medes. Auſonius, *Triptolemus ille ſive Medes, quem vocant.* Medem dicit, quem alij Medum, eumque Medeæ filium, & ab eo Mediam regionem vocatam nugantur Græci.

Mattathias.

Quære *Matthias.*

Melchiſedec.

Vel, *Malchiſedec.* Nam Ebraice מלכי צדק. Sed antiqui legebant *Melchiſedec*, Græce μελχισεδέκ. Sic Melchom dicebant pro Malchom, & Melchiel pro Malchiel. Exponitur *rex juſtus.* Ita Ioſephus, Clemens, Philo & alij. Nam Sedec antiqua declaratione juſtus, i. צדיק. Sed melius Apoſtolus βασιλεὺς δικαιοσύνης. Ebræo. 7. 2. Sic etiam Euſebius Αποδείξ. lib. 5. cap. 3. Sane quidem צדק eſt juſtitia. In hiſtoria Ebraica legimus Sedec fuiſſe nomē antiquum Vrbis. Diſerte Gorionides in nænia ſuper Ieruſalem, *Vocatur nomen tuum Sedec, & de nomine tuo appellatus fuit Ioram Melchiſedec*, quaſi, rex Sedec. Eadem Salem dicebatur, unde *rex Salem.* id eſt, interprete Apoſtolo, βασιλεὺς εἰρήνης, rex pacis. Hiero. de Quæſt. Ebraicis, *Melchiſedec Ebrai ajunt eſſe Sem filium Noe, & ſupputantes annos vitæ ejus, oſtendunt eum ad Iſahac uſque vixiſſe, omneſque primogenitos Noe, donec ſacerdotio fungeretur Aharon, fuiſſe pontifices. Porro Salem, rex Ieruſalem dicitur, quæ prius Salem appellabatur.* Idem in epiſtola ad Euagrium de alia Salem hunc locum intelligit, nempe de Sichemi urbe, cujus mentio apud interpretes Geneſeōs per hæc verba, *Et venit Iacob ad urbem Sichem in Salem.* Qui locus ab aliis aliter exponitur. Dicam ſuo loco. Moſes Gerundenſis Gen. 14. 18. *Iuxta ſententiam doctorum noſtrorum Melchiſedec, hoc eſt Sem filius Noe profectus eſt a terra ſua Ieroſolymam ad colendum ibi Deum, fuitque illic ſacerdos.*

Eadem

Eadem ſcribit Primaſius in epiſtolam ad Ebræos, pag. 140. *Tradunt*, inquit, *Ebræi Melchiſedec ipſum eſſe Sem primogenitum Noe qui eo tempore quo natus eſt Abraham, habuerit annos ætatis ducentos nonaginta duos; & ita ſupervixerit Abraham annos 35.: quibus expletis facti ſunt omnes dies vitæ ejus 600.* Contrariam ſententiam tuetur Procopius Gen. 15. pag. 121. in extremo. Quæ firmatur primum autoritate Apoſtoli Ebræo. 7. 3. deinde quia terminus filiorum Sem erat in oriente procul a terra Chanaan. Nec admodum credibile eſt Sem patrem eorum habitaſſe inter Chananæos. Quanquam R. Salomo cenſet Chananæos fuiſſe ex poſteris Sem: in quo ſane valde fallitur.

Melotæ.

Ebræo. 11. 37. ἐν μηλωταῖς. Vulgatus *in Melotis*: alius recentior, *cum ovillis*. Syrus quoque במשכא דאמרא agninis pellibus. Apud magiſtros מילת eſt lana pura & mollis Gen. 37. 3. in Salomone Iario. Mercerus interpretatur, *tenuiſſima lana agnina*. In Res Gemara מילתא legitur eodem ſenſu, & in Thargum כסות מילא indumentum laneum: proprie ex lana pura .i. צמר נקי, ut exponitur in Aruch, hoc eſt in lexico Thalmudico.

Mercurius.

Græce ἑρμῆς Act. 14. 12. Hoc παρὰ τὸ רמה decipio: illud a מכר deducunt .i. vendo, quaſi Mercurius. Contra fit in Babel. Nam plenum eſſet Balbel .i. σύγχυσις. Sane Mercurius Deus eſt lucri.

Meſſias.

משיחא Meſſias, ut דבורה Debbora. Forma eſt nominis Syriaca. Nam Ebraica משיח, unde eſſet Maſias. Et משיחא μεσσίας, ut יהודה Ιούδας. Auguſti. tract. xvi. in Iohannem, *Meſſias unctus eſt. Unctus Græce Chriſtus eſt, Ebraice*

braice Meſias eſt: unde & Punice meſſe dicitur unge re. Cognata quippe ſunt linguæ iſtæ ac vicinæ Ebraica, Punica & Syra. Origi. tom. 14. in Iohannem, *Meſſias quidem lingua Ebræorum dicitur, quod LXX. interpretati ſunt* χριστὸς, *Aquila vero unctus .i.* ἠλειμμένος. Hiero. Ieſ. 27. *In hoc loco Iudæi caſſa ſibi vota promittunt, quod in conſummatione mundi quando* Ηλειμμένος *ſuus venerit* &c. Lactantius, lib. 4. cap. 7. *Erat Iudæis ante præceptum, ut ſacrum conficerent unguentum, quo perungi poſſent ij qui vocabantur ad ſacerdotium vel ad regnum. Et ſicut nunc Romanis indumentum purpuræ inſigne eſt regiæ dignitatis adſumptæ: ſic illis uncti ſacri unguenti nomen ac poteſtatem regiam conferebat. Ob hanc cauſſam nos eum Chriſtum appellamus .i. unctum, qui Ebraice Meſſias dicitur.* Rurſum Auguſtinus tract. 7. in Ioh. *Meſſias Ebraice, Chriſtus Græce eſt, Latine unctus. Ab unctione enim dicitur Chriſtus. Chriſma unctio eſt Græce: ergo Chriſtus unctus. Ille ſingulariter unctus, præcipue unctus: unde omnes Chriſtiani unguntur. Ille præcipue, quomodo in Pſalmo dicit, audi: Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Participes enim ejus omnes ſancti: ſed ille ſingulariter ſanctus ſanctorum, ſingulariter Chriſtus, ſingulariter unctus.* Obiter noto, Chriſtianos appellatos non ab unctione ſpirituali (nam ab eo Chriſti vocantur, non Chriſtiani) ſed a Chriſto. Theodoretus in Geneſin. Quæſt. 47. ἡμεῖς δὲ ἐκ τῆ δεσπότου χριστοῦ προσηγορίας χριστιανοὶ καλούμεθα. Sane diſcipuli primum nominati fuerunt Chriſtiani Antiochiæ Act. 11. 26. Occurrit hoc nomen & Act. 26. 28. item 1. Pet. 4. 16. Suidas Ἐπὶ Κλαυδίου βασιλέως ῥωμαίων, Πέτρου τοῦ ἀποστόλου χειροτονήσαντος Εὐόδιον ἐν Ἀντιοχείᾳ, μετονομάσθησαν οἱ πάλαι λεγόμενοι Ναζαραῖοι καὶ Γαλιλαῖοι, Χριστιανοί. Ergo

Chri-

Chriſtiani a Chriſto, ut ab Auguſtino Auguſtiniani, a Symmacho Symmachiani, a Hiero. Hieronimiani. Quod noto propter quoſdam, qui mordicus tuentur cõtrariam opinionem: quam roborant autoritate ſui catechiſmi. Valeret argumentum, ſi catechiſmus ille regula veritatis eſſet: nunc quum ſit humanum ſcriptum, ad ſacras litteras tanquam ad Lydium lapidem examinari debet. Ceterum Iudæi duos Meſſias exſpectant: unum qui vocatur filius David, & alterum qui dicitur filius Ioſeph: de quo R. Levi Gen. 49. 24. ad locum, *inde paſcens lapidem Iſrael; Innuit virum oriturum ex Ioſeph, hoc eſt Meſſiam filium Ioſeph.* Dicitur etiam filius Ephraim.

Michael.

Michael archangelus adverſus diabolum certans, altercatur de corpore Moſis. Quod ſumptum putant ex libro apocrypho, cui titulus Aſcenſio Moſis; quem Origenes citat περὶ ἀρχῶν lib. 3. cap. 2. De Michaele Theodoretus Quæſt. 42. in Numeros, *Hunc angelum dicunt apparuiſſe Balaamo: eundemque populi προστάτην eſſe.* Et Hiero. in comment. Zach. 1. 8. ad locum, *ecce vir aſcendens ſuper equum rufum*, ita ſcribit, *hunc Ebræi Michaelem angelum putant, qui ultor iniquitatum & peccatorum ſit Iſrael.* Ajunt præterea illum præeſſe populo Iudaico. Nam unamquamq; gentem peculiarem & proprium angelum habere, qui eam cuſtodiat. Vide Maſium in Ioſuam, pag. 95. Sunt qui Michaelem ubiq; tam in V. quam in N. fœdere non angelum creatum, ſed ipſum Chriſtum intelligant. ejus & Satanæ certamen Apocalyp. 12. 7. Sonat autem Latine, *quis ſicut Deus?* מי quis, כאל ut Deus.

Moloch.

Act. 7. 43. τὴν σκηνὴν τοῦ μολόχ. Syrus habet דמלכום i. Melchom ſive Molchom, quod Greci ſcribunt μολχὸμ.

τουτέστι βασιλέως αὐτῶν. Ἐκδεδώκασι γὰρ οὕτως ὁ Ἀκύλας καὶ Θεοδοτίων. Ebraice מלכם & מלך. Reperias & מלכם verſum μολὸχ αὐτῶν. מלך Moloch, ut משך Moſoch. Gloſſarius Philonis, *Moloch, rex.* Hiero. in nom. de Act. Apoſto. *Moloch rex veſter, quem & Melchom ſolent dicere.* Interpretatur non Moloch, ſed Malchechem .i. מלכּכם rex veſter. Oecumenius Act. 8. Μολὸχ ἤτοι μελχόμ. εἴδωλον ἦν τοῦτο Μωαβιτῶν. * Lego, Ἀμμανιτῶν. Nam Deus erat filiorum Ammon, cui humanas hoſtias immolabant. Moabitarum idolum Chamos dicebatur. Hæc non ſunt confundenda. De Moloch R. Salomo, *Idolum erat quod vocabatur Moloch, cujus cultus hoc modo fiebat. Tradebant filios ſuos ſacerdotibus, qui duas ingentes pyras extruebant, inter quas puerum traducebant. Hoc eſt quod dicitur, non tranſire facies per ignem filios tuos.* Levit. 18. למלך LXX. ἄρχοντι: ceteri τῷ μολόχ. Theodoretus, τὸ ἑβραϊκὸν ἔχει τῷ μολὼχ, καὶ οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταὶ τοῦτο τεθείκασιν. Malim μολὸχ ultima brevi. Idem ad Geneſin, quæſt. 60. pag. 47. τῷ δὲ μελχῶ (leg. μελχὼμ) ἐδούλευον Ἀμμανῖται. Ammanitas vocat filios Ammon, quorum numen erat Melchom, ut diximus. Vel hinc manifeſtum in Oecumenio reponendum Ἀμμανιτῶν pro Μωαβιτῶν, ſive ſit memoriæ lapſus, ſive erratum librariorum. Dixi humanas hoſtias huic Deo immolatas fuiſſe. Quod de pueris intelligendum. Nam ei filios ſuos immolabant. Quem morem didicere a Phœnicibus, ut credibile eſt, Carthaginenſes eorum coloni: de quibus Plutarchus de ſuperſtitione in extremo, *Qui liberis,* inquit, *carebat, a pauperibus emptos ſacrificabat pueros ut agnos aut avium pullos. Adſtabat autem mater rigida, & abſque gemitu: ſi autem ingemuerat aut lacrymaverat, oportebat eam honore privari: puer autem nihilominus ſacrificabatur. Præterea quoque ante ſtatuam plena*

* Etiam Moabitæ Moloch colebant, ut alibi doceo.

erant

erant tibiis canentium & tympana pulſantium, ne videlicet clamor exaudiretur. Nota diligenter. Nam locus erat prope Ieruſalem, in quo hujuſmodi ſacrificia fiebant, qui Thopheth ſive Thophthe dicebatur, a ſono tympanorum, ut quidam volunt, id eſt [illegible] cujus loci & Eſaias meminit. Ieſ. 30. 33. Sumitur autem ibi pro loco cruciandis improbis deſtinato; quem Ionathan Gehennæ vocabulo ſignificat. Id ſonat vallis Hennom ſive Hennam: de qua ſuo loco. In hac valle locus erat, qui Thopheth dicebatur παρὰ τῶν τυμπάνων, quæ & τύμπανα vocantur, De Saturno ut Thalmudici cenſent. Satis de Thopheth. Quod Euſebius Moloch attinet, dicitur fuiſſe facie vituli & corpore hu- Προπαρ. mano. Videatur Porphyrius apud Euſebium, pag. 57. pag. 25. & 26. ſtatua ejus ærea, manus extenſas habens, pag. 96. ubi ex Diodoro conſimilia iis, quæ Ebræi de Moloch ſcribunt. Loquitur autem de Saturno. Sunt quibus Moloch eſt Saturnus planeta, quem [illegible] indigetant. In Ilmedenu, *Dicunt doctores, quanquam omnia fana idolorum Ieroſolymæ fuerunt, tamen Moloch colebatur extra Ieruſalem. Erat autem ſtatua ſeptem antiquitus cubicula ſive cameras habens, facie vituli, manibus protenſis, quales ſunt hominis paratæ accipere aliquid a ſocio ſuo: quam igne ſuccendebant ſacerdotes, acceptoque infante ponebant inter manus ipſius Moloch: infans autem efflabat animam* &c. Munſterus in Dictionario ſuo Ebraico, *Moloch erat imago concava, habens ſeptem conclavia. Vnum aperiebant ſimilæ offerendæ: alterum turturibus: tertium ovi: quartum arieti: quintum vitulo: ſextum bovi. Qui vero volebat offerre filium, huic aperiebatur ſeptimum cubiculum. Et facies hujus idoli erat ut facies vituli: manus plana diſpoſita ad recipiendum ab adſtantibus: & ſaltabant interim dum puer in idolo ſuccenſo igne cremabatur, percutientes tympana. Hæc Ebræi.*

Moyſes

Moyſes.

Moyſes pronuntiari debet δισυλλάβως. Iuven. Satyr. 14. *Tradidit arcano quodcunque volumine Moyſes.* Græce μωυσῆς & μωσῆς .i. Moſes, nempe ex Ebræo משה. Moſe, Moſes, ut Ioſe, Ioſes. Falluntur autem qui Dorice dici putant μωσῆς pro μωυσῆς. Germanum eſt μωσῆς, nec adhuc ſcio unde illa altera ſcriptura μωυσῆς, niſi forte ex etymo, cujus Ioſephus meminit μῶ aqua & ὑσῆς ſervatus .i. הושיע, παρὰ τὸ ישע. Inflectitur μωσῆς μωσοῦ, & Μωυσῆς μωυσέως, & Μωσεὺς μωσέως, & μωυσῆς Μωυσοῦ. Latine Moſes Moſis, & Moſi & Moſeos. Moſeos Græca declinatio eſt, quæ legitur apud Auguſtinum de doctrina Chriſtiana lib. 2. cap. 8. Moſi autem pro Moſis ita dicitur, ut Achilli pro Achillis: Vlyſſi pro Vlyſſis. Sic Themiſtocli fuga, Ariſtoteli diſcipulus, Theophani conſilia. Nam dandi caſum in talibus pro generandi ponebant. Moſeos impunitam linguam dixit Fauſtus Manichæus. Invenitur & Moſæ. Dictus eſt ita παρὰ τὸ משה extraho. Nam ex aqua extractus fuit. Prius, ſi credendum Numenio philoſopho Pythagorico, Ioachin dicebatur. Poſt in cœlum receptus, teſte Clemente, appellatus eſt Melchi. Ab Ægyptiis vero Monios nominabatur: cujus rei autor Abenezra. Manetho Ægyptius apud Ioſephum ait eum vocatum fuiſſe Οαρσήφ Oarſeph. Artabanus autor eum ab Ægyptiis Hermen dictum fuiſſe, & ab eo Hermopolim urbem. Sunt qui putant eum eſſe qui a Græcis μουσαῖος dicitur: ſed falluntur, meo judicio. Quod doceri poteſt ex tempore. Nam Muſæus multo poſterior fuit. Vixit enim poſt Orphea, vel certe ætate illius. Nam ejus diſcipulus fuit, ut ſcribit Tatianus Aſſyrius. Vide Euſebium Προπαρασκ. lib. 10. pag. 291. *Moſis tabulæ*, proverbiale de

re ſa-

re ſacroſancta & inviolabili. Extat apud Gregorium Nazianzenum.

Melchi.

Luc. 3. 24. *τοῦ μελχὶ, qui fuit Melchi.* Syrus habet מלכי Malchi. Id ſonat *rex meus*. Ab eo compoſitum Melchi-ſedec, *rex juſtitiæ*: ac tum Iod littera eſt paragogica. Malchi, rex, *βασιλεὺς*.

Naaman.

Naaman Syrus Luc. 4. 27. Græce eſt *Νεεμὰν ὁ σύρος*. i. נעמן. Sed Ebræi legunt נעמן 2. Reg. 5. 2. Syrus quoque legit Naaman. Nomen hoc extat Gen. 46. 21. ubi Græci codices *νοεμὰν*, niſi legendum *νεεμὰν*.

Nachor.

Luc. 3. 34. *τοῦ Ναχὼρ*, qui fuit Nachor. Avus Abrahæ, qui & Nahor. Nachor, Nahor; ut Rachab, Rahab: mediam enim Heth modo per *χ* efferebant, modo per ſimplicem aſpirationem. Nam gemina carent & Græci & Latini. Hinc Hermon, Chermon: Ham, Cham: Hebron, Chebron, & alia ejus generis. Syrus habet בר נחור filius Nahor.

Nagge.

Græce eſt *Ναγγαὶ* Luc. 3. 25. quod ſcribunt Naggæ, cum diphthongo. Malim Nagge abſque diphthongo. Sic Ieſſe rectius ſcribitur quam Ieſſæ. Quanquam in Græco *Ιεσσαὶ*. Huc referri poſſet Micheas, quod perperam ſcribunt Michæas, nempe ex Græco *Μιχαῖας*, cum *αι* ibi non ſit diphthongus. Sic in נגי nulla omnino diphthongus. Syrus habet נגי Naggi. Naggai, Nagge, ut Ieruſalaim, Ieruſalem. Sic Ephraim & Ephrem: Meſraim & Meſrem. Nam *αι* cum *η* permutabant.

Nahaſſon.

Nahaſſon ſcribendum cum adſpiratione, non Na-

aſſon. Quanquam Græci codices Ναασσὼν habent Luc. 3. 32. Ebraice eſt נחשון Nachſon Exod. 6. 23. Id exponi poſſet ſerpentulus aut parvus ſerpens, ut Nun in fine diminuat quemadmodum fieri ſolet interdum. Pro exemplo ſit שבתון quod reddunt, ſabbathulum: item שמשון, de quo alias. Sane ſerpens Nahas dicitur, quod perperam ſcribunt Naas, abſque aſpiratione. Invenitur etiam Nas pro Nahas: ad quod exemplum licet dicere Naſon pro Nachſon aut Nahaſon. Nam quod Græci σσ geminant, magis ſe tuetur autoritate, quam ratione.

Nahum.

Nahum ſcribo cum aſpiratione, non Naum: in quo ſequor conſuetudinem Ebræam. Ebræi enim dicunt נחום media Heth. Sic etiam Syrus interpres Luc. 3. 25. Hinc Chapharnahum, quod ſimiliter ſcribunt Capharnaum. Græci quoque habent τοῦ Ναοὺμ. Nam voces in medio non adſpirant. Ergo neceſſitatis eſt. Latini hoc modo ſe excuſare non poſſunt. Nam nulla hujuſmodi neceſſitate adſtringuntur.

Naim.

Naim cum m, non cum n, libri Latini. Ναῒν cum ν non cum μ Græci. Cui firmando editio Syra. Nam in ea נאין. ſi recte, tum profecto non recte liber interpretationum, *Naim, pulcher ſive decorus* .i. נעים.

Nathan.

Ναθὰν filius Davidis Luc. 3. 31. Ebraice נתן 2. Sam. 4. 13. In libro nominum, *Nathan dedit vel dantes.* putarim legendum, *vel dans,* נתן dedit. Chaldaice *dans,* ut אמר dixit & dicens. Illud Ebraicum eſt: hoc Chaldaicum. Nam Ebraice *dans* .i. נותן. Sic אומר dicens.

Nathanael.

Iohan. 1. 45. *invenit Philippus Nathanaelem.* τὸν Ναθαναήλ.

θαναήλ. Syrus habet לנתנאל. Ceterum Ebraice ſcribitur hoc nomen נתנאל Num. 1. 8. & alibi. Id Latine ſonat, *dedit Deus.* Vnde corrigendus liber Philonis, in quo, *Nathanael*, *Deus meus vel donum Dei.* Nam legendum, *Deus dedit vel donum Dei.* Res eſt, non conjectura. Deuſdedit & Adeodatus nomina ſunt nota Chriſtianis veteribus, reperta in Auguſtino & apud alios religionis noſtræ antiſtites.

Nazareth.

Ναζαρὲθ cum ζ & θ in fine Matth. 2. 23. ναζαρὲτ cum ζ & τ in fine Luc. 1. 26. Act. 10. 38. & alibi. Nazareth, Nazaret; ut Geneſareth, Geneſaret. Sic Eliſabeth & Ἐλιζαβὲτ. Dicimus etiam Nazara καὶ τὰ Ναζαρά. Euſeb. Hiſt. eccleſ. lib. 1. cap. 7. ἀπό τε Ναζάρων καὶ Κωχαβὰ κωμῶν Ἰουδαϊκῶν. Nazara, Nazareth: ut Geneſara, Genneſareth. In his omnibus Zai eſt pro Sade ex dialecto Syrorum, qui has litteras permutant. Sane apud Moſem in Ionatha זוער Zoar legitur pro צוער Soar. Sic Nazara & Nazareth pro Naſara & Naſareth, quod ſcribunt נצרת: itáque hodie legitur in editione Syra. Opidum erat Galileæ, quod Syrus interpres מדינא vocat .i. urbem. Sic etiam vocatur in Græco textu, Luc. 1. 26. εἰς πόλιν τῆς Γαλιλαίας ᾗ ὄνομα Ναζαρὲτ, in urbem ſive in civitatem. Alij vicum appellant. Putarim fuiſſe ex eo genere qui κωμοπόλεις dicuntur. Hiero. Matth. 17. *Nazaret, opidum Galilææ Capharnahum urbi ſubjacens.* Idem de locis Actorum, *Nazareth viculus in Galilæa juxta montem Thabor: unde & dominus noſter Ieſus Chriſtus Nazarenus vocatus eſt: habetque Eccleſiam in loco qua angelus ad B. Mariam euangelizaturus intravit. Sed & aliam ubi Dominus eſt nutritus.* Euſebius in libro locorum, *Eſt autem uſque hodie in Galilæa viculus contra legionem in quintode-*

cimo ejus milliario ad orientalem plagam, juxta montem Thabor nomine Nazara. Rurſum Hiero. in libro nominum, *ſcribitur autem non per Z litteram, ſed per Ebræum Sade: quod nec S, nec Z litteram ſonat.* Recte: antiqui tamen exprimebant per S, quod vocabant S, Sade: & aliquando, quanquam rarius, per z: unde forte Nazareth. Nihil temere ſtatuendum. Nam quæ de dialecto Syriaca ſcripſi, certiora eſſent, ſi uſpiam נזרא aut נזרת inveniretur. Quæramus amplius. In libro nominum, *Nazareth, flos aut virgultum ejus.* In mente habuit נצר, quod ſurculum ſive virgultum ſignificat. נצרה: & Chaldaice נצרית ſurculus ejus, virgultum ejus. Extat hoc nomen in Eſaia propheta. Errant autem, meo judicio, qui ab eo Chriſtum Nazaræum appellatum contendunt. Nam dictus ita ab opido Nazareth, pro quo Matth. 21. 11. in editione Syra נצרא נָצְרָא Naſara, niſi mavis נְצָרָא, quod forte originem habet a נצר, vocabulo ambiguo ad ſurculum & urbem Nazara. Neſer, Naſara, ut צלם & צלמא, quod antiquitus legebant Salama.

Nazaræus.

Græce Ναζωραῖος. Dicimus etiam Nazarenus. Syriace נצריא Naſaræus, vel certe Nazaræus. Nam etiam נצר quod Ieſ. 11. Hiero. ſcribit Nezer, per Z. Nomen hoc in novo fœdere duo ſignificat. Primum Ieſus Nazarenus dicitur quia educatus in opido Nazareth: deinde abs eo Chriſtiani primitus Nazaræi dicebantur: unde ſecta τῶν Ναζωραίων Actor. 24. 5. Dicebantur & Galilæi, quia Nazareth vicus Galilææ. Suidas Ἐν Ἀντιοχείᾳ μετονομάσθησαν οἱ πάλαι λεγόμενοι Ναζαραῖοι καὶ Γαλιλαῖοι, χριστιανοί. Quod etiam peculiariter de Chriſto uſurpatur; unde illud Iuliani apoſtatæ, *viciſti Galilæe.* Nazaræorum vox crebra eſt in monumentis doctorum. Dicunt.

cunt.

cunt autem נוצרי Nozaræus & נוצרים Nozaræi: quibus in ſynagogis ſuis ter in die maledicunt. Autor Hiero. Ieſ. 49. Addam pro corollario. Iohan. 1. 47. *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Quaſi dicat minime. Nam urbs erat Galilææ. Galilæi autem inviſi erant Iudæis. Primum, quia magna ex parte ex illis erant oriundi quos Salmanaſſar ex Aſſyria illuc traduxerat 2. Reg. 17. qui religionem Iſraeliticæ gentis patriis ſuis ritibus corruperunt. Deinde quia ut lingua, ita moribus ab iis diverſi erant. Tertiam cauſſam præbere potuit Ieſus Barachiæ filius, quem Thalmudici ortum referunt ex hac urbe. Vixit autem temporibus Iohan. Hyrcani Simonis Haſamonæi filij, & portentoſis erroribus Iudæam replevit. Fuit Minæus .i. hæreticus & idolorum cultor: cujus hiſtoria extat in Sanhedrin, cap. Helec, ubi de Meſſia tractatur.

Nephthali.

Nephthali legitur apud interpretem vulgatum Matth. 4. 13. ubi Græci habent νεφθαλεὶμ .i. Nephthalim, cum m in fine. Critici Ebræorum ſcribunt נפתלי Naphthali: Sic etiam interpres Syrus. Naphthali, Nephthali; ut Malchi, Melchi: unde & Melchiſedec. Et Nephthali, Nephthalim, ut Iari, Iarim, & ſi quæ alia ſunt; in quibus m redundat, non tam vitio ſeculi, quam culpa ſcribarum. Hinc etiam Siloam pro Siloa.

Neri.

τοῦ Νηρὶ Luc. 3. 27. Syrus habet Niri. Neri legitur etiam Ierem. 32. 12. & 16. in vulgata Latina .i. נרי, ubi codex Ebræus נריה Neria vel Nerias. Neria, Nerias: ut Iſuda, Iudas. In libro nominum, *Neri, lucerna mea, Neria, lucerna DOMINI.* נר lucerna, יה DOMINUS.

Nicolaitæ.

Nicolaitæ Apocalyp. 2. 6. & 15. a Nicolao quodam dicti, cujus mentio, juxta opinionem veterum, Act. 6. 5. nomen eſt mere Græcum. Quocirca errant qui tanquam Ebraicum interpretantur: in queis Hiero. in libro nominum. Vide, ſi placet & ſi otium eſt. Damaſcenus libro de Hæreſ. *Nicolaitæ nominati ſunt a Nicolao, quem viduis Apoſtoli præfecerant.* Hiero. in Heluidium, *Stephanum ſuſpicis, ſed & Nicolaum reſpice, quem DOMINVS in Apocalypſi ſua damnat ſententia. Qui tam turpia & nefanda commentus eſt, ut Nicolaitarum hæreſis ex illa radice naſcatur.* Idem contra Luciferianos, *Nicolaitæ, quorum Apocalypſis ſecundo mentio fit, uxores communes habuerunt, & vagis libidinibus ſe polluerunt, tegentes ſuum ſcelus prava imitatione Nicolai proſelyti.* Idem ſcribit Euſebius hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 29. De Nicolao Clemens Stromat. lib. 3. pag. 104. in verſione Latina, *Vna tantum uxore uſus fuit, quam cum formoſam haberet, & apoſtoli ei exprobarent zelotypiam, in medium adductam permiſit cui vellet nubere.*

Niniuitæ.

Ninivitæ, codices Latini Matth. 12. 41. νινευῖται Græci .i. Ninevitæ. Hîc ε: ibi (ι) in antepenultima. Syriace גברא נינויא homines Ninivitæ. Ebræi dicerent אנשי נינוה viri Ninives. Dicta vero Ninive nomine compoſito, ut videtur, ex נין Nino & נוה habitaculum. Ninus iſte in Geneſi Aſſur vocatur, ut quidam opinantur. Alij aliam notationem adferunt. Vide lectiones meas in Ionam.

Noe.

Noe antiquitas lectionis pro Noa, ut Sue dicebant pro Sua: quæ ſcribunt נח & שוע. Sic Thare. Sæpe hoc modo pro a legebant e. Ex hac conſuetudine eſt הושע

Hoſee.

Hoſee. Græce eſt Νῶε Matth. 24. 37. Apud Hilarium reperio Noem in quarto caſu tanquam a recto Noes. Noe Noes, ut Hauſe, Hauſes. Hiero. in quæſt, *Noe dictus quia ſub illo omnia retro opera per diluvium quieverunt.* Gloſſarius Philonis, *Noe, requies.* Sed Gen. 5. 29. כי ינחמנו quia conſolabitur nos. Ergo R. Salomó cenſet nomen decurtatum eſſe ex נחם. Poteſt ita eſſe: tamen qui requiem præſtat, etiam conſolatur homines, ut hæc duo in idem fere recidant.

Obed.

Ὠβὴδ, filius Booz ex Ruth. Matth. 1. 5. pater Iſai ſive Ieſſe, avus Davidis, ibid. Ebraice עובד. Id Latine ſonat, ſerviens aut colens. Syrus quoque habet עוביד.

Oſanna.

Vide Hoſanna. Sic ד׳ אושענא & ד׳ הושענא promiſcue leguntur in Gemaroth. Iuch. 84. 1.

Oſee.

Rom. 9. 25. ὡς καὶ ἐν τῷ Ὠσηὲ λέγει: quod ſcribunt Oſee ſine aſpiratione, cum ſcribendum ſit Hoſee cum adſpiratione. Nam Ebraice הושע. Hoſea Hoſee, ut Sua, Sue. Syrus habet הושע Huſa ſive Huſe: pro quo antiqui legebant Hauſe, u in au vertentes. Huſe, Hauſe: ut עוץ Vz, Auz: ut Vzites & Auzites. Male in Tremel. eſt Hoſea. Nam Syri carent o vocali, quam in u vel in au mutant.

Ozias.

Ὀζίας. Matth. 1. 9. Hoc nomen perperam adſpiratur in nonnullis editionibus Hozias. Nam Ebraice עזיה prima Ain, quæ leniter ſcribi ſolet, ut in Arabia, Emmanuel, Elamitæ & aliis. Vetus quoque interpres ſemper ſcribit Ozias. Syrus habet Vzia. Ozia, Vzia, ut Hoſe, Huſe. Nam hæ vocales alternant, etiam apud Ebræos.

Ebræos. Dicimus enim certè Vzzi robur meum & Ozzi per camets breve. Gloſſæ Philonis, Ozia, *fortitudo DOMINI.* Ozia, Ozias, ut Iuda, Iudas. Poſſet etiam exponi, *robur meum DOMINVS.* Autor operis imperfecti, *Ozias interpretatur filius nobilis:* falſum. Nam filius ben dicitur aut bar; non Oz aut Vz. Rurſum Philo, *Oziel, fortitudo mea Deus.*

Paſcha.

Quid interpreti venerit in mentem, inquit Ælius Antonius Nebriſſenſis, *ut quod ab Ebræis dicitur Peſach per Sama* (.i. Samech) *in Exodo, atque aliis in locis Inſtrumenti veteris interpretatus ſit in Phaſe, in Teſtamento novo Græce & Latine dicatur Paſcha, aut quid ſimile inter ſe habeant hæc tria, Peſach, Phaſe, Paſcha, ut auſus ſit Latinus interpres vertere Peſach in Phaſe, aut Græcus, in Paſcha, vellem diſſereret mihi quiſpiam trium linguarum peritus.* Hucuſque Nebriſſenſis ille. Antea omnia ſciendum Peſach recentioris corruptęque conſuetudinis eſſe, cum, teſte Hieronymo, Ebræi P, Latinum non habeant. Scribendum ergo Pheſa vel Pheſach. Id antiquitus legebant Phaſe. פסח Phaſe, ut תרח Thare, זרח Zare: in quibus e pro a, ut in קרח Core, יפתח Iephthe & aliis ſexcentis. Nihil hîc novum aut inſolens. Iam vero Chaldæi addito א elemento, ut moris eſt apud eos, dicunt פסחא. Inde novi fœderis ſcriptores fecerunt primum Phaſcha, deinde aſpirata in exilem verſa, Paſcha. פסחא Phaſcha, ut פסגה Phaſga. Hoc primum: deinde פסחא Paſcha, ut כרמל Carmelus. Dictum Paſcha non ἀπὸ τοῦ πάσχειν, ut veterum plerique arbitrantur, ſed a tranſiliendo. Nam exterminator angelus, cum Ægyptiorum primogenitos occideret, viſo ſanguine in foribus Iſraelitarum, eorum domos tranſiliit. Falluntur ergo qui a tranſitu maris rubri ſic appel-

appellatum putant. Id quod eccleſia etiamnum canit, *Poſt tranſitum maris rubri, Chriſto canamus principi*, per tranſitum maris, ipſum Paſcha, ut apparet, ſignificans. Pro Phaſe, Theodotio quondam edidit φασὲχ, Symmachus ὑπερβάσεις, Philo διαβατήρια, Ioſephus, ὑπέρβασιν. Hinc intelliges quid ſit apud Euſebium lib. 7. cap. 32. τὰ διαβατήρια. Nam innuit feſtum Paſchatis, quæ ab eodem alibi vocatur ἡ τῶν διαβατηρίων ἑορτή. Qui Paſcha a paſſione dictum exiſtimarunt, fuere apud Veteres non ex media plebe, ſed ex prima nota Nazianzenus, Lactantius, Ambroſius & ætate noſtra Iohannes Tortellius aliique plures. Lactantij verba ſunt lib. 4. cap. 26. *Paſcha nominatur ἀπὸ τοῦ πάσχειν, quia paſſionis eſt figura, quam Deus præſcius futurorum tradidit per Moyſem populo ſuo celebrandam.* Alteram opinionem de tranſitu maris rubri tuetur Zacharias in unum ex quatuor pag. 210. per hæc verba, *Paſcha non eſt Græcum nomen, ſed Ebræum. Opportune tamen concurrit in hoc nomine congruentia utriuſque linguæ. Qui enim patitur Græce πάσχειν dicitur. Ideo Paſcha paſſio putata eſt: ſed in ſua lingua .i. Ebræa, tranſitus dicitur, quia tunc primum Paſcha celebravit populus Dei, quando mare rubrum tranſijt. Ideo ſcilicet Paſcha Ebraice dicitur Phaſe .i. tranſitus.* Veram etymologiam ſcivit Hieronymus, quam his verbis expreſſit, *Paſcha Ebraice dicitur Phaſe, non a paſſione, ut plerique arbitrantur. Sed nec dicitur Phaſe a tranſitu maris rubri, id quod Eccleſia canit &c. Sed quod exterminator videns ſanguinem in foribus Iſraelitarum pertranſierit neque percuſſerit illos. Ait namque Scriptura, Eſt enim Phaſe .i. tranſitus DOMINI, & tranſibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omnem primogenitum. Et ſequitur, Cumque viderit DOMINUS ſanguinem in ſuperliminari in utroque poſte,*

Forte διαβατήρια, quæ ſunt ſacrificia pro tranſitu.

Verba hæc habentur in Auguſtino tract. 55. in Iohan paucis mutatis.

tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras. Atque iterum, *Et cum dixerint vobis filij veſtri, Quæ eſt iſta religio? dicetis eis, Victima tranſitus DOMINI eſt, quando tranſivit ſuper domos filiorum Iſrael in Ægypto.*

Phaleg.

Sic libri editionis Latinæ, quam vulgatam vocant. Nam in Græcis eſt Φαλὲκ, mendum quale in Λαμὲχ pro Λαμὲχ. Sane Syrus habet פלג & Gen. 10. 25. eſt פלג. Pheleg, Phaleg; ut פרץ Phares; הבל Habel, & alia ſexcenta. Dictus ita quia in ejus diebus נפלגה .i. diviſa fuit terra. Vnde Phaleg μερισμὸς .i. diviſio.

Pharao.

Pharao nomen dignitatis apud Ægyptios. Græci Φαραὼ & Φαραώνης. Ebraice פרעה. Pharao Φαραὼν, ut Salomo, Σαλωμών. Ioſephus autor in lingua Ægyptia regem ſignificare. Scribit hoc Ant. hiſt. lib. 8. cap. 12. Alij cenſent a primo rege, qui Pharao nominabatur, reliquos dictos eſſe Pharaones uſque ad Alexandrum, poſt quem deinde vocati ſunt Ptolomæi a Ptolomæo Lagi filio. Euſebius in Chronico, *Ægyptiorum reges omnes tunc Pharaones dicebantur, non hoc proprium habentes nomen: ſed pro dignitate reges tunc utebantur hoc nomine, ſicut & apud nos imperatores Auguſti nuncupantur. Hoc nos ex libris Manethonis ſacerdotis Ægyptij lectione poſſumus.* Quod ſit nomen commune & non proprium, probari poteſt duobus aliis argumentis, ex ipſo textu ſacro petitis. Vnum eſt quod Ioſeph Pharaonem alloquens dicat, *vivat Pharao.* Abſurdum enim eſſet & prorſus incivile ſi quis regem ita proprio nomine compellaret. Alterum quia jungitur ei aliquando proprium nomen, ut, Pharao Vafre, Pharao Nechao &c. Sic *Pharao*

Gen-

Cenchres, teſte Euſebio, *mari rubro ſubmerſus fuit, cum populum Dei perſequeretur*. Quin ipſi chronologi ſingulatum ætatum Pharaones propriis ſuis nominibus enumerant, ut dubitare de eo nemo jam debeat. Habetur hoc nomen cum alibi, tum Act. 7. 10.

Phares.

φάρες Matth. 1. 3. Luc. 3. 33. Ebraice פרץ Pheres. Vide Gen. 38. 29. Pheres, Phares, ut Pheleg, Phaleg, ut Hebel, Habel, & alia ſexcenta. Nam in pauſa dicimus פרץ, unde Phares .i. diviſio, vel potius διακοπὴ .i. diviſio, interruptio. Qui ab hoc nomine Phariſæos appellatos putant, egregie falluntur. Nam Phares ultimam habet S, Sade: Phariſæus autem ſcribitur פרושא cum S, Sin, quæ Herodoto San dicitur. Vide ſequentia

Phariſæus.

De Phariſæis vide quæ ſcripſimus cap. XXI. Quibus addo. Qui Latine Phariſæus, Græce dicitur Φαρισαῖος, (ita Suidas) Φαρισαῖος unico σ, & Φαρισσαῖος duobus. Syriace פרישא & Ebraice פרושי .i. Pharuſæus. Sed in novo fœdere ſervata forma Syra, ut in Meſſias & aliis. Nam Ebræus dicit משיח Maſiach. De nominis etymo tres ſunt opiniones. Una eſt Hieronymi & aliorum fere patrum, qui Phariſæos appellatos cenſent a diviſione, quæ Phares dicitur .i. פרץ. Verba Hiero. hac de re habentur in Quæſt. Ebraicis, *Phares diviſionis nomen accepit eo quod diviſit medianulam ſecundinarum. Unde & Phariſæi qui ſe quaſi juſtos a populo ſeparaverant, diviſi appellantur.* Hæc etymologia confundit פרץ cum פרש; quæ tamen litteris diſtinguuntur. Nam פרש unde Phariſæus, in ultima habet litteram Sin. Diviſio autem פרץ dicitur, cum Sade in ultima. Hujus & ſupra meminimus. Secunda opinio eſt eorum qui eos ab enar-

rando dictos arbitrantur: quibus favere videtur Gorionides ita ſcribens, *Iſti ſunt*, inquit, *Phariſæi, qui legem populo enarrant*. Verba hæc leguntur cap. 29. fol. 49. editionis Venetę, qua uſus ſum. In hac ſententia & ego aliquando fui, quam nunc muto. Nam credibilius appellatos eſſe a ſanctimonia vitę, quę פרישות dicitur, in quo ſignificatio ſeparandi. Nam ſeparati erant .i. פרושים a moribus hujus ſeculi מדרכי העולם. Notum apophthegma R. Aquibæ, qui præceptor fuit Aquilæ Pontici נדרים סיג לפרישות vota ſepes ſunt ſanctæ vitæ. Sane Rhea Sylvia Veſtę ſacerdos in libro Iuchaſin vocatur פרושה quaſi ſanctimonialem dicas. Verba ſunt, *Anno 38. Oziæ regis Amulius expulit fratrem ſuum maximum natu, & occidit filium fratris ſui, & filiam fratris ſui fecit Phariſæam .i.* ſanctimonialem, aut Veſtæ ſacerdotem. In eodem libro de Eſſæis, *Inveniuntur inter eos homines futura denuntiantes* לפרישותם *propter ſanctimoniam eorum*, ולקדושתם *& propter ſanctitatem eorum*. Hîc copula (&) videtur poſita in exegeſi. Separati autem erant a vulgo non ſolum vitæ ſanctimonia, ſed etiam veſtibus: quas R. David Zach. 13. 4. appellat veſtes Phariſæorum פרושים, & colentium Deum ועובדי האל. Idem Sophon. 1. ad verba illa *Qui induunt veſtem peregrinam*, *Sunt*, inquit, *qui exponant de hominibus qui oſtendunt ſeipſos* פרושים, *id eſt ſeparatos* וחסידים *& pios, & induunt veſtes peregrinas, quæ non ſunt ſimiles veſtibus reliqui populi, quo agnoſcantur veſtibus ſuis quod ſint* פרושים *ſeparati, & via ipſorum mala ſunt*. Huic etymo firmando interpretatio Græca ἀφωρισμένοι, id eſt ſeparati. Lexicon Heſychii, Φαρισαῖος, ἀφωρισμένος .i. μεμερισμένος, καθαρός. Separatus .i. פרושי: diviſus מחולק: mundus טהור aut נקי. Suidas, Φαρισαῖοι, οἱ ἑρμηνευόμενοι.

μενοι ἀφωρισμένοι, παρὰ τὸ μερίζειν καὶ ἀφορίζειν ἑαυτοὺς τῶν ἄλλων ἁπάντων εἰς τε τὸ καθαρώτατον τοῦ βίου καὶ ἀκριβέστατον καὶ εἰς τὰ τοῦ νόμου ἐντάλματα. Probari hæc poſſent, niſi ſequeretur *Φάρες γὰρ κατὰ τὴν ἑβραΐδα γλῶτταν, ἀφορισμὸς ἑρμηνεύεται ἢ διακοπή.* Nam *Φάρες*, id eſt פרץ, ut diximus. Mihi vix dubium quin huc reſpexerit Apoſtolus Rom. 1:1. cum ait, *ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον Θεοῦ.* Nam ſecta Phariſæus erat. Deus autem illum ſegregaverat; vel ſi mavis, ſeparaverat ad prædicandum euangelium. Phariſæi varias appellationes habebant. Nam vocabantur alio nomine ſapientes. Gorionides loco citato, *Sedit rex ad menſam cum ſapientibus Iſrael, hoc eſt cum Phariſæis.* Sunt qui memoriæ prodiderunt ſapientes, id eſt חכמים, dictos fuiſſe uſque ad Alexandrum Iannæum, eoque regnante primum cœpiſſe vocari Phariſæos. Quod legere memini in libro quodam Ebraico, qui vulgo Compendium Ioſephi nuncupatur. Dicebantur etiam *βαπτισταὶ* a crebra lotione poculorum & ſextariorum. Quod epitheton eis tribuit Iuſtinus Martyr in diſputatione cum Tryphone Iudæo, pag. 89. & Deuterotæ .i. תנאים, quia traditiones majorum, quæ *δευτερώσεις* dicuntur, diligentiſſime obſervabant. Quanquam Epiphanius Deuterotas inter & Phariſæos diſtinguere videtur. Etiam מקבלים vocabantur, quod ritus a majoribus acceptos poſteris per manus traderent. Proprie tamen loquendo diverſi ſunt hi ab illis. Non eſt omittendum nomen חסידים, quod illis tribuit compoſitor hiſtoriæ Ebraicæ capite memorato. Erant autem חסידים, quos autores Machabæorum Haſidæos appellant, primi Iudæorum. Conſimilia ſcribit Auguſtinus de Phariſæis. Nam ſermone 30. de verbis DOMINI, *Phariſæi*, inquit, *Iudæi erant, quaſi egregii Iudæorum. Nobiliores enim atque doctiores*

tunc Phariſæi vocabantur. Idem ſermone xv. de verbis Apoſtoli, *Secundum legem Phariſæus*, ita ſcribit, *Primarij quidem erant & quaſi ad nobilitatem Iudaicam ſegregati, non contemptibili plebi commixti, qui dicebantur Phariſæi. Nam dicitur hoc verbum ſegregationem interpretari, quomodo in Latina lingua egregius quaſi a grege ſeparatus.* Noviter ἐτυμολογίζει Phariſæus quaſi egregius, quos ſupra diximus appellatos a ſanctimonia, quam ſibi præ reliquis arrogabant ac tribuebant. Cave rejicias. David Camius in libro ubi vocum ſenſa explicat quo in loco docet quid ſit אצילים, ait eſſe המפורשים והמכובדים שבישראל qui eximij vel ſelecti & honorati ſunt in Iſrael. Porro חסידים Græce ſonat ὅσιοι, qui pietatem & religionem colunt. Hi poſt Eſſæi peculiariter nominati. Nam חסיד Antiochena dialecto eſt חסי, unde Eſſæus, vel ſi mavis, Heſſæus. Sed ut Eſſæus vel Eſſenus ſcriberetur abjecta aſpiratione uſu obtinuit. Contrà addita aſpiratio nomini Hebræus contra analogiam, quam ſequimur cum Ebræus ſcribimus. Eadem nos docet ſcribendum eſſe Haſidæus cum adſpiratione. Nam ibi Ain, hîc Heth in prima. Heth autem, teſte Hiero. duplex adſpiratio eſt. Ea carent Latini. Propterea utuntur ſimplici, ut in Ham, Hermon, Hebron & aliis. Interdum utuntur ejus loco c, aſpirata, quam Græci per χ exprimunt, ut in Cham, Chebron, Chermon. Qua ratione ſcribi etiam poſſet Chaſidæus, ſi ea ſcriptura uſpiam extaret. Quod autem in libris Aſidæi, ſcribis imputandum, qui ſæpenumero exiliter efferunt, quæ ſunt aſpiranda, & contra. Talia non præjudicant, neque conſuetudo nobis obeſſe poteſt. Nam conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt. Imperitia quorundam facit me ſolito prolixiorem eſſe. Quid Nicolaus Serrarius Ieſuita ſcripſerit, ſciunt

qui

qui legerunt ipſius commentarium in libros Machabæos lucubrationes miſit. Adverſus eum igitur mihi nunc res eſt. Nam triumphum canit ante victoriam. Neque Ioſephi locum, quem ibi adducit, recte intellexit. Nam verba illa והחסידים לבדם עם העם interpretatur, *& Aſidei ſeparati ab illis, videlicet Phariſæis & Sadducæis*, cum reddi debeant *& Haſidæi ſoli erant cum populo*. Verbum e verbo *ſoli ipſi*. Mens Gorionidis, Sadducæorum partes ſequebantur Chuthæi ſive Samaritani: Phariſæi ſoli erant cum populo, qui eos ſectabatur. Res eſt, nam divinatio indiget eruditi, etiam Ieſuitæ. Quod autem ſcripſi, *In ſilentio igitur omnium quæro quinam dicti ſint ibi Haſidæi*, capiendum de interpretibus Machabæorum. Nam altum apud eos de hac re ſilentium. Omitto unius ineptias, quas judicavi tum indignas memoratu. Munſteri Gorionidem non habeo. Neque moror catholicum Genebrardum, qui Quæſtiones meas olim legit, & ex iis multa compilavit, tacito nomine meo, quod eſt hominis minime ingenui. Sed is audit vulgo plagiarius. Munſterus autem non obſervavit idem quod ego. Nam ut verum ſit Eſſæos, Haſidæos dici, tamen eo in loco, ut etiam in libris Machabæorum, Phariſæi ſignificantur, aut, ſi nomen illud recentius eſt, ſapientes Iſrael. Quid multa? ipſe Hyrcanus vocatur ibi a Phariſæis, cum adhuc eorum diſcipulus eſſet, חסיד i. pius. Quo ſignificatu etiam accipitur cum de Phariſæis uſurpatur. Sic dico, nomen חסיד in hiſtoria Ebraica ſumitur late, ſtricte. Cum late ſumitur, ſignificat pios: cum ſtricte, Eſſæos. Late autem accipitur apud Gorionidem capite vigeſimo nono: in quo plures ſectæ non commemorantur quam duæ. Si aliter eſt, tum ego profecto in magno errore ſum. Sed non ero pertinax, ſi quis me-

lioræ

liora docuerit. Nos ad utrumque parati ſumus, ut vel rationem reddamus, ſi quid recte monuerimus: vel ingenue confiteamur errorem, ſicubi lapſi deprehendimur. Homines ſumus & humani nihil alienum a nobis eſſe ducimus. Hoc igitur animo cum ego ſcripſerim Quæſtiones meas, non debuiſſet ille adeo inſultare, præſertim cum in ipſius commentario quam plurima ſint, quæ hominis docti cenſuram ſubire poſſent. Nam quod me hæreticum dicit, in eo illi optime convenit cum theologis Franekerenſibus, qui hæreticum inter & orthodoxum, ſi modo ab illorum ſenſu vel minimum diſſentiat, nullum diſcrimen ponunt. Si veritatis ſtudioſus eſt hæreticus, tum ego profecto fateor me hæreticum eſſe. Sed ad propoſitum. *Phariſæi*, ait Hiero. *traditionum & obſervationum, quas illi δευτερώσεις vocant, juſtitiam præferebant, unde & diviſi vocabantur a populo, corporiſque & animæ reſurrectionem credebant: item angelos eſſe & ſpiritum confitebantur, id quod Saducæi negabant.* Hoc ait in comment. Matth. 22. pag. 48. editionis Plantinianæ, ubi in margine perperam פריצים legitur pro פרישים. Idem in iiſdem comment. Matth. 13. pag. 49. *Cum præceptum eſſet Num. 15. ut in quatuor angulis palliorum hyacinthinas fimbrias facerent &c. ſuperſtitioſi magiſtri captantes auram popularem, atque ex mulierculis ſectantes lucra, faciebant grandes fimbrias, & acutiſſimas in eis ſpinas ligabant, ut videlicet ambulantes & ſedentes interdum pungerentur, & quaſi hac admonitione retraherentur ad officia DOMINI & miniſteria ſervitutis ejus.* Finiam, ſi prius ex Suidę lexico addidero, Σικάριοι λέγονται οἱ Φαρισαῖοι ὡς ζηλωταί. Quæ verba docent Phariſæos etiam Sicarios appellatos fuiſſe. Sicariorum mentio Act. 21. 38. ſed alio ſenſu. De iiſdem mira quoque Ioſephus.

Ad-

Addam & hoc: Gen. 49. 26. ubi in Ebræo נזיר ſeparatus, Oncelos habet פרישא. Verba ſunt גברא פרישא דאחוהי vir ſeparatus inter fratres ſuos. Similiter Deut. 33. 16. Ergo Phariſæi, ſeparati potius quam diviſi. Quo vocabulo uſum optarem Hiero. in loco, quem modo allegavi. Sed *diviſi* ei eſt quod Græci dicunt ἀφωρισμένοι. Quo participio uſi ſunt Origenes, Epiphanius & alij patres. Plura de Phariſæis Ioſephus Ant. hiſt. lib. 17. cap. 3. & lib. 18. cap. 2. Suidas in voce Φαρισαῖος: Cæſar Baronius in Apparatu, pag. 12. & alij.

Phœnice.

Act. 11. 19. ἕως Φοινίκης. Interpres vetus *uſque Phœnicem:* alius, *uſque in Phœniciam*. Syrus עדמא לפוניקי uſque in Phœnicem. Si fides Ioſepho Scaligero פינחס, qui ab interpretibus Phinees vocatur, eſt Phœnix. Inde Phœnice & Phœnicia: item Pœni & Punica lingua, quæ & γλωσσὴ τῶν Φοινίκων: qua uſus olim Sanchuniatho ſcriptor antiquiſſimus: cujus hiſtoriam Philo Byblienſis in Græcum ſermonem convertit. Ejus meminit non ſemel Euſebius in libris de Præparatione Euangelica.

Ptolemais.

Act. 21. 7. εἰς Πτολεμαΐδα. Interpres vetus, Ptolemaidem: alius recentior, Ptolemaida. Syrus לעכו. Ebraice עכו Aco. Stephanus ſcribit Ace. Strabo lib. 16. Πτολεμαῒς μεγάλη πόλις, ἣν Ἄκην ὠνόμαζον πρότερον. Rectius Ἄκην. Apud Gorionidem vocatur, תלמירה: niſi mendum eſt pro תלמירא, i. Tholomais, unde *columnæ Tholemaidenſes*. Ptolomais, Tholemais; ut Ptolemeus, Tholemeus: unde Bartholomeus aut Bartholemeus. Nam utraque ſcriptura in uſu. Vrbs hæc Phœnices antiquum nomen Ace hodie adhuc retinet. In tertio Machabeorum cognominatur ῥοδοφόρος. i. roſifera. Erat & alia urbs hoc

nomine in Africa. Hiero. de locis Actorum, *Ptolemais, civitas in Iudaea maritima prope montem Carmelum, quae quondam a quodam Ptolemaeo ſic dicta eſt. Eſt autem altera Ptolemais in Pentapoli provincia Africae, cujus ſupra memini.*

Rabbi.

Vide comment. poſteriorem, cap. 20.

Graece ῥαββὶ ſive ῥαββὰ, ut ἀββὶ & ἀββᾶ. Nam pro chirec magno veteres quandoque ei ſcribebant: unde ἐλωεὶμ, σεραφεὶμ, χερουβεὶμ & alia ſexcenta. Ebraice רבי. Dicunt etiam ריבי i. Ribbi. Sic Rica invenies pro Raca. Rabbi .i. magiſter, aut doctor, καθηγητὴς, praeceptor. Iohan. 1.39. Ραββί, ὃ λέγεται, ἑρμηνευόμενον, διδάσκαλε, quod dicitur, ſi interpreteris, magiſter. Syrus רבן cujus pluralis רבנין magiſtri. Minus recte alij, *domine noſter* .i. מרן. Sed maran etiam ſimpliciter dominū ſignificat, ut rabban, magiſtrum. Utrobique nun eſt littera heemanthica. Geminatum legitur Marc. 14. 45. ῥαββὶ ῥαββί: Rabbi, Rabbi. Quod autem ait Matth. 23. 8. *Vos autem ne vocemini Rabbi*, ſenſus eſt, ne velitis ita vocari, ne libenter vocemini. Sequitur *unus enim veſter doctor* .i. καθηγητής. Ergo ῥαββὶ etiam καθηγητής. Sed mirum cur poſt ſubjiciat, μηδὲ κληθῆτε καθηγηταί: ne vocemini doctores aut magiſtri. Syrus hic habet מדברנא .i. ductores, rectores, aut duces. Porro Iod in רבי tale eſt quale in אכזרי crudelis, נכרי externus. Hiero. exiſtimavit affixum eſſe. Nam in nom. de Matthaeo, *Rabbi, magiſter meus, Syrum eſt*. Sed idem in comment. *Rabbi Latino ſermone magiſter dicitur*. Sic etiam Auguſtinus tract. 2. in Iohannem. Tale Iod in Rabboni, de quo nunc jam dicturus ſum.

Rabboni.

Graece eſt Iohan. 20. 16. ῥαββουνί, Rabbuni. Sed in editione Latina, quae a vulgo nomen habet, *Rabboni* .i. רבוני, Iod addita formandae voci, ut in Rabbi. Vocant

Ioth.

Ioth hemanticum. Sunt qui dicant pronomen eſſe, quod non probo propter interpretationem Euangeliſtæ ὃ λέγεται διδάσκαλε. Syrus habet רבוני. ita meum exemplar quod Plantinus excudit. Tremellius videtur legiſſe רבולי. Nam in verſione Latina, quæ cuſa in Anglia, Rabbuli. Nam נ & ל permutantur. אלמנה vidua nomen eſt Ebraicum. Syriace ארמלא. Adito ſis ad Gram. meam. Marci 10. 51. invenio ῥαββονὶ per o brevem vocalem. i. רבני, ubi Ioth poteſt affixum eſſe ex רבן, magiſter mi. רבני ῥαββονὶ, ut קרבנא κορβονᾶ. Nam רבוני ſcriberetur potius ῥαββωνὶ, penultima longa. Abſque Ioth eſſet Rabbon, quod male dici obſervat Elias pro Ribbon. Sed ſi Rabbi & Ribbi dicimus, cur non poſſumus etiam dicere Rabbon & Ribbon? Rabbon magis antiquitatem reſipit. Ribbon paſſim occurrit pro domino, non qui ſit αὐτοκράτωρ tantum, vel, ut Iuriſconſulti loquuntur, qui merum habeat imperium: ſed alio quovis, ut videre eſt Gen. 42. 10. in Oncelo & Ionatha: item Exod. 21. ad verba illa, *Si dominus ejus dederit ei uxorem*. Et hi & alij loci innumeri evincunt falſum eſſe, quod hac de re Caninius ſcriptum reliquit. Vide tractatum ipſius de locis N. T. Syrus in hoc poſtremo loco habet רבי Rabbi. Sunt etiam exemplaria Græca, in quibus ῥαββουνὶ ſcriptum, forte an ex euangelio Iohannis.

Raca.

Raca ſcribendum non Racha. Nam Græce eſt ῥακὰ Matth. 5. 22. Sed Racha in libris Latinis. Sic alibi σαβαχθανὶ legitur pro σαβακθανὶ. Nam litteræ cognatæ ſunt, & librarij non adeo accurate differentiam earum obſervant. Sæpe hanc cum illa confundunt & contra. Nos ex Hieronymo didicimus ק eſſe c, ſimplex, כ vero c, aſpiratum, quod vocant χῖ. Hoc ille ſæpius inculcat

in libro nominum. Syrus habet ריקא, quod legitur Racá. In Heſychio ῥακκὰ, κενός. Legerim ῥακὰ unica κ. κενὸς .i. inanis aut vacuus. Eſt autem vox convicij liberioris, ut ſi dicas vacuus cerebro. Hiero. adverſus Pelagianos lib. 2. *Raca interpretatur vanus & abſque cerebro.* Malim, *vacuus*. Auguſtinus de doctrina Chriſtiana lib. 2. *Dicunt Raca indignantis eſſe vocem, Oſanna lætantis.* Idem de ſermone DOMINI in nocte, *nonnulli de Græco trahere voluerunt interpretationem hujus vocis, putantes pannoſum dici Raca, quoniam Græce dicitur pannus ῥάκος. A quibus tamen cum quæritur quid dicatur Græce pannoſus, non reſpondent raca: ſed deinde non poſſet Latinus interpres ubi poſuit raca pannoſum ponere, nec uti verbo quod & in Latina lingua nullum ſit, & in Græca inuſitatum.* Et mox, *Probabilius eſt ergo quod audivi a quodam Ebræo, cum interrogaſſem. Dixit enim eſſe vocem ſignificantem aliquid, ſed indignantis animi motum exprimentem. Has interjectiones Grammatici vocant particulas orationis ſignificantes commoti animi affectum: velut cum dicitur a dolente heu, vel ut ab iraſcente hem.* Hæc ille fol. 247. col. 3. Auctor operis imperfecti hom. 11. in Matthæum, *Raca quidem dicitur Ebraice vacuus, quamvis quantum ad ſenſum verbi unum eſt dicere fatue & raca. Nam qui vacuus eſt ille fatuus eſt, & qui fatuus eſt, ſine dubio vacuus eſt, & utriuſque verbi una videtur eſſe injuria.* Et aliquanto poſt, *Raca vulgare verbum erat apud Iudæos, quod non ex ira neq; ex odio: ſed ex aliquo motu vario dicebant magis fiduciæ cauſſa quam iracundiæ.* Chryſoſtomus Hom. 16. in Matth. *Raca non grandis alicujus eſt ſermo convicij, ſed magis e contemptu natum & neglectu dicentis, ut ipſi nonnunquam vel ſervulis vel inferioribus quibuſque, aliquid imperantes dicimus, Vade tu, dic illi. Sic etiam qui lingua utuntur*

Syrorum

Syrorum raca pro eo quod eſt tu dicere ſolent. Mens horum verborum non quod raca ſignificet tu: ſed quod utrumque cum quodam contemptu dicitur, σὺ quidem apud Græcos, & raca apud Syros. Sic in Gallia per cõtemptum domini ſervis dicunt *tu:* unde verbum tutoyer. Sic in Belgio du uſurpatur. Pro Raca Thalmudici dicunt Rica. Raca, Rica, ut Bar & Bir .i. filius. Sic Rabbi & Ribbi. Quanquam ibi vocalis longa, hîc brevis. Nam thema ריק: unde & ריקים qui ſegne otium tempuſq; conterunt. Pro rica poſſes legere, reca. Id occurrit in tractatu de benedictionibus: item in Sanhedrin capite Helec. Legitur etiam in libro Muſar, & in Maſſecheth derech arets, qui eſt tractatus in quo agitur de via terræ. Quid autem ſit via terræ diximus alibi. Vide nunc commentarium meum veterem, cap.3. & Angelum Caninium de locis N. T. pag. 37. Videatur quoque Maſſecheth rabba. In tractatu cui titulus Via terræ, quem modo citavimus, Ioſue filius Levi, cum quendam hoſpitio excepiſſet, deduxit eum cubitum in tecto domus, & ſcalas abſtulit: media nocte homo ille ſurripuit vaſa aliqua, cum autem deſcendere vellet, cecidit eo quod ablatæ eſſent ſcalæ, & fregit מפרקתו, id eſt ceruicem aut occiput. Mane invenit eum R. Ioſua: dixit, Reca, ſic faciunt homines tui ſimiles. Cui ille, neſciebam abeſſe ſcalas. Rurſum Ioſua, Reca ſive Rica &c.

Rachel.

Pro vicinia Bethlehemitica ponitur in qua ſepulta fuit olim Rachel, Matth. 2. 18. Græce ῥαχὴλ, & Ebraice רחל. Id Latine ſonat, ovis. Tranſlatum ergo ab animante ad mulierem. Cujuſmodi nomina ſunt עגלה vitula; צביה, unde Thabitha, caprea, dorcas: יעלה ibex, rupia capra. Huc referri etiam poſſet רבקה Rebecca, quod va-

let σιτιςήριον .i. ſaginarium. vulgo מרבק dicitur. In libro nominum, Rachel, *ovis, vel videns principium aut viſio ſceleris ſive videns Deum.* Pro *viſio ſceleris* putarim ſcriptum aliquando fuiſſe, *viſio exercitus.* Nam חיל exercitus. Deus autem dicitur אל per Aleph. Novum non eſt ut hoc modo litteræ confundantur.

Ragau.

Luc. 3. 35. τοῦ Ραγαῦ. Interpres vetus, *qui fuit Ragau.* Syrus, *filius Aru* .i. ארעו. Ebraice רעו, quod autor editionis vulgariæ legit Reu Gen. 11. 18. & Ragau 1. Paralip. 1. 24. רעו Ragau, ut רעואל Raguel: item ut עוץ Aus: שעו Saue. Aliter ſumitur Iudith. 1. ἐν τοῖς ὄρεσι Ραγαῦ. Nam ibi ſig. campum circa Euphratem & Tigrim, ut Ortelius annotat.

Rahab.

Vel, *Rachab*. Nam Græce eſt Ραχάβ Mat. 1. 5. Rahab, Rachab: ut Hermon, Chermon; Hebron, Chebron. Sic Ham & Cham. Ebraice רחב Ioſue 2. 1.

Rama.

Alij ſcribunt Rhama, nempe quia Græci ρ in principio aſpirant, ſcribentes Ραμᾶ. Sed in vocabulo Ebraico Ebraica conſuetudo valere debet, non Græca. Hoc primum: deinde ſi Roma ſcribimus abſque aſpiratione, cur non eodem modo ſcribemus Rama? Matth. 2. 18. *Vox in Rama audita eſt*. Teſtimonium hoc habetur Ierem. 31. 15. Vbi quidam ברמה appellative accipiunt, referentes, *in edito ſive celſo*, & *colle* ſubaudiunt. Ita R. David: Vt ut ſit, Rama opidum eſt tribus Benjamin. Euſebius in locis, *Rama in tribu Benjamin civitas Saulis, in ſexto milliario ab Aelia ad ſeptentrionalem plagam contra Bethel.* Meminit hujus *& Ieremias.* Syrus, *in Ramatha.*

Rebecca.

Rebecca.

Ῥεβέκκα Rom. 9. 10. Sic etiam ſcribitur hoc nomen Gen. 22. 23. Syrus habet רפקא Raphca, in quo ex dialecto illius linguæ ב in פ verſa. Sic פרזלא dicunt ex Ebræo ברזל ferrum. Ebraice רבקה quod ἀρχαϊκῶς leges Rebca. רבקה Rebca, ut רבלה Rebla 2. Reg. 23. 33. Vide quæ ſcripſimus ſupra in Rachel.

Remphan.

Moloch, inquit Scaliger ad Manilium lib. 1. eſt Saturnus planeta, videlicet שבתי quaſi βασιλεὺς: & Remphan, id eſt רעם פעם Iuppiter βροντεὺς, ſive Ζεὺς βροντῶος. Sed fallitur de poſtrema voce. Nam in textu Ebreo eſt כיון, quod olim, cum apices abeſſent, legi poterat Chevan: inde Revan & Rephan, & cum epentheſi Remphan. Rephan legitur in Iuſtino & in Theodorito. De facili autem ר in כ mutatur & contra. Vide comment. veterem cap. 26. Sane apud Gorionidem תכנתו lectum per caph pro Tarento .i. תרנתו. Confer hiſtoriam illam cum Ioſephi Antiquit. lib. 17. cap. 3. & verum eſſe deprehendes quod dico. Similiter 4. Reg. 5. 19. δεβραθὰ legitur in editione Romana pro χαβραθὰ, hoc eſt δ pro χ, vel certe ר, cujus maxima affinitas cum ד, pro כ. Ex Rephan factum deinde Remphan, quod in pleriſque libris, ut ex מף dicimus Memphis, & ex מפים μαμφὶν & Memphon Gen. 46. 21. Hoc ultimum extat in libro de nom. Ebraicis. Iam vide, ſi placet, commentarium meum veterem, cap. 25.

Rhode.

Ῥόδη puellæ nomen Act. 12. 13. ſi eſt nomen Ebraicum, ſcripſerim libentius Rode .i. רודה. Id Latine ſonat dominans, & Græce κυριεύων. Syrus habet Rauda. Rode

Rauda;

Rauda; ut Hoſe, Hauſe. In libro nom. Rhode, videns vel fortis: ראה videns, די fortis, *ἱκανός*.

Roboam.

ῥοβοάμ. Matth. 1. 7. Ebraice רחבעם Rechabaam. Id valet, *Latus populo*. Quanquam in Philone, *latitudo populi:* & in Hiero. *impetus populi*. Eſt etiam ubi reperiatur, *multitudo populi:* qui ſenſus eſt in ſono vocis, non in ſcriptura. Nam רב multitudo, & עם populus.

Ruben.

ῥουβὴν Apocalyp. 7. 5. Ebraice ראובן .i. videte filium q.d. ecce filium peperi, non filiam. Vide Gen. 29. 32. Minus recte Hiero. in Quæſt. *Ruben filius viſionis interpretatur*. Idem ſe corrigit in nom. de Apocalypſi, *Ruben, videte filium*, ſive *videte in medio*. בן filius: בין inter, in medio. Gloſſæ Philonis *Rubeni, viſio filij mei, vel videte inter me*. Sed verum eſt quod poſui.

Ruth.

Matth. 1. 5. ἐκ τῆς ῥοὺθ. Ebraice מרות. Sed in Syra verſione מן רעות ex Reuth, media Ain. Id ſonat, *ſocia, amica, proxima*. Exod 11. 2. מאת רעותה a ſocia ſua. רעות Ruth, ut בעל Bel, qui & בל. Sic forte רות contractum ex רעות. Quis hoc negare auſit, præſertim cum accedat Syri vetuſtiſſimi interpretis autoritas?

Sabacthani.

Sic editio Latina vulgata. Nam in Græca eſt σαβαχθανὶ: ſed legendum puto σαβακθανί .i. שבקתני dereliquiſti me. Hinc etiam emendabis Suidam, ubi perperam Ἀβαχθανῆ, λέξις ἑβραϊκὴ, ἐγκαταλελειμμένος. Eſt autem verbum Chaldaicum ſive Syriacum. Sunt qui putant Chriſtum ipſas voces Ebræas uſurpaſſe, contra Græcorum codicum fidem. In qua opinione videtur fuiſſe Hiero. qui hunc locum citans *Azabthani* habet, pro

quo

quo in epiſt. ad Pammachium de optimo genere interpretandi mendoſe Zabathani legitur. Nam veritas ſcripturæ Azabthani. Quam invenies & in Auguſtino de conſenſu euangeliſtarum lib 3. cap. 17. Plura in edito comment. cap. 13. שבקתני Sabacthani, ut צבאות Sabaoth, רפאים Raphaim, מנשה Manaſſes, כנען Chanaan, & alia ſexcenta.

Sabaoth.

Sabaoth inter decem nomina Dei recenſetur in Avoth, cap. 33. Eſſe enim nomen per ſe, & minime profanum quorundam opinio fuit, ut liquet ex comment. Davidis Camij Pſal. 69. 7. qui nomen profanum ibi appellat במחק. In eadem opinione fuerunt Origenes & alij: ſed eos errare putarim. Nam non legimus uſpiam Sabaoth ſimpliciter, ſed Dominus Sabaoth aut Deus Sabaoth. Dominus Sabaoth .i. κύριος σαβαώθ. Id invenies Rom. 9. 29. Iacob. 5. 4. Invenio etiam σαββαώθ cum gemina bb: quod ita ſcribitur ut Debbora, Sadducæi, & alia ejus generis. Adi ſis ad Epiphanium ſermo. habito de feſto palmarum. Sonat autem Græce κύριος δυνάμεων aut στρατιῶν. Epiphanius ad Gnoſticos hæreſ. 26. Σαβαὼθ γὰρ ἑρμηνεύεται ἀπὸ τῆς Ἑβραϊκῆς διαλέκτου κύριος τῶν δυνάμεων. ὅπου γὰρ ἐν τῇ παλαιᾷ διαθήκῃ τὸ σαβαὼθ ὄνομα ἐστὶ γεγραμμένον, δύναμιν ὑποφαίνει. ὅθεν ὁ Ἀκύλας πανταχοῦ τὸ Ἀδωναὶ σαβαὼθ ἑρμηνεύει λέγων, κύριος στρατιῶν. Eſt etiam ubi legas, κύριος στρατευμάτων. Id Latine redditur, exercituum ſive copiarum aut militiarum. Hiero. 7. libro nom. Sabaoth, *excercituum ſive virtutum aut militiarum*. Virtutum .i. δυνάμεων. Orig. Hom. 4. in Ezram, *Interpretatur Sabaoth, ut Aquila retulit, Dominus militiarum* .i. στρατιῶν, ut ſupra vidimus. Hiero. in comment. Haba. 2. & alibi, *Sabaoth, LXX. vertunt omnipotens*

Leg. Ἀδωναὶ σαβαώθ.

nipotens .i. παντοκράτωρ. Sæpius tamen vertunt δυνάμεων .i. exercituum. Quorum exercituum? Superiorum & inferiorum, inquit R. David. Superiores vel ſupernates excercitus dicuntur Ebraice צבאות מעלה exercitus ſupra: inferiores vel infernates צבאות מטה excercitus inſra. Hoc denotantur animantia, illo aſtra &c. In textu Ebræo אלהים צבאות contracte dicitur pro אלהי אלהים צבאות. Quod notatum in ſcholijs Ebraicis. Vide Camium Pſal. 80. 15. Hiero. epiſt. ad Algaſiam, quæſt. 10. & Ieſ. 1. item Hag. 1. & Zach. 2. Vide etiam libellos meos, ſi otium eſt.

Sabbathum:

Græce τὸ σάββατον & τὰ σάββατα: unde Matth. 12. 1. τοῖς σάββασι .i. ſabbatho. Syre בשבתא. proprie ſeptimus dies hebdomadæ, a ceſſatione ita dictus. Siquidem שבת .i. ceſſo. Nam tunc ab opere ceſſabant. Aliquando ſabbathum vocatur ipſa hebdomada: unde μία τῶν σαββάτων .i. prima ſabbathi ſive ſeptimanæ. Hoc ſabbathum vocatur ſabbathum dierum. Nam erat aliud ſabbathum annorum: idque rurſum duplex. Nam & poſt ſex annos ſabbathum erat, & poſt annos quinquaginta, qui annus Iubilæus dicebatur. Iter ſabbathi ſpatium erat duorum millium cubitorum, quantum Iudæis licebat conficere die ſabbathi. Vide Obſerv. lib. 2. cap. 9. Sabbathum ſecundo primum .i. δευτερόπρωτον, quod proxime poſt ſolemne Paſchatis ſequitur. De quo vide Scaligerum libro ſexto de emendatione temporum, pag. 521. Eucherium in Quæſt. pag. 271. & alios. Sabbathum terræ 1. Machab. 6. 49. ὅτι σάββατον ἦν τῇ γῇ. Quod pro eo habendum ac ſi diceret, erat annus ſeptimus. A שבת ὑποκοριστικὸν eſt שבתון, quaſi ſabbathulum dicas: littera enim nun in fine diminuit.

Sabbatiſmus.

Ebræo. 4. 9. ἀπολείπεται σαββατισμὸς τῷ λαῷ τοῦ θεοῦ. Syrus habet, *firmum hoc ſabbathizandum eſſe.* Sabbathizo aliud nihil quam quieſco: unde Sabbatiſmus, quies ſive requies .i. κατάπαυσις. Quæ eſt vetus interpretatio vocis Sabbathum .i. שַׁבָּת. Hiero. in libro nom. *Sabbathum, requies.* Euſebius de Præparat. euang. lib. 13. cap. 7. *Sabbathum, Latine quies interpretari poteſt.* Ioſephus lib. 2. adverſus Appionem, *Sabbathum juxta Iudæos quies vel ceſſatio eſt ab omni opere.*

Sadoc.

Pro σαδὼκ Matth. 1. 14. in Syro eſt זדוק Zaduc. Mutat primum Sade in Zai: deinde o in u, unde Saduc in Epiphanio .i. Σαδοὺκ. Reperio & σαδδοὺκ, δδ geminata: ex quo Σαδδουκαῖος. Nam a Sadoc eſſet Σαδωκαῖος, Sadocæus. Sed o & u de facili permutantur. Nam communem familiam habent. Hiero. Ezec. 44. *Qui ſunt de ſemine Sadoc, quem cur LXX.* σαδδοὺκ *nominent ſcire non valeo. Vide &* Ezech. 48. *ubi ſimiliter* σαδδοὺκ *in codicibus Græcis.* Euſebius memorat Saddocum quendam phariſæum qui cum Iuda Galilæo conſpiraverit, hiſt. eccleſ. lib. 1. cap. 5. Saducæi malim quam Sadducæi ex analogia. Quanquam cur Sadducæi penitus rejiciamus cauſſa nulla eſt, cum ſimiliter ſcribantur in antiquitate Debbora, Meſſias, Habbacuc, Φαρισαῖοι, & alia nonnulla. Sit ergo anceps ſcriptura & liberum cuique uti utra velit. Σαδδουκαῖοι ſcriptum paſſim in codicibus Græcis. Sed & conſuetudo Latina obtinuit, ut potius Sadducæi ſcriberetur, dd geminata, quam Saducæi, unica. Tantum de ſcriptura. Dicti Saducæi, non a juſtitia, ut vulgo creditur; ſed a Sadoco quodam hæreſiarcha, qui diſcipulus fuit Antigoni Sochæi. Hic alius

Syrus habet זדוקא Zeducæi per Zain.

fuit ab eo quem Philaſtrius Doſitheum appellat. Nam is Samaritanus erat. Mentio Sadoci in Cabbala Abrahami Levitę Davidis filij, ubi de templo extructo in monte Garizin *In domo hac*, inquit, *ſacerdotio functus eſt Manaſſes filius Ioſuæ filij Ioſadaci. Sadoc autem & Baithos ſive Boethus erant caput & principes. Hoc erat initium hæreſeωs. Vixit Sadoc tertia ætate Synagogæ magnæ, cum ei præeſſet Antigonus Sochæus diſcipulus Simeonis juſti, qui & Iaddus dicebatur*. Vide Cabbalam illam fol.26.col.4.& fol.17.col.1. Templum Garizin vocatur ibi domus Chuthęorum ſive Samaritanorum, & hęreticorum, quos Minęos appellant. Dicebantur etiam Epicuræi. In libro Iuchaſin fol. 159. *Antigonus Sochæus accepit a Simone Iuſto: ejus diſcipuli fuerunt Sadoc & Baithos* (Boethus Latine). *hi fuerunt hæreſiarchæ & principes Epicuræorum. Vixit autem Antigonus ille altera ætate poſt Alexandrum magnum.* Conſentanea his habentur in Avoth R. Nathan, *Sadoc, unde Saducæi, diſcipulus fuit Antigoni Socho oriundi, qui dicere ſolebat non debere nos eſſe ſimiles ſervorum, qui domino ſuo ſerviunt ut mercedem inde accipiant: ſed potius debere nos imitari illos ſervos, qui ſerviunt quidem, ſed non mercedis ergo: hujus condiſcipulus fuit Baithos, cui miniſtrabant vaſis argenteis & aureis. Porro Saducæi dicebant Phariſæos miſeros eſſe qui ſe affligerent in hac vita, cum in altera vita nihil inde mercedis aut præmij percepturi ſint.* Hæc ille cap.5. fol. 15. col. 2. De Saducæis Ioſephus Ant. hiſt. lib.18. cap. 2. Gorionides cap. 26. Baronius in apparatu annalium ſuorum, pag. 14. Dicebantur alio nomine קראים Caræi, quod legi ſcriptæ adhærerent, aliam quæ ἄγραφος dicitur rejicientes. Ex libris V. T. tantum recipiebant Pentateuchum, quod illis commune cum Samaritanis. Hiero. Matth. 22. *Saducæi quinque tantum libros*

Moſi recipiebant, prophetarum vaticinia reſpuentes. Tertul. de præſcript. adverſus Hæreticos, lib. 1. *Taceo enim Iudaiſmi hæreticos. Doſitheum, inquam, Samaritanum, qui primus auſus eſt prophetas, quaſi non in ſpiritu ſancto locutos, repudiare. Taceo Sadducæos, qui ex hujus erroris radice ſurgentes, auſi ſunt ad hanc hæreſin etiam reſurrectionem carnis negare. Prætermitto Phariſæos, qui additamenta quædam legis adſtruendo a Iudæis diviſi ſunt: unde etiam hoc accipere ipſum, quod habent nomen, digni fuerunt. Cum his etiam Herodianos qui Chriſtum Herodem eſſe dixerunt.* De his omnibus vide illum cap. 45. & Pamelium, pag. 447. Zacharias Chryſopolitanus, *quinque libros Moſi recipiunt, prophetas reſpuunt, reſurrectionem non credunt.* Origenes in Fragmento, *Definiunt Phariſæi mortuorum reſurrectionem, ſperantes aliquod futurum ſeculum. Sadducæi contra cenſent poſt hanc vitam nihil homini repoſitum premij, ſive ad virtutem profecerit, ſive nunquam vel ſtuduerit a vitiorum terminis excedere.* Apud Tertullianum in de carne Chriſti, hæretici carnis reſurrectionem negantes vocantur, *propinqui Sadducæorum, & Sadducæi Chriſtianorum & partiarij ſententiæ Sadducæorum.* quia Saducæi reſurrectionem negabant ſimpliciter; illi carnis tantum, hoc eſt, corporis non animæ. Saducęi in judicando ſeveriſſimi, Ioſephus Orig. lib. 20. cap. 8. Ceterum Saddccus, cujus meminit Euſebius, in codice Græco vocatur σάδδοχος, κ in χ mutata. Vide nunc veterem comment. meum, cap. vi. Nam nolo illa repetere.

Salathiel.

Τὸν Σαλαθιὴλ Matth. 2. 12. Syrus edidit שלתאיל Selathiel. Ebraice dicitur שאלתיאל Sealthiel ſive Saalthiel, & שלתיאל Salthiel. ejus mentio Hag. 1. 1. Ezræ 5. 3. & 1. Paralip. 3. 17. quem ultimum a priore nonnulli

diverſum faciunt. Hiero. in nom. de Matthæo, *Salathiel*, *petitio mea Deus*, שאלתי אל. Autor operis imperfecti Hom. 1. in Matth. *petitio Dei*. Gloſſæ Philonis, *petens DOMNI*, *vel petitio DOMINI*. Verior interpretatio, *interrogavi Deum*. שאלתי אל. In compoſitione autem, ut fit, camets in ſcheva mutavit. Ita mihi videtur. Obviam hoc nomen & Luc. 3. 27.

Sale.

Græce eſt Σαλὰ Luc. 3. 33. Sed in vulgata Latina, Sale. Ebræi hoc nomen ſcribunt Sela. שלח Sale, ut תרח Thare. Σαλὰ etiam ſcriptum Gen. 10. 24. in editione τῶν ό. Porro Syrus habet שלח, quod legunt Salach.

Salem.

Ebræo. 7. 2. βαΣιλεὺς Σαλὴμ, ὅ ἐςι βαΣιλεὺς εἰρήνης: rex Salem, quod eſt rex pacis. Hic duo notanda. Primum Salem pacem exponi, quæ potius Salom dicitur: deinde Melchiſedecum fuiſſe regem Salem .i. Ieruſalem, ut Ioſephus cenſet: aut Sichem, ut alij, in queis Hiero. qui olim ibi oſtenſum fuiſſe ſcribit palatium Melchiſedeci. Ioſephi verba habentur Ant. hiſt. lib. 1. cap. 11. Certum eſt Ieroſolymam antiquitus Salem dictam eſſe. Sic ſane vocatur apud Davidem, quo in loco ita ſcribit, *& fuit in Salem umbraculum ejus*. Id Latine ſonat, perfectus, integer, incolumis. Vnde Gen. 33. 18. ubi vetus editio, *& venit Iacob in Salem urbem Sicimorum*, & LXX. εἰς Σαλὴμ πόλιν Σικίμων, interpretes nuperi habent, *venit ſalvus & incolumis*. Sic etiam Thargumiſtæ Oncelos & Ionathan. Nec aliter Ebræi. Sunt qui Ieroſolymam appellatam putant nomine compoſito ex יראה & Salem. Gorionides cap 82. ἐτυμολογίζει ירא שלם videbit perfectam, videbit .i. reſpiciet eam Deus cum perfecta erit & abſque macula. In Geneſi magno, *Melchiſedec*

chiſedec nominavit eam Salem, Abraham יראה *.i. videbit, providebit. Deus benedictus ex utroque fecit Ieruſalem.* Eucherius in Geneſin, pag. 145. *Salem, quæ nunc pro Sichem nominatur, ſonat conſummatam atq; perfectam: illa vero quæ poſtea Ieruſalem dicta eſt, pacificam. Vtrumque enim accentu paullulum declinato hoc vocabulum ſonat.* Quod de accentu dicit non intelligo. Hauſit autem e Hieronymo, cui per omnia non eſt credendum. Euſebius de locis Ebraicis, *Salem, civitas Sicimorum, quæ eſt Sichem: ſed & alia villa oſtenditur uſque ad præſentem diem juxta Aeliam contra occidentalem plagam hoc nomine. In octavo quoque lapide a Scythopoli in campo vicus Salumias appellatur. Ioſephus vero Salem eſſe affirmat, in qua regnavit Melchiſedec, quæ poſtea dicta eſt Solyma: & ad extremum Ieroſolyma nomen accepit.*

Salim.

Salim, idem quod Salem, ſi credimus Hiero. Eſt autem forma Ebraica Salem mutata in Chaldaicam ſive Syram שלים, quod antiquitus legebant Salim. Græce eſt Σαλεὶμ Iohan. 3.23. *Baptizabat in Ainon juxta Salim.* Syrus habet דלגב שלים. Sic dico, Salem ſive Salim urbs erat juxta Scytopolim, ubi olim oſtendebatur palatium Melchiſedec. Hiero. in epiſt. 126. pag. 355. Videndus quoque Primaſius in epiſtolam ad Ebræos, pag. 541. & Procopius Gazæus Gen. 15.

Salmon.

Σαλμὼν. Matth. 1.4. Syrus habet סלמון Salmun per Samech & ſchurec in fine. Ebraice שלמון & שלמה. Vtrumque reperitur Ruth. 4.20. & 21. Dico Salmon per Sin. Nam Salmon per Sade .i. צלמון mons erat, qui ἀρχαϊκῶς Selmon dicebatur. Erat & civitas hoc nomine in Creta inſula. Hiero. de locis Actorum, *Salmon, civitas,*

vitas, maritima Cretæ inſulæ. Hæc ab aliis Salmone vocatur. Ejus mentio Act. 27. 7. *ſublegimus Cretam* κατὰ σαλμώνην *ſecundum Salmonem.* Editio vetus, *juxta Salmonen*, cum n in fine.

Salome.

Marc. 15. 40. καὶ Σαλώμη: & Salome. Syrus habet ושלום & Salum. Similiter eſt Marc. 16. 1. An Salom, Salome, ut Mariam, Mariame? Sic enim vocatur uxor Herodis ex genere Haſamonæo. Ejuſdem ſoror, quam unicam habebat, quæ a Ioſepho Orig. lib. 14. cap. 12. Salome dicitur, in hiſtoria Ebraica Gorionidis, cap. 37. שלומית Salomith vocatur. Quæramus adhuc.

Salomo.

Σαλομὼν Σαλομῶντος, & Salomo Salomonis. Vulgo Salomon. Sed ſi Plato ſcribimus & Philo, cur non etiam Salomo? Græce etiam ſcribi malim Σαλομὼ abſque ν. Nam Ebraice eſt שלמה. Porro in nominibus Ebraicis, Ebraica conſuetudo ſequenda eſt, non Græca aut Latina. Contra peccatum in Simon, quod ſcribunt Simo, ut Simo Boſius, cum in ſcriptura Ebraica ſit שמעון. Reperio etiam Σολομὼν .i. Solomo Matth. 1. 6. Quod ex more veterum, qui ſcheva pronuntiabant ad ſonum vocalis ſequentis. Non hoc ſemper faciebant, ſed aliquando. Sæpius enim pro ea ſcribebant a: unde Salomo, quod interpretantur pacificum Origenes, Philo, Hiero. & alij. Quo pertinet quod in edit. vulgata, 1. Paralip. 22. *Ob hanc cauſſam pacificus vocabitur.* Nam in Ebræo, *Salomo erit nomen ejus.* Pacificus .i. εἰρηνικὸς. Euſebius hiſt. eccleſ. pag. 122. εἰρηναῖος .i. pacis ſtudioſus. Nomen hoc recenſetur inter ea quæ ante nativitatem impoſita: in queis & Ioſias. Vide Albinum in Geneſin, pag. 458. Eucherium de Quæſt. pag. 285. in extremo.

Simeon in lingua Helleniſtica σίμων, unde Simo, ut Πλατὼν, Plato. In libro Iohaſin etiam סימון invenitur.

mo. Sunt autem talia nomina præter ea quæ diximus, Ieſus, Iſahac & Iſmael. Diximus nomen Salomo pacificum ſonare. Hîc locum habet illud, *Conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis*. Nam in pace regnum adminiſtravit.

Samaria.

Quæ Ebreis Someron.i. שמרון, a Syris dicitur שמריא, unde Samaria. Eſt autem montis, opidi & regionis nomen. Mons appellatus eſt a quodam Semer, a quo & civitas in eo monte condita nomen accepit. Eam condidit Amri rex Iſraelitarum cum prius montem illum a dicto Semer emiſſet. Mons iſte vocatur & Simeron, & Samaron, & ut tranſtulit vetus interpres Samaria. Vide 1. Reg. 16. Reperio & Somer. Hiero. de locis Acto. *Samaria in vertice montis Somer poſita*. In antiquitatibus Ioſephi lib. 8. cap. 7. & in verſione Rufini perperam Mareon legitur pro Samaron. Græce μαρεὼν. Regionis nomen eſſe liquet ex 2. Reg. 17. *collocavit eos in urbibus Samariæ*. Quod teſtimonio ſuo confirmant Euſebius & Hiero. Euſebij verba ſunt, *Samaria, civitas regalis in Iſrael, quæ nunc Sebaſte dicitur. Sed & omnis regio quæ fuit circa eam, a civitate quondam nomen acceperat*. Hieronymi habentur in de locis Actorum Apoſtolorum, *Sed & omnis regio*, inquit, *quæ circa eam fuit, a civitate quondam nomen acceperat: media inter Iudæam & Galilæam iacet. Hæc ab Herode Antipatri filio in honorem Auguſti Cæſaris Græco nomine Sebaſte.i. Auguſta vocata eſt.*

Samaritanus.

A Samaria gentile eſt Samaritanus & Samarites. Samaritani adeo inviſi erant Iudæis, ut Chriſto pro crimine objecerint quod cum Samaritanis verſaretur. Hinc etiam vox convicij, *Samaritanus es*. Vide Sirach 50. 31.

31. ubi codices Græci omnes, *οἱ καθήμενοι ἐν ὄρει Σαμαρείας*: quam lectionem nunc tueor. Nam ſi exoſi erant Samaritani, magis Sicimitæ. Sicima enim habitabatur eo tempore ab apoſtatis Iudæis. Ioſephus Orig. Iuda. lib. 11. cap. 8. *Samaritarum tunc caput erat Sicima, ſita ad montem Garizin, & habitata a deſertoribus gentis Iudaicæ.* Vetus omnis interpretatio, *Samaritanus, cuſtos.* Orig. hom. 34. in Lucam, & tom. 26. in Iohannem. Auguſtinus tract. 43. in Iohan. & ſermone 37. de verbis DOMINI. Ambroſius in 10. Lucæ. Sic etiam interpretantur Samarites ſive Samarita. Hiero. in nom. de Luca. *Samaritæ, cuſtodes.* Additur etiam ratio, *eo quod a Babyloniis illic ad cuſtodiam collocati eſſent Iudæorum.* Eucherius pag. 285. Chryſoſtomus hom. 30. in Iohannem. Epiphanius adverſus hæreſes. Hujus verba non pigebit adſcribere. *Interpretari poſſis Samaritas cuſtodes, propterea quod cuſtodum locum in terra obtinebant: aut quod cuſtodes erant conſtitutionis ſecundum legem Moſis.* Severus in primo hiſtoriæ ſacræ, *populum univerſum in regnum ſuum abduxit; Aſſyriis in hoſtili ſolo ad cuſtodiam poſitis: exinde ea pars Samaria appellata, quod lingua Aſſyriorum cuſtodes Samaritas vocant* Samaritani alio nomine Chuthæi dicebantur, quia videlicet ex Chutha regione Perſidis traducti erant in Samariam. Qua de re alias.

Samſon.

Græce eſt *Σαμψὼν* Ebræo. 11. 32. i. Sampſon: cui ſcripturæ inſerta littera, ut in Nembrod & Mambre. Syrus habet שמשון, quod legunt Semſum. Ebraice eſt שמשון. Simſon, Semſon, Samſon; ut Nimrod, Nemrod, Namrod. Sic, Niſibis, Neſibis & Naſibis. In libro interpretationum, *Samſon, ſol eorum vel ſolis fortitudo* שמש ſol, ון eorum, quod Ieroſolymitani ſcribunt ן, ut:

ut לוין eis: און fortitudo. Ioſephus Ant. Iuda. lib. 5. cap. 13. *Samſon ſignificat robuſtum.* Adito ſis ad Græcum exemplar. Nam mihi nunc non vacat.

Samuel.

שמואל Samuel, ut כנען Chanaan: שלמה Salomo: רפאים Raphaim, & alia ſexcenta. Syrus habet שמואיל quod legunt Semuil. Nam in eorum dialecto איל eſt אל, unde ἰλὸς Deus apud Sanchuniathonem compoſitorem hiſtoriæ Phœnicum. Reperio & Smuel, unde Ἀρσμουὴλ in Epiphanio περὶ σταθμῶν καὶ μέτρων .i. דשמואל. Varie interpretantur. In libro nominum, *nomen ejus Deus,* שמו אל. Orig. in libro Regum, *ubi ipſe Deus.* lego, *ibi ipſe Deus* .i. שם. Ioſephus Ant. lib. 5. cap. 15. *quaſi a Deo poſtulatum ſignificat.* Euſebius hiſt. eccleſ. lib. 6. cap. 25. Σαμουήλ, θεόκλητος.

שמואל Smuel, ut שמות Smoth בראשית Breſith, & alia ejus generis.

Sapphira.

Act. 5. σὺν Σαπφείρῃ τῇ γυναικὶ αὐτοῦ: cum Sapphira uxore ſua. In editione Syra eſt שפירא, quod legunt Saphira. Si legas שפירא, tum ſignificat pulchram, formoſam. Hiero. in nom. Actorum, *Saphiram, narrantem ſive litteratam aut librariam* (ספירא) *vel certe Syro ſermone, formoſam.* Partim librorum *Saphira,* unica p. Id ſcribi poſſet צפירא, quæ vox inter alia capram denotat. Sig. etiam coronam, diadema vel vittam caput cingentem. Sed capræ nomen magis quadrat mulieri, ut טביתא Tabitha, dorcas & יעלה rupricapra, & רחל ovis. Vide quæ notavimus ad hoc poſtremum nomen.

Sara.

Quæ prius Sarai, mutato nomine Sara dicta eſt poſtea .i. שרה, quæ vox principem fœminam deſignat. Id Græci ſcribunt Σάῤῥα. Quomodo ſcriptum hoc nomen invenies Rom. 4. 19. & alibi. Vnde Iuſtinus in diſpu-

ratione cum Tryphone Iudæo ſcribit additam litteram ῥῶ. Nempe ex σάῤῥα, ſi vera illa ſcriptura; factum σάῤῥα. Sed cauſſa non eſt, cur recedamus ab Ebraica veritate. Quid Græcos moverit ut ita ſemper hoc nomen ſcriberent, fateor me ignorare. Sarra in Latio eſt Tyrus, unde Ennius dixit *Pœnos Sarra oriundos*, & Virg. *Sarrano dormiat oſtro* .i. Tyrio. Interpres vetus Iuvenalis, *Tyria purpura .i. Sarrana.* Sed ad rem. Scripturæ Sarai, reſpondet apud Græcos σάῤῥα, unica ῥ, & σάῤῥα eſt quod Ebræi dicunt שרה. Syri ſcribunt סרא. Nam Sin, hoc eſt ש, cum puncto in ſiniſtro cornu vel, ſi dentem mavis appellare, mutant in Sameeh. Id notius eſt quam ut probari debeat. Qui Saracenos a Sara dictos putant, hallucinantur. Nam aliam habent rationem nominis, ut ſuo loco dixi, & dicam iterum cum occaſio erit.

Sarepta.

Luc. 4. 26. εἰς Σάρεπτα τῆς Σιδῶνος. Vetus interpres, *in Sarepta Sydonia.* Syrus לצרפת דצידן in Sarephath Saidan. Scribitur & Sareptha, cum t, aſpirato. 1. Reg. 17. 9. צרפתה אשר לצידן: Vulgatus, *in Sarepthan Sidoniorum.* Verbum e verbo, *Sarphatham qua Sydonis.* Additum autem σιδῶνος differentiæ cauſſa. Nam fuit alia Sarphath, cujus mentio Abd. 30. quo nomine hodie Galliam ſignificant: unde צרפתי Gallus: & מלך צרפת rex Galliæ. Benjamin in Itinerario ſuo, *Hinc reverſus in Franciæ regnum me contuli; quæ regio ab antiquis Sarphath dicebatur.*

Saronas.

Actor. 9. 35. καὶ τὸν Σάρωνα. Sarona vel Saronem. Vetus, *Sarona.* Syrus ובבארובא *& in Sarona.* Ebraice השרון. Ieſ. 33. 9. Saron; Sarona, Saronas, ut Satan, Satana,

Satana, Satanas. Saron: Forma eſt Ebraica: Sarona, Syra & Dorica: Saronas autem Græca. Græci enim nominibus in a deſinentibus addere ſolent σῖγμα, ut Iuda, Iudas, Ἰούδας. Cant. 2. 1. *Roſa Saronia.* Euſebius de locis Ebraicis, *Saron, cujus & Eſaias meminit, uſque in præſentem diem regio eſt inter montem Thabor & ſtagnum Tyberiadis quæ Saronas appellatur. Sed & a Cæſarea Palæſtinæ, uſque ad opidum Ioppe omnis terra quæ cernitur, dicitur Saronas.* Hiero. de locis Actorum, *Saronas, quod interpretatur campeſtris, regio eſt Cæſareæ Palæſtinæ, uſque ad opidum Ioppe pertingens. Eſt & hodie locus paſcendis gregibus aptus. Sed & inter montem Thabor & ſtagnum Tyberiadis, regio Saronas appellatur.*

Satanas.

Satan, quod male ſcribunt Sathan, Græce redditur ἀντικείμενος καὶ ἐνάντιος, & duobus modis accipitur Late & anguſte. Late ſumitur cum ſignificat eum qui Deo adverſatur, ac tum etiam de hominibus dicitur: ex quo illud, *Vade poſt me Satana.* Orig. hom. 15. in Ieſum Nave, *Satanas adverſarius dicitur. Omnes ergo qui adverſantur Dei voluntati, Satanæ poſſunt dici.* Anguſte ſumitur cum ſignificat communem humani generis hoſtem, qui Græco vocabulo diabolus nuncupatur .i. criminator aut calumniator. Ita ſumitur Iob. 1. 6. Itaque LXX. reddunt διάβολος. Ceterum in Ebræo eſt שטן, & in Aquila σατάν, & in Theodotione ἀντικείμενος. Syri dicunt סטנא Satana, Sin ſuo more in Samech vertentes. Satan, Satana, Satanas, ut Saron, Sarona, Saronas. Origenes in ſexto contra Celſum, *Qui Satan Ebraice nuncupatur, & a nonnullis ornatus gratia Satanas dicitur, in Græcam linguam traductus, Satan denominatur.* conjicio leg. *diabolus denominatur.* Nam Satan vocabulum eſt Ebraicum, non Græcum.

Aut lege, *ornatus gratia Satana dicitur, in Græcam linguam traductus Satanas denominatur.* Nam Satanas Græca terminatio eſt. Redditur etiam ἐχθρὸς: unde Tertullianus adverſus Marcionem lib. 3. cap. 20. *Suſcitavit enim illi Satan, .i. hoſtem, Idumæum.* Et ἀποστάτης. Theodoritus de curatione Græcarum affectionum in ſermone de diis & angelis, *Hos*, inquit, *ſuo cum principe, quem ſacræ litteræ modo Ebraico vocabulo Satanam .i. apoſtatam vocant, modo diabolum.* Irenæus lib. 5. adverſus Hæreſes, *Satana verbum apoſtatam ſignificat.* Probarem, ſi eſſet a שטה. Nam littera nun poſſet eſſe addita, ut in מרון dominus, & רבן magiſter. Huc facit quod mali angeli vocentur נפילים .i. juxta quoſdam, defectores aut apoſtatę, qui eam ob rem e cœlo cecidiſſe, hoc eſt a Deo defeciſſe memorantur. Verior originatio quam ſupra poſui: cui firmandæ eſt locus Zach. 3. 1. *& Satanam ad dexteram ejus* לשטנו *ut adverſaretur ei*, vel certe, *ut calumniaretur eum.* Ionathan ibi habet pro Satan חטאה .i. peccatorem. Ita vocant diabolum κατ᾽ ἐξοχὴν. Nam eſt autor peccati, & pater omnium qui in peccatis manent. Sic etiam ὁ πονηρὸς appellatur. Obiter noto & quaſi ἐν παρόδῳ. Diabolum Ambroſius lib. 5. cap. 2. de fide Zabulum vocat, ut & Cyprianus & Hilarius: quod Eraſmus ductum ſuſpicatur ex antiquitate, quæ non ſolum in dictionibus compoſitis, ſed etiam extra compoſitionem, ζὰ uſurpabat pro διὰ. Hoc ait in epiſtola ad Charundiletum epiſcopum Panormitanum, quæ prælata Hilario. Ambroſij verba ſunt, *Nam ſtratum illum vetum, Zabulum ſcilicet, ultimis temporibus venerabilis corporis ſui paſſione proſtratum, peremit & afflixit.* Plura de hoc nomine in veteri commentario, capite decimo. Vide ſi placet & ſi otium eſt.

Saul.

Saul, diſſyllabum. Inflectitur Saulis, Saulí, Saulem &c. Græce Σαῦλ Act. 13. 12. Ebræis שאול, quod poſtulatum ſive petitum ſonat. Quanquam in libro nominum, expetitum. Abeo

Saulus.

Etiam diſſyllabum, pro quo in editione Syra legitur ܫܐܘܠ Saul Act. 7. 58. & 8. 1. Græce Σαῦλος, Σαύλου. Auguſtinus de verbis Apoſtoli, ſermo. xv. *Saulus a Saule nomen derivatur. Qui fuerit Saul noſtis. Ipſius electa eſt ſtatura procera. Sic enim deſcribit Scriptura, quod ſuperemi-* Vide Præterit. mea Act. 8. 1. *nens eſſet de omnibus quando electus eſt ut ungeretur in regem. Non fuit ſic Saulus, ſed factus Paulus. Paulus enim parvus: ideo Paulus modicus.*

Scarioth.

Scarioth obvium in Auguſtino pro Iſcarioth, ut libr. 2. de conſenſu euangeliſtarum cap. 78. *Iudas Scarioth.* & Scariothis ſive Scariotes .i. σκαριώτης. Vide Iſcarioth. Σκαριώτης legitur in Græcis veteribus.

Sem.

Sem filius Noe ſive Nochi, qui Ebraice שם & Græce Σὴμ ſcribitur, Latine declinatur Semus Semi. Huic Iudæam datam fuiſſe a patre tradunt Syri. Vide Maſium in Ioſuam pag. 349. Iapeto major an junior fuerit, incertum. In Sanhedrin cap. 8. *Sem maior fuit Chamo anno uno, & Cham major Iapeto etiam anno.* Vnde ſequitur Sem majorem fuiſſe Iapeto annis duobus. Sed alij affirmant Iapeto juniorem fuiſſe. Quod autem primo loco recenſeatur Gen. 6. 10. id fit propter dignitatem. Sic alibi Iacob memoratur ante Eſau, & Iſahac ante Iſmaelem. Moſes Gerundenſis putat Cham ultimum fuiſſe filiorum Noe. Vide illum loco citato. Porro Semi mentio

Luc.

Luc. 3. 36. Controverſiam de ætate Sem, non minuit, ſed auget locus Gen 10. 21. ubi vocatur אחי יפת הגדול, quod alij reddunt, *frater Iapheth major*, alij, *frater Iapheth majoris*. Conſule interpretes. Vide quoque annot. noſtras ad illum locum.

Seth.

Luc. 3. 38. τῶ Σήθ, qui fuit Seth. Syrus habet בר שית filij Sith. Idem ſupra Sim ſcribit pro Sem. Forte quod ejus ætate ita pronuntiarent η. Nam ea pronuntiatio hodieque obtinet apud multos. Dictus Seth ἀπὸ τὸ שת pono .i. do. Nam ponere & dare ſe invicem explicant. Datus autem fuit pro Habele: inde nomen. Hiero. in Quæſt. *Seth propriè θέσις .i. poſitio dicitur. Quia igitur poſuerat eum Deus pro Habel, propterea Seth .i. poſitio appellatur.*

Sichar.

Vrbs eſt Samariæ, quæ & Sichem. Græce eſt Σιχὰρ & Συχὰρ, variantibus libris. Sic variant in Σιμεὼν & Συμεὼν. Syrus habet שכר Sachar, Iohan. 4. 5. Ebraice dicitur שכם quod ſcribunt Sichem. Id poſterior ætas in Sichar mutavit. Non enim certe adduci poſſum ut credam errorem eſſe exſcribentium Sichar pro Sichem. Hiero. in nom. ex Iohanne, *Corrupte autem pro Sichem, quæ transfertur in humeros, ut Sichus legeretur uſus obtinuit.* Puto eum ſcripſiſſe, *ut Sichar legeretur*. Nam Sichus in nullis eſt codicibus a me viſis.

Sichem.

Græce Σιχὲμ & Συχὲμ Act. 7. 16. Vocatur & Σίκιμα in numero multitudinis, quod ex obliquo τῶν Σικίμων manifeſtum. Τὰ σίκιμα, ut τὰ σόδομα, τὰ Ιεροσόλυμα. Hodie Naplozam appellant, quod corruptum ex Græco Neapolis. Nam ita poſt dictam fuiſſe teſtis eſt Hiero.

in

in Quæſt. Idem de locis Actọ. *Sichem civitas Iacob, nunc Neapolis dicta, juxta ſepulchrum Ioſeph &c.* Euſebius de locis Ebraicis, *Sichem & Salem, quæ Latine & Græce Sicima vocata eſt, civitas Iacob, nunc deſerta. Oſtenditur autem locus in ſuburbanis Neapoleos juxta ſepulchrum Ioſeph, quam ſubvertit Abimelech & ſeminavit in ea ſalem, ſicut in libro Iudicum ſcriptum eſt. Poſtea vero inſtaurata eſt a Ieroboam, ut Regum narrat hiſtoria, & ſita eſt in finibus tribus Ephraim. Sed & filius Hemmor appellabatur Sichem, a quo & locus nomen acceperat. Fuit autem & altera Sichem in monte Ephraim, civitas fugitivorum.* Alexandri ævo metropolis erat Samaritanorum, quam Ioſephus ait fuiſſe πόλιν κειμένην πρὸς τῷ Γαριζὶν ὄρει, καὶ κατῳκημένην ὑπὸ τῶν ἀποςάτων τῦ Ἰουδαίου ἔθνους. Vnde lucem facies Sirach. 50. 30. *populus habitans in Sicimis*, ἐν Σικιμοῖς, quem ibi appellat populum non populum, ſive gentem non gentem, nempe quia omnes hæretici erant .i. מִינִים, unde Minei vocabulum, de quo alias. Apud Ioſephum Antiquit. lib. 1. cap. ultimo εἰς Σικιμῶν. Rufinus interpres, *in Sichiman.*

Sidon.

Sidon maximus natu filiorum Chanaan: a quo urbs in Phœnice Sidon dicta eſt, ait Hiero. in Quæſt. Ebra. Alij arbitrantur dictam a copia piſcium, quod eo nomine piſcatum dicant Phœnices, qui eam urbem condiderunt. Iuſtinus lib. 18. *condita ibi urbe, quam a piſcium ubertate Sidona appellaverunt. Nam piſces Phœnices Sidon vocant.* Videndi ſunt etiam Strabo & Q. Curtius. Syri & Arabes dicunt Saidan, qua forma nominis uſus eſt interpres Matth. 11. 21. De Syro loquor. Nam in eo צירין. Benjamin pag. 36. *in Syadan veni, quæ Sidon olim, urbem magnam.* Forte leg. *Saidan.* In margine eſt צײדא. Hodie etiam Sidoni vocatur. Mela ſcribit antequam a

Perſis caperetur, maritimarum urbium maximam fuiſſe. Said hodie Nigro & Poſtello teſtibus. De Sidoniis Tyrij & omnes Phœnices: unde Ieſa. 23. 2. ubi in Ebræo סחר צידן, Græci legunt μεταβολοι φοίνικης, negotiatores Phœniciæ.

Sidonia:

Idem quod Sidon. Legitur Luc. 4. 26. apud priſcum interpretem; *niſi in Sarepta Sidoniæ.* Sed in exemplari Græco τῆς Σιδῶνος. i. Sidonis. Syrus habet צרפת דצידן: *Sarephath Saidan*, cum n in fine. Quod autem Iuſtinus ex Trogo ſcripſit Sidon piſcem denotare, verum non videtur. Nam piſcis in ea lingua dag dicitur, unde Dagon, ut Ebræi volunt. Sed illud verum, eo nomine in illa lingua piſcatum ſignificari.

Siloe.

Luc. 13. 4. ubi vetus interpres, *in Siloe*, Græci codices habent ἐν τῷ Σιλωάμ, Syrus בשילוחא in Siluha ſive Silucha. Similiter Iohan. 9. 7. pro eo quod in Latina vulgata, *Natatoria Siloe*, Græca exmplaria legunt, εἰς τὴν κολυμβήθραν τοῦ Σιλωάμ. Syriaca במעמודיתא דשילוחא in lavacrum Siluha, vel, ſi mavis, in lavacra. Nam Viennenſe exemplar, cum hæc ſcriberem, non erat ad manum. Eſt autem Siloe ſive Siloa rivi aut fontis nomen: de quo in collectaneis nom. proprio. *Siloe fons, piſcina aut amnis eſt ad radices montis Sion perennibus aquis ebulliens, cujus fit mentio* Ieſ. 8 6. Sed hac de re alij aliter ſcripſerunt. Iſidorus Etymolo. lib. 13. cap. 13. *fons Siloa ad radicem montis Sion, non jugibus aquis, ſed in certis horiſque diebuſque ebullit.* Hiero. in comment. ſuper Ieſaiam, *Siloam autem fontem eſſe, qui non jugibus aquis, ſed in certis horis diebuſque ebulliat, & per terrarum concava & antra ſaxi duriſſimi, cum magno ſonitu veniat, dubitare non poſſumus,*

enus, nos præſertim, qui in hac habitamus provincia.. Marcus Marinus in Arca Noe, *Nomen proprium fluvij Ieroſolymæ vicini, forſitan ſic dicti, quod in hortos ad eos irrigandos diffunderetur. Hunc autumnant ex fonte Gehon ſive Gihon fieri. Eſt autem fons ille (modo vera ſint quæ retulit mihi Ebræus Ieroſolymitanus) bis in die ſolum erumpens, maximamque aquarum copiam per unius horæ plus minus ſpatium eijciens, mane veſperique videlicet: quam excipit aquæductus non maximus ſtatimque pæne defert in ingentem piſcinam, ex qua dein quibuſdam rivulis, cum libet, hortos irrigant*. Ceterum Ebraicum nomen eſt שלח Siloa vel Siloe. שילח Siloe, ut נח Noe. In σιλωάμ addita μ, ut in Νεφθαλείμ, quod ſcribunt נפתלי Naphthali, νεφθαλὶ ſive νεφθαλεί. Vide nunc Euſebium Προπαρασκευ. lib. 9. pag. 265. Theodorum Luc. 13. 4. & dictionarium Theologicum Ioh. Arquerij Burdegalenſis.

Simeon.

Simeon rectius ſcribitur quam Symeon. Quanquam utraque ſcriptura Græcis in uſu, videlicet Σιμεὼν & Συμεὼν. In hoc nomine poſitum (ε) pro Ain, qua veteres uſi pro vocali. Non erat illis proprie vocalis, ſed exprimebant per vocalem. Ideo vocalis appellatur a Hieronymo. Iudæi quoque, qui in Germania, ea utuntur pro vocali e, quoties Germanica ſcribunt characteribus Ebraicis. Quod dico, clarum ex nomine Ebraico שמעון. Id ab audiendo ductum. Nam שמע audio, exaudio. Fuit enim mater exaudita tum eum pareret. Vnde Philo, *Simeon, exauditio*. שמעון Simeon, ut גדעון Gedeon. Apud priſcum interpretem tres Simones memorantur. Tres, imo quatuor. Simeon patriarcha, filius ſecundus Iacobi ex Lia Apocalyp. 7. 7. Simeon Petrus qui & Simon Bariona 1. Petr. 1. 1. Simeon ſenex, qui

Chriſtum in ulnis geſtavit Luc. 2. 25. Quartus eſt ex majoribus Chriſti, Luc. 3. 30.

Simon.

Idem quod Simeon. Nam Ain extrita: Græce Σίμων. Sed Ebræi ſcribunt סימון Schin inſuper in Samech verſa. David Camius Pſal. 50. 11. *R. Iuda filius R. Simonis* .i. סימון. Sic etiam ſcribit hoc nomen Moſes Gerundenſis Gen. 1. 4. Alioqui reperias שימון per Schin 1. Paralip. 4. 20. ubi Græci codices habent συμεὼν. Non ergo corrupte dicitur Simon pro Simeon, ut arbitratur Theodorus. Vide, ſi placet, ejus annotationes Act. 15. 14. Forte Græcum eſt σιμών, an tum recte ſcriberetur Latine Simo, ut Plato dicimus ex πλατὼν & Zeno ex ζηνὼν. Scire licet Helleniſtas Iudæos ex nominibus Ebraicis feciſſe mera Græca. Nam Ieſus ab illis Iaſon dicitur, & Doſthai, Doſitheus & Tarphon τρυφὼν. Scholia Greca 2. Petr. 1. in principio, σίμων γράφεται καὶ συμεὼν. τοῦ γὰρ συμεὼν τὸ σιμὼν ὑποκορισμός ἐστιν, εἰ καὶ τοῦ Μητροδώρου τὸ Μητρᾶς καὶ τοῦ Μηνοδώρου τοῦ Μηνᾶς καὶ τοῦ Θεοδοσίου τὸ Θευδᾶς. Quæ caute legenda. Nam ut demus diminutivum eſſe Simon, tamen diminutio facta non eo modo, ſed ex conſuetudine veterum, quæ Heth & Ain ſæpenumero elidebant. Conſule obſervationes meas. Porro Simones plures fuerunt. Simon Petrus, Matth. 19. 2. qui & Simon Bariona. Simon Cananæus, ſive Cananites, Mat. 13. 4. Vide Cananites. Simon leproſus Matth. 26. 6. Simon Cyrenæus 27. 32. Simon pater Iudæ Iſcariotis Iohan. 13. 2. Simon Zelotes Act. 1. 13. Simon magus Act. 1. 9. Simon coriarius, apud quem Petrus diverſatur Act. 9. 43. Simon niger 13. 1. Plura in vetere comment. cap. IX.

Sina.

Montis nomen in deſerto Arabiæ: unde Galat. 4. 25. *Sina mons eſt in Arabia.* Græce Σινᾶ. Sic perpetuo ſcriptum in N. T. Sed & alibi, ut Exod. 19. in LXX. τὸ ὄρος τὸ Σινά: & mox, εἰς τὴν ἔρημον τοῦ Σινά: & Sirach. 48. 7. ἐν Σινᾶ: item 4. Ezræ 3. 17. & 14. 4. & Iudith. 5. 14. Quæramus cauſſam hujus ſcripturæ. Nam Ebræi & Syri perpetuo ſcribunt סיני Sinai. Videtur ex Σιναί primum Σινᾷ factum, ſubſcripto ἰῶτα: deinde Σινὰ ſive Σινᾶ (nam anceps lectio) omiſſo puncto quod pro ἰῶτα ſcribebatur & ponebatur ſub Alpha. Ita conjicio: puto autem conjecturam meam non omnino vanam eſſe. Sina etiam legitur in antiqua editione Latina Ioſu. 15. 3., ſed alio ſignificatu. Nam ibi codex Ebræus habet צנה, quod alij reddunt, *in Sin.* Vide ne confundas cum Sina monte: de quo in hunc modum Hiero. de locis Acto. Apoſtolicorum, *Sina, mons in regione Madian ſuper Arabiam in deſerto, qui alio nomine Choreb appellatur. Vnde dicitur, & fecerunt vitulum in Choreb, cum hoc Moſes in Sina factum ſcripſerit.* Et Severus dialogo primo, cap. 11. *ex oriente reverſus* (verba ſunt Poſtumiani) *rubrum mare vidi: jugum Sina montis aſcendi, cujus ſummum cacumen cœlo pæne contiguum nequaquam adiri poteſt.* Ceterum Sigonius negat eſſe nomen montis, de quo alias. Vide illum, ſi vacas, in hiſto. ſacram Sulpitij, pag. 768.

Sion.

Σιὼν cum S, Sade. Nam in ſcriptura Ebraica ציון Tſion. Mons eſt ejus nominis qui duos colles habebat, aut, ſecundum alios, tres. Vnde triugus appellatur. Primus peculiariter Sion dicebatur: ſecundus Moria, in quo templum erat: tertius Acra. Ioſephus lib. 5. de bello Iudaico. *Tres fuerunt colles in urbe. [illegible] in qua urbe quam*

David conſtruxerat, quæ civitas David vocatur. Alter, in quo erat arx, qui undique declivis erat & ſubjectam urbem inferiorem habebat. Tertius humilior, in quo erat templum. Sion ſæpe pro tota urbe ponitur: unde filia Sion eſt eccleſia Ieroſolymitana. Situs erat hic mons ad aquilonem. Quod docent hæc Davidis verba, *Mons Sion latera aquilonis.* Quæ habentur Pſal. 48. 3. Moria ſpecialiter, *mons DOMINI*, &, *mons domus DOMINI* vocatur. Dicitur etiam *mons domus* .i. templi: &, *mons DOMINI ſacroſanctus.* Quod latius aliquando extenditur. Reperio & mons filiæ Sion, Ieſ. 16. 1.

Sodoma.

Ebraice סדם. Inflectitur autem Sodoma, Sodomæ: & Sodoma, Sodomorum. Τὰ Σόδομα, ut τὰ Ἱεροσόλυμα. סדם Σόδομα, ut עמרה Gomorra, שלמה Σολομών. Iuſtinus an Solinus? etiam Sodomus dixit, ut & Gomorrus. *Terra Sodomorum* Matth. 10. 15. & 11. 24. *civitates Sodomorum.* 2. Petr. 2. 6. *in Sodomis*, ἐν σοδόμοις Matth. 11. 23. A Sodoma, τὸ ἐθνικὸν Sodomita, & Sodomitanus, & Sodomenus: ut, *lacus Sodomenus.* De pomis Sodomorum Auguſt. de civit. Dei lib. 21 cap. 5. & cap. 7. Beda fol. 61. Solinus polyhiſtor & alij.

Suſanna.

Σουσάννα nomen mulieris Luc. 8. 3. Syrus habet שושן Suſan. Vtrumque ſig. lilium .i. κρίνον: unde & τὰ σοῦσα dicta. Sed Suſanna, cum appellative ſumitur, Ebræis eſt ששנה a ſenario numero foliorum: ex quo Σωσάννα in editione Græca .i. Soſanna. Ebræi etiam שושן & ששן dicunt pro lilio: cujus diminutivum inter nomina Batavica Lelken/ quaſi Liliolum dicas.

Syria.

Et Suria: Hodie Soria. Ebraice ארם Aram. Sed in

Syra

Syra editione סוריא Suria, & in libris doctorum סורייאה & סורסתא. Eucherius, *Syros appellatos quidam aſſerunt ab Aſſurim filio Abrahæ ex Cetura.* Zacharias, *Syria eſt omnis regio ab Euphrate uſque ad mare magnum, a Cappadocia uſque in AEgyptum, continens inter alias provincias Palæſtinam, in qua Iudæi habitant.*

Syrophœniſſa.

Συροφοίνισσα τῷ γένει Luc. 7. 26. Quædam exemplaria Συροφοινίκισσα: alia σύρα φοίνισσα diviſim & duabus dictionibus. Syrus מן פוניקי דסוריא ex Phœnice Syriæ. Syrophœnix legitur apud Iuvenalem Satyr. 3. Syrophœnice regiuncula eſt Syriæ, quam euangeliſta Matthæus Chananæam vocat. Ei Damaſcum attributam fuiſſe ſcribunt Iuſtinus in dialogo cum Tryphone habito, & Tertullianus lib. 3. contra Marcionem.

Tabitha.

Vide priorem comment. cap. 22. ad litteram D. Syrus טביתא, quod legunt Tebitha. Sed antiqua lectio Tabitha. Chaldæi dicunt טביתא Tabietha. Sic pro Talietha, in euangelio eſt Talitha .i. טליתא, vel certe טליתא Talitha. Sed prius ſe magis probat mihi. טביתא Tabitha, ut דלילה Dalila. Sic טליתא Talitha, puella.

Talitha.

Mar. 5. 41. Ταλιθὰ κοῦμι .i. puella ſurge. Vide comment. noſtrum cap. 22. Marcus interpretatur, τὸ κοράσιον (σοὶ λέγω) ἔγειραι: puella (tibi dico) ſurge. Apud Suidam, ἡ παῖς ἐγείρου. Hiero. ad Pammachium de optimo genere interpretandi, pag. 334. *legimus in Marco dicentem Dominum Talitha cumi, ſtatimque ſubiectum eſt, quod interpretatur, puella, tibi dico, ſurge. Arguatur euangeliſta mendacij, quare addiderit, tibi dico, cum in Ebræo tantum ſit, puella ſurge. Sed ut* ἐμφατικώτερον *faceret, & ſenſum vo-*

cantis

cantis atque imperantis exprimeret, addidit, tibi dico. Chryſoſtomus hom. 7. in Marcum, *Ait Talitha cumi* (ita ſcribendum, non Thalitha) *quod interpretatur puella ſurge mihi* (falſum. Nam Iod ibi non eſt affixum: præterea *ſurge mihi* Ebraice diceretur Cumi li.) *Si diceret, Talitha cumi* (leg. forte, cum) *interpretaretur, puella ſurge. Nunc vero quia dixit, Talitha cumi, interpretatur de Ebraa & Syra lingua, puella ſurge mihi. Cumi .i. ſurge mihi. Videte ergo myſterium in ipſa lingua Ebraa & Syra.* Et poſt aliquanto, *Puella ſurge mihi, non tuo merito, ſed mea gratia: mihi ergo ſurge, quod ſanaris, non tuo merito.* Hæc arguunt magnam imperitiam ſermonis Ebraici. Vbi ergo ſunt qui linguarum ſtudium contemnunt aut inutile putant? Nonne vident viros magnos earum ignoratione pueriliter ſæpe lapſos eſſe? Sed audio dicentes, Nihil hoc ad ſalutem: quaſi vero ad ſalutem faciat penſio, quam annuatim percipiunt, & ſine qua docere nollent. Si tanta cura corporis, quanta deberet eſſe animæ, cujus optimum pabulum eruditio.

Tarſus.

Act. 9. 30. εἰς Ταρσὸν. Syriace לטרסוס .i. Tarſum. Eſt autem Tarſus urbs Ciliciæ haud ignobilis, Pauli apoſtoli patria, qui proptérea Ταρσεὺς .i. Tarſenſis dicitur Act. 21. 39. Nam ubi vulgata Latina, *Ego homo ſum quidem Iudæus a Tarſo, Ciliciæ non ignotæ civitatis municeps*, Græci codices habent Ἐγὼ ἄνθρωπος μὲν εἰμι Ἰουδαῖος, Ταρσεὺς, τῆς Κιλικίας οὐκ ἀσήμου πόλεως πολίτης: ego quidem ſum Iudæus Tarſenſis, non obſcuræ Cilicum urbis civis. Stephanus etiam Θαρσοὺς ſcribit, cum τ, aſpirata: quod propius accedit ad nomen Ebraicum תרשיש Tharſis, unde urbem eam appellatam cenſet Ioſephus Antiqui, lib. 1. cap. 11. *Tharſis Tharſos vocavit eos: quorum prin-*

ceps

nepi fuit. Sic enim antiquitas Cilicia vocabatur. Tarſôs enim apud eos maxima civitatum metropolis appellatur, T littera pro θ mutata. Hucuſque Ioſephus. Reperio & Τέρσος: Tarſus, Terſus; ut Malchi & Melchi. Sic Melchom & Malchom. Aliam rationem nominis adfert commentator vetus in Iuvenalem lib. 1. Satyr. 3. ita ſcribens, *Apud Tarſon civitatem Ciliciæ, quam præterfluit amnis Cydnus: cujus urbis conditor Perſeus, qui nomen civitati ex facto dedit, quia ibi una ex talaribus pinnis ei excidit.*

Thaddæus.

Θαδδαῖος, cognomentum Iudæ, qui & Lebbæus dicebatur .i. corculum. Matth. 10. 3. καὶ Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος, *& Lebbæus cognominatus Thaddæus.* Syrus edidit, *& Labbi qui cognominatus eſt Thaddi* .i. תדי. Sic Mar. 3. 18. ותדי καὶ Θαδδαῖον & Thaddæum. Appellatio a mammis. Siquidem Thad voce Syriaca mammam ſive papillam ſignificat, nempe ex Ebræo שד, Sin in Thau verſa. Hiero. in tertium Marci, *Thaddæus eſt corculum.* corrigo, *Lebbæus eſt corculum.* Res eſt, nam conjectura. לב cor, לבי Lebbæus. Perperam Oſiander a leone dictum credit. Nam leo Syriace אריא vocatur non לביא: quod Ebræum eſt, non Syrum. Sunt etiam qui תדי Thaddæum a confeſſione appellatum ſcribunt, videlicet a ידה, ut idem ſit cum nomine Iuda, in quo ſig. confeſſionis, hoc eſt laudis & gratiarum actionis. Sed tunc potius Thodai diceretur. Vide Caninium de locis N. T. pag. 51.

Thamar.

Θάμαρ Matth. 1. 3. תמר Gen. 36. 6. Nurus Iudæ, e qua Phares genuit. Interpretantur Thamar, palma, Philo lib. 2. allegoriarum legis: Hiero. in nom. ex Matthæo, & alij. Erat & urbis nomen, quæ a Ptolemæo

Παλμύρα nuncupatur .i. Palmyra: unde Syria Palmyrena. Dicta forte quod circa eam palmeta ſint plurima. Vocatur etiam Thadmor, inſerta littera daleth, id eſt תדמור. Vide 2. Paralip. 8. 4. & 1. Reg. 9. 18. item Hiero. Ezec. 47. pag. 490. *Palmyra*, inquit Baptiſta Egnatius, *Syrorum lingua Thadimus dicitur.* An legendum Thadmur. Nam ſ & r alternant. Aut Thadmur, Thadmus, ut Annibal, Ἀννίβας. Nam ultimam nominis barbari ſolent in s mutare.

Thare.

Græce Θάρα Luc. 3. 34. תרח Thare, ut שלח Sale, quod & Sala ſcribunt. Eſſet autem Thera vel Therach ſecundum apices qui nunc obtinent. Tremellius ex Syra editione ſcribit Tarach, malim Tharach. Nam in pauſa תרח Apud Euſebium hiſt. eccleſ. lib. 1. cap. 4. Ἄρας vocatur. Reperio & Tharra ῤῥ geminata. Hic primus ſtatuas & idola fictus arte figulina ex luto finxit. Procopius in Geneſin, pag. 114.

Theodas:

Sive Theudas. Nam Græce eſt Θευδᾶς Act. 5. 36. Syrus habet תודא, quod legunt Thauda. Meminit etiam Ioſephus Antiquit. lib. 20. cap. 2. cujuſdam Theudæ magi, quem a Cuſpio Fado interfectum ſcribit. Hunc Euſebius hiſt. eccleſ. lib 2. cap. 11. confundit cum Theuda Gamalielis: ſed male. Nam inter utrumque interſunt minimum anni duodecim, ut ait Scaliger de emend. temporum, pag. 252. Vide & Cl. Theodori ad hunc locum annotationem.

Tholomæus.

Θολομαῖος, unde Βαρθολομαῖος filius Tholomai ſive Thalmai .i. תלמי, aut Tholmai: quod nomen extat in editione Latina vulgata 1. Paral. 3. 2. item Num. 13. 23. &

Ioſ.

Ioſ. 15.14. & Iud. 1. 10 Sed & 2. Reg 3. 3. & alia forma Tholomai 2. Reg. 13. 37.

Thomas.

Θωμᾶς ὁ λεγόμενος Δίδυμος, *Thomas qui dicitur Didymus* Iohan. 11. 16. Syrus habet תאומא דמתאמר תאמא Thauma qui dicitur Gemellus. Ita Tremel. Sic etiam Iohan. 21. 2. Thoma, Thomas, ut Iuda, Iudas. Nonnus eum vocat διδυμάονα; cum idem nomen ſit Thomas & Didymus. Vt Cephas & Petrus: ſic Thomas & Didymus. Non ſunt duo nomina, ſed unum & idem. Sic dico, prius Ebraicum eſt, & poſterius Græcum. Hiero. in nom. de Matthæo, *Thomas, geminus; unde & Græce Didymus appellatur*. Oecumenius Act. 1. *Thomas, Didymus .i. geminus, vel abyſſus*. Idem Hiero. in de Act. Apoſt. Abyſſus .i. תהום. Gemini תומים vel תאומים & eſt ſignum cœleſte. Epiphanius διδύμους θωμὰμ καλοῦσι. loquitur de Phariſæis. Gen. 25. 24. תומם abſque Ioth. Hiero. gemini LXX. δίδυμα. ſubintelligitur autem παιδία vel βρέφη. Oncelos & Ionathan תיומין Aleph in Iod mutata: quod Syris familiare, qui שיול dicunt pro שאול. Vide Grammat. noſtram.

Timæus.

Timai, Timæus, ut Tholmai, Tholomæus. Ab eo eſt Bartimæus. Mar. 10. 46. υἱὸς Τιμαίου Βαρτιμαῖος. Vetus interpres, *filius Timai Bartimæus*. Syrus, *Timæus filius Timai*: quod ſcribit, *Timai Bartimai*. Sunt qui putant illud υἱὸς Τιμαίου ex albo in contextum irrepſiſſe. Nam interpretamentum eſt nominis *Bartimæus*.

Trachonitis.

Τραχωνῖτις regio, quam a Strabone Ituræam vocari ajunt. Euſebius quoque in locis, *Trachonitis regio*, inquit, *ſive Ituræa, cujus tetrarches fuit Philippus*. Si recte,

tum Luc. 3. 1. in verbis illis, *tetrarcha Itureae & Trachonitidis regionis*, copula (&) erit ἐξηγητικὸν, pro id eſt. Quod tamen mihi non videtur. Sed ἑτέρως. Sequitur in Euſebio, *Eſt autem trans Boſram Arabiae civitatem in deſerto contra auſtralem plagam quaſi ad Damaſcum reſpiciens.* Syrus habet טרכונא, quod legunt Trachauna.

Tyrus.

Syris dicitur צור, quod legunt Sor Matth. 11. 21. ſed male. Nam Syri carent vocali ô. Legi ergo debet Sur vel Saur. Hodie Sur vocatur: unde Tur, & Tyros Græca declinatione. Amant enim Sade cum Teth permutare, cui reſpondet ταῦ Græcorum. Turos, Tyrus: ut Suria, Syria. Sic ex צור premo Græci fecerunt τυρεῖν premere, & τυρὸς caſeus, hoc eſt preſſi copia lactis. Dicebant etiam Sar, o in a mutantes, ut factum in טב bonus ex Ebræo טוב. Hinc Sarra. Vnde Ennius Pœnos dixit Sarra oriundos .i. Tyro: & *Sarrana veſtis* .i. Tyria. Hujus & ſupra meminimus.

Zabulon.

Ebraice זבלון vel זבולון Zebulun. Sed antiqui legebant Zabulon, hoc eſt o pro u: contra ac Syri faciunt qui o in u mutant. Vide quæ ſcripſimus Gen. 30. 20.

Zacchæus.

Vel Zachæus. Sed eſt cur malim Zacchæus. Nam Græce Ζακχαῖος. Luc. 19. 2. Syrus habet זכי Zacchai. Quæ forma nominis extat apud interpretem noſtrum 1. Ezræ 2. 9. & 2. Eſræ 3. 20. item 7. 14. Male ſcribunt Zaccai. זכי Zacchæus, ut מתי Matthæus: item ut Tholmai, Tholomæus. Sic Timai, Timæus. *Syrum eſt*, inquit Hiero. *non Ebræum*. Dubito an recte. Nam etiam Ebræi dicunt Zacchai, ut *Iohannes Zacchai filius*, qui vixit ſub Veſpaſiano imperatore magnæ autoritatis apud ſuos.

Quin

Quin & illud, *juſtificans vel juſtificandus*, correctione indiget. Nam זכי, quod ſine punctis ſcribunt זכאי vel זכאי, purus, inſons, juſtus, innocens, ἀναίτιος, καθαρὸς, ἀνεύθυνος. זכי בדין purus in cauſſa ſua .i. צדיק בדינו juſtus. דם זכי ſanguis inoxius.

Zacharias.

זכריה Zacharias, ut מנשה Manaſſes. Vtrobique additum S in extremo. Quod ſolet fieri nominibus in vocali deſinentibus. Eſt autem ſacerdos hoc nomine Luc. 1. 5. & propheta Luc. 11. 51. cujus meminit Gorionides cap. 80. per hęc verba, *Quomodo in medio veſtrum ceciderunt ſacerdotes DOMINI, & ante templum ſacroſanctum quod in medio tui* (ô Ieruſalem) *mactatus eſt Zacharias propheta juſtus & pius, & obdormiit abſque ſepultura, neque texit terra ſanguinem ejus &c.* Matth. 23. 35. vocatur, *Zacharias filius Barachiæ*: ſed in euangelio, quo Nazarei utuntur, ſcriptum fuiſſe teſtatur Hiero. *filius Iojadæ*; de quo regum narrat hiſtoria quod occiſus fuerit inter altare & templum. Vide 2. Paralip. 24. 22. & Hiero. in comment. ad hunc locum. Nos etiam aliquid de eo in Obſervationibus.

Zare.

Græce ζαρὰ Matth. 1. 3. זרח Zare, ut תרח Thare: quod & Θαρὰ legitur. Sic קרח Core .i. Κορέ.

Zebedæus.

Græce Ζεβεδαῖος. Syriace autem זבדי, quod legunt Zabdai. זבדי Zebedęus, ut תלמי Tholomæus. Caninius ſcribit זבדי Zibdai, quod ἀρχαϊκῶς Zebdai: unde forte Zebedeus. Zibdai, Zebdai, Zabdai: ut Nimrod, Nemrod, Namrod. In libro nominum, *Zebedæus, dotatus.* Caninius interpretatur, *liberalis, munificus.* Ebraice זֶבֶד donum Gen. 30. 20. ubi & זָבַד quod exponunt נתן dedit.

R. Iona dicit idem ſignificare in lingua Arabica. Sunt qui dotem interpretantur. Sed in LXX. δῶρον, & in Hiero. *donum*. Vxorem habuit Salome dictam. Zacharias ex Chryſoſtomo, *Mater filiorum Zebedæi eſt Salome, & interpretatur pacifica, quia genuit filios pacis. Intra tempus vocationis apoſtolorum & paſſionem DOMINI mortuus eſt Zebedæus, & ſic illa ſecuta eſt Ieſum*. Hæc ille pag. 111.

Zorobabel.

Græce Ζοροβάβελ Matth. 1. 12. & Luc. 3. 27. Syrus habet זורובבל, quod legunt Zurbabel. Sed Ebræi ſcribunt זרובבל Zerubabel, penultima producta interpretantur, *ortus in Babylone*: ego, *ſatus Babylone* ſive *Babylonia*. זרו pro זרוע, ut ישו pro ישוע .i. Ieſus. In Gloſſario Philonis, *princeps vel magiſter Babylonis*, emenda ex Hiero. *iſte princeps vel magiſter Babylonis*. זה iſte, רב princeps vel magiſter: בבלי Babylonis .i. eodem interprete, confuſionis. Nam בבל σύγχυσις. Autor operis imperfecti hom. 1. in Matth. *Hic Doctor Babylonis*. Pro זה dicimus etiam זו. Nam זו fœmininum eſt. Alibi Zorobabel, ῥύσις παρακειμένη .i. fluxus adjacens vel expoſitus. Quanquam in opere imperfecto, *fluitio poſtpoſita*. Sed vera originatio, quam primo loco poſui. Cui firmando Theophilactus ita ſcribens. Ζορὸ δηλοῖ τὴν σπορὰν καὶ τὴν γέννησιν. Βάβελ δὲ Βαβυλῶνα. τουτέστιν ὁ ἐν Βαβυλῶνι σπαρεὶς ἢ γεννηθείς. Et Hiero. cujus verba hac de re habentur Hag. 1. *Porro ortus de Babylone ſecundum hiſtoriam quidem vere Zorobabel dicitur, quia ibi natus eſt.*

Ad-

Addenda.

Pag. 2. lin. 1. vixiſſe creditur paullò poſt Chriſtum: ipſe quidem vixit paullò poſt Chriſtum, ſed liber ejus, in quo memoria uſurpatur punctorum vocalium, editus putatur diu poſt a diſcipulis ejus, qui multa de ſuo addiderunt.

Pag. 5. lin. 21. הבל vanitas. leg. Hebel: & lin. 22. הבל vapor, Habal prima correpta.

Pag. 7. lin. 21. חקל leg. Hacel: בעל Becl & טעם Têem. Id Ebræi legunt Baal & Taam. Syra igitur lectio eſt.

Pag. 16. lin. 3. adde, *Vide Præterita mea Apocalyp. 16. 16.*

Ibid. lin. ultima ad *ſit ſalvus*, adde aut *vivat diu*. Nam vita vocatur vita longa, ut ibi, momentum in ira ejus, vita in benevolentia ejus. Huc refer quod Deut. 17. 20. *Ut prolonget dies ſuos in regno ſuo ipſe & filij ejus in medio Iſrael.*

Pag. 18. lin. 26. *Sunt qui enumerant Amen inter formulas jurandi*: hoc alibi refutamus. Lege igitur, ſed cum judicio.

Pag. 39. lin. 3. quorum maxilla propria pars erat ſacerdotum ex lege. Nam ſacerdotibus cedebant armus, maxillæ & ventriculus Deut. 18. 3.

Monendus es lector me quandoque commentarium priorem vocare qui ſit poſterior. Nam prior eſt tempore, licet poſterior ſit in hac editione.

Pag. 64. lin. 4. pro *ex tribus angelis* malim, *ex duobus*. Nam duorum archangeli memorantur in libris canonicis. Tobias, ubi nomen Raphaelis, non eſt canonicus.

nicus apud Ebræos. In canonicis Raphael eſt proprium viri 1. Paralip. 26. 7. Sic Vriel nomen eſt viri in Canonicis & angeli in Apocryphis.

Pag. 68. lin. 15. *Simeon filius Iohai*: adde, *& Ionathan filius Vzielis interpres Chaldæus Chriſti coætaneus.*

Pag. 101. lin. 1. Lazarus dialectus Ieroſolymitana uſurpat pro Eleazarus. Vide Præterita mea.

Pag. 109. Man quod ſumptum potius ab Ægyptiis. Nam Chaldæorum lingua tunc Iſraelitis ignorata.

Pag. 119. lin. 25. Similia habes Deut. 12. 31. in Nicolao a Lira Brabantino ad locum. *Offerentes filios* &c.

Pag. 136. lin 14. poſt, *fateor me hæreticum eſſe*: adde, quod hodie nomen eſt honoris, ſignumque diligentiæ ſingularis & eruditionis reconditæ, quæ in catechiſmo non invenitur.

Pag. 88. lin. 10. *quæ Acra dicitur*: imo Sion. Nam Acra ſita erat in parte illius montis. Vide Sion.

FINIS.

Abſolutus eſt hic commentarius prior anno conditi orbis 5362. qui eſt nati Chriſti 1602. menſe Iulio, die ſexto ejus menſis, mane hora ſeptima.

I. DRUSII

I. DRVSII
AD
VOCES EBRAICAS NOVI TESTAMENTI COMMENTARIVS POSTERIOR,

antehac editus.

Cap. I.

A. Linguam Syrorum antiquitus Ebraicam dictam. B. Lingua vernacula ætate Chriſti. C. Idioma Ieroſolymitanum.

INNSCRIPTIONEM feci huic libro a vocibus Ebraicis, quod late intelligendum. Nam pleræque voces meræ Syriacæ ſunt. tu a me diſce Ebraicam linguam vocari etiam Syriacam; hoc eſt eam quæ ætate Chriſti & Apoſtolorum in Iudæa vernacula erat. Clare doceo ex interpretamentis duarum vocum Gabbatha & Golgotha. Iohan. 19. 13. A

εἰς τόπον λεγόμενον λιθόστρωτον, ἑβραϊστὶ δὲ γαββαθᾶ.

Ecce ait Ebraice, cum ſit vox linguæ Syræ. paullo poſt verſ. 17.

εἰς τὸν λεγόμενον κρανίου τόπον, ὃς λέγεται ἑβραϊστὶ γολγοθᾶ.

Calua Ebraice vocatur *γολγολὲθ*, Syriace *γολγοθᾶ*, aut verius *γολγολθᾶ*. Verbum non addam probandæ rei tam claræ.

Dixi linguam Syriacam olim in Iudæa vernaculam B

fuiſſe: cujus rei teſtem poſſem laudare Eliam; ſed utar certiore teſtimonio. Claris verbis hoc ſignificat Nehemias cap. 13. verſ. 23. Quod tamen ita accipiendum, ut intelligas linguam non puram putam Syriacam, ſed miſtam. Nam quamplurimæ voces in ea Ebraicæ.

C Ab hac paulo diverſum erat idioma Vrbis. colligo ex verbis Petri Act. 1, 19.: & ex Thargum Ieroſolymitano, qua de re dicam alias: nunc propero ad ipſas voces, in quibus explicandis non utar certo ordine, ſed ut quæque prior aut poſterior occurret, ita ponam.

CAP. II.

A. Iannes & Mambres. B. Scriptura Græca expenſa. C. Itemque Latina.

A TAnquam aurum inter ſtercora, ſic reperio interdum apud magiſtros quod facit ad lucem novi Teſtamenti. De Ianne & Mamre pridem repperi apud Nathanum autorem Lexici juris, qui ſcribit principes eos fuiſſe magorum Pharaonis, ac Moſi miracula edenti in Ægypto reſtitiſſe; qua de re locus inſignis eſt in Gemara capite Col corbanoth hatſibbur, quem locum ibi laudat Nathanus, a quo ego habeo. Verba Lexici, *Quum veniſſet Moſes in Aegyptum cum ſignis a Deo ei datis, dixerunt Iohani & Mamre principes magorum Pharaonis, hoc eſt opificium noſtrum: nos enim poſſumus facere talia incantationibus noſtris. Proinde ſimilis es ei qui adducit paleam in Aphraim, quæ urbs eſt proventus, unde frumentum in loca multa advehitur &c.* Verba illa, *Hoc eſt opificium noſtrum &c.* Philo Græce extulit ad hunc modum: οὐδ᾽ ἡμεῖς τῶν τοιούτων ἀμελετήτως ἔχομεν, ἀλλὰ χρώμεθα τέχνῃ δημιουργῷ τῶν

B ὁμοίων. Ex his apparet mendum eſſe 2. Timoth. 3. 8. in li-

ān libris Græcis, legendumque μαμρῆς aut μαμβρῆς: quod tamen nolim pro certo affirmare. Nam potuit διάγραμμος eſſe: certe apud Numenium philoſophum Pythagoricum liquido ſcriptum eſt ἰαννῆς καὶ ἰαμβρῆς, quos dicit fuiſſe ἱερογραμματεῖς ἄνδρας in libro tertio περὶ τἀγαθοῦ, ita ſcribens: τὰ δ' ἑξῆς ἰαννῆς καὶ ἰαμβρῆς αἰγύπτιοι ἱερογραμματεῖς ἄνδρες οὐδενὸς ἥττους μαγεῦσαι κριθέντες εἶναι ἐπὶ ἰουδαίων ἐξελαυνομένων ἐξ αἰγύπτου. μουσαίῳ γοῦν τῷ ἰουδαίων ἐξηγησαμένῳ, ἀνδρὶ γενομένῳ θεῷ εὔξασθαι δυνατωτάτῳ, οἱ παραστῆναι ἀξιωθέντες ὑπὸ τοῦ πλήθους τοῦ τῶν αἰγυπτίων, οὗτοι ἦσαν τῶν τε συμφορῶν ἃς ὁ μουσαῖος ἐπῆγε τῇ αἰγύπτῳ, τὰς νεανικωτάτας αὐτῶν ἐπιλύεσθαι ὤφθησαν δυνατοί.

Hos intellexit Artabanus cum ſcriberet Pharaonem advocaſſe, quos Moſi opponeret τοὺς ἱερεῖς τοὺς ὑπὲρ Μέμφιν. ſed ad propoſitum. In Syriacis reperio ימברס, id eſt
Iambres ex Græco, in Latina vulgata Mambres: quæ C
ſcriptura proxime accedit ad Ebraicam. Interpres ille quiſquis tandem fuit, poſt Græcos inſeruit literam b, quod amat facere inter m & r. Exempla Nimbrod Gen. 10: Mambre Gen. 13. 18. Iambri & alia pauca, quæ diligens lector facile per ſe obſervabit.

Liber erat in veteri eccleſia hoc titulo Iannes & Mambres: e quo ſi Thalmudicos, Numenium alioſq; hæc nomina ſumpſiſſe quis dixerit, fortaſſe a vero non aberraverit.

Cap. III.

DE RAKA.

A. Hieronymi expoſitio confirmata. B. Notatus error Caninii. C. Theophylacti locus expoſitus. D. Locus e Chryſoſtomo productus. E. Error ſcriptura antiqua

A Raka, id eſt *ῥακὰ*, vox convicij Matth. 5. 22. Syrus habet רקא, quæ ſcriptura plane firmat expoſitionem Hieronymi; cui ego, dum meliorem edoctus fuero, libenter accedo. Hierony. adverſus Pelagianos lib. 2. *Qui autem dixerit Raka, quod interpretatur vanus & abſque cerebro.* Idem in comment. Matth. 5. ad hanc vocem: *Hoc verbum proprie Ebræorum eſt. Raka enim dicitur κενὸς, id eſt inanis aut vacuus, quem nos poſſumus vulgata iniuria abſque cerebro nuncupare.* Pro Raka vir doctus poſuit רקה; quod jubeo illum quærere apud Ebræos. Syrum eſt רקא ad inſtar טבא, niſi fallor. Apud magiſtros invenio ריקה, ut opinor, ſubſtantive propter he, quæ alioqui eſſet nota generis fœminini. locus eſt egregius in libro Muſar, quem non pigeret adſcribere, niſi prolixior eſſet. Fallitur,

Malim, vacuus.

B autem Caninius dum רקה ſcribit per patach, quod natum putat ex רקה uſitata vocalium mutatione. Fallitur inquam, quia thema eſt ריק: etiam in eo fallitur quod רקה ſcribat ſub roſch chirec minus, quæ ſcriptura analogice poſtulat daghes, ſcriptura in hoc ordine nominum plane peregrina. Ex libris magiſtrorum paret hanc vocem olim in frequenti uſu fuiſſe, aut potius abuſu, quem Ser-

C vator ibi merito damnat. In Theophylacteis: *τινὲς δὲ τὸ ῥακὰ συριστὶ κατάπτυστον φασὶ σημαίνειν.* recte *συριστί*. eſt enim vox linguæ Syræ citata in Lexico juris ex ea parte Thalmud, quæ Gemara vocatur; & ex Niddah; עד שהרוק בתוך הפה id eſt *donec ſaliva eſt in ore.* In eodem Lexico רק אותו האיש, id eſt ſpuit. Item ראה רוק למעלה בקורה: id eſt *vidit ſputum ſupra in trabe.* Igitur a רק ſpuit in Benoni, quod vocant רק ſive רקא paſſive, ut אובד perditus, ita *ῥακὰ* ſputo dignus, conſpuendus, *κατάπτυστος*; ut במאס contemptibilis, *καταγνωστος*, condemnandus, condemnabilis, & quæ alia Grammatici notarunt. Peccem in

Deum

Deum meum, ſi negem hanc declarationem, præ illa altera, quam Theophylactus ibi adfert, non vehementer mihi placere. Sed amabo, quænam eſt illa altera? ait Theophylactus ex Chryſoſtomo, *τὸ δὲ ῥακὰ σημαίνει ἀντὶ τοῦ σύ.* Interpres Chryſoſtomi hom. 16. in Matth. *Qui lingua utuntur Syrorum, Racha, pro eo quod eſt, tu, dicere ſolent.* Citius inveniam cornua cervi, quam ſi quæram apud Syros *ῥακὰ* pro tu. ſed credamus affirmanti hoc Chryſoſtomo. Pro clauſula tollam leviculum mendum, quod hæret in pleraque Latinorum codicum parte. In libro de nom. Ebr. *Racha vanus.* Leg. raka. nam racha, id eſt רכא, vel ipſo Hieronymo teſte, qui ſic diſtinguit inter has literas in eodem libro his verbis: *Hucuſque per ſimplicem C, literam ſcripta ſunt nomina, quæ Græci per κ efferunt: exin aſpiratione addita legendum, quam illi literam chi vocant.* Similis error in *σαβαχθανί*, quem nos ſuo loco corrigemus. D E

CAP. IIII.

DE NOMINE IESVS.

A. Moſchopuli commentum. B. etymon. C. Epiphanij locus. D. Lingua Ebraica. E. Scriptura Græca ἰησοῦς. F. Theophylactus expoſitus. G. Iaoh. H. mendum ſublatum e Theodoreto.

NOmen hoc e Græcis quidam deducunt ab *ἰάσω* futuro verbi *ἰάω*, quod ſignificat ſano: ſed perperam. Moſchopolus *περὶ σχεδῶν. τὸ Ἰησοῦς ὄνομα κρειττόνως οἶμαι ἀποδέδοσθαι παρὰ τὸ ἰῶ τὸ θεραπεύω οὗ ὁ μέλλων ἰάσω, καὶ ἐξ αὐτοῦ Ἰάσους καὶ τροπῇ τοῦ ᾱ εἰς η̄ Ἰησοῦς.* A

Conſimilem errorem errant Euſebius & Egeſippus in

in nomine ἱεροσολύμων, quanti viri? Veriſſime Theophylactus: τὸ ἰησοῦς ὄνομα οὐκ ἑλληνικόν ἐστιν, ἀλλὰ ἑβραϊκόν.
B Quod Ebraicum nomen ſit, liquido liquet ex etymo
quod habet a ſervando, Matth. 1. 21. καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα
αὐτοῦ ἰησοῦς, αὐτὸς γὰρ σώζει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ. Non latuit hoc Græcos. Origenes Matth. 1.
Theophylactus ibidem. Damaſcenus lib. 1, cap. 12. de
orthodoxa fide: τὸ ἰησοῦς ὄνομα σωτὴρ ἑρμηνεύεται. Iuſtinus
Martyr apologia pro Chriſtianis 2. Hieronymus in comment. Matth. 1. *Ieſus Ebræo ſermone ſalvator dicitur. Etymologiam vero nominis ipſius Euangeliſta ſignavit, dicens,
Vocabis nomen ejus Ieſum, quia ipſe ſalvum faciet populum*
C *ſuum.* Vnus Epiphanius κατὰ ναζωραίων. ἰησοῦς γὰρ κατὰ
τὴν ἑβραϊκὴν διάλεκτον θεραπευτὴς καλεῖται, ἤτοι ἰατρός. Mira
interpretatio. Videtur primum nata non ex ἰῶ quod
Græcum eſt, ſed ex אסא verbo Syro, quod ſanare ſignificat. Nam ſcilicet veteres Ebraicam linguam dixiſſe
D pro Syra aut Chaldæa. Sic Euſebius προπαρασκ. lib. 3.
αὐτίκα γοῦν κατὰ τὴν ἀκριβῆ τῶν ἑβραίων φωνὴν, τὸ ὄνομα τὸ
εὐᾶ δασυνόμενον ἑρμηνεύεται ὄφις θήλεια Nam εὐᾶ, id eſt חויא
vox linguæ Arameæ. Hæc interpretatio refelli poteſt
ex ſcriptura ea qua nomen iſtud ſcriptum reperitur in
novo teſtamento Syro: partim etiam in veteri, ut
Ezræ 2. 2: ubi Græce eſt ἰησοῦς, in Latina vulgata Ieſua,
Ebraice autem ישוע, quod idem eſt cum nomine Ioſua,
qui Ebraice יהושע. Doceo ex eo quia Ioſua Ioſadaci filius, qui Ieſua dicitur Ezræ 3. 2. in Haggæo paſſim &
E Zacharia appellatur Iehoſua: argumentum invictum
contra eos, qui volunt Chriſto diverſum fuiſſe nomen
a nomine ducis Ioſuæ & Ioſuæ ſacerdotis. Quæri poteſt
unde Græcum ἰησοῦς? nam a ישוע fieret Ieſua aut Ieſuas,
ſicut a משיח eſt משיחא; unde Meſſias. Credibile eſt

veteres uſitaſſe ישו pro ישוע conſuetudine ea qua ultimam ע per apocopen abjiciunt. Porro ישו, id eſt *ἰησοῦ*, & terminatione Græca *ἰησοῦς*, quæ appellatio adhuc hodie manet apud Iudæos. Elias Levita Theſbite: *Dici poteſt quod litera Ajn ardua ſit ac difficilis pronuntiatu gentibus. Ideo in lingua ſua non dicunt Ieſua, ſed Ieſu aut Ieſus. propterea Iudæi etiam vocant eum Ieſu abſque Ajn.* Iam perſpicuum eſt ex ſcriptura errare eos qui derivant a verbo אמן: nec poſſe aliunde deduci, quam a ישע verbo ſervandi, quam nominis originem clare arguit euangeliſta Matthæus in loco ſupra citato. errant etiam nuperi interpretes, qui deducunt a nomine Iod, he, vau, he, per interpoſitionem literæ Sin. Errare doceo ex ſignificatione quam nomen illud habet ab exiſtendo, non a ſervando. Quod autem apud Theophylactum legimus *ἰαὼ γὰρ ἡ σωτηρία παρὰ τοῖς ἑβραίοις λέγεται*: ita accipio, ac ſi dictum eſſet, *τὸ ἰησοῦς ὄνομα παρὰ τοῖς ἑβραίοις λέγεται ἰαὼ σωτηρία*. Aut eſt error interpretis, quem eundem reperies apud Moſchopulum: *καὶ γίνεται παρὰ τὸ ἰαὼ, ὃ δηλοῖ τὴν σωτηρίαν, ὅπερ ἐστὶν ἑβραϊκόν.* Neque enim ab Ioah derivari poteſt Ieſus. erratum ex hac cauſa. Interpretamentum vetus Ioſua *ἰαὼ σωτήριον* aut *σωτηρία*, quaſi ישע יהוה, id eſt ſalus DOMINI. Nam *ἰαὼ*, id eſt יהוה. Theodoritus quæſt. 15. in Exod. de nomine tetragrammato: *καλοῦσιν δὲ αὐτὸ Σαμαρεῖται μὲν ἰαβὲ, Ἰουδαῖοι δὲ ἰαὼ.* Vbi perperam *ἰά* ſcriptum eſt. Euſebius *ἀποδείξ.* lib. 4. capite ultimo: *σωτήριον θεοῦ εἰς τὴν ἑλλάδα φωνὴν τὸ τοῦ ἰησοῦ μεταληφθὲν ὄνομα σημαίνει.* & mox. *ἰωσυὲ δὲ ἐστὶν ἰαὼ σωτηρία, τουτ᾽ ἐστὶ θεοῦ σωτήριον, εἰκότως εἴπου θεοῦ σωτήριον ἐν ταῖς ἑλληνικοῖς ἀντιγράφοις ὠνόμασται, οὐδ᾽ ἄλλο τι ἢ τὸν ἰησοῦν κατὰ τὴν ἑβραίων φωνὴν πέπεισμαι δηλοῦσθαι.* Ceterum quod quidam aſſerit ex proprietate ſermonis Ebraici Iehoſua

potius

potius ſervandum, quam ſervatorem denotare, id non poſſum non improbare, cum ea ſit potius linguæ proprietas, ut nominum formas propriorum, quæ ſignificationum indices ſint, non diſtinguat. Sane ſervandus potius Iehoſia .i. יהושיע diceretur.

CAP. V.

A. Bar. B. Barrabas. C. Bariona. D. Bartholomæus. E. Bartimæus. F. Barieſus. G. Barchochebas. H. Barporas. I. Quid Giora.

A BAr extra controverſiam Syra vox eſt, & filium ſignificat, qui Ebraice Ben dicitur. Quanquam & bar reperitur in textu Ebræo, ut Pſal. 2. & Proverb. 30. nec alibi quod ſciam. In novo teſtamento Barrabas, Bariona, Bartholomæus, Bartimæus, Barieſus: apud Euſebium Barchochebas, Xiphilinum Barporas nomina ſunt propria compoſita cum hac voce; de quibus ſingulatim
B quæ digna notatu habeo, notabo. Barrabas. In nominibus de Matthæo *Barrabam filium magiſtri eorum.* Quis credat hanc interpretationem Hieronymi eſſe? pronomen delendum, vel ex eo quod Barrabas dicimus in recto caſu, non Barrabam, בר רבא filius magiſtri. In Syriacis reperio בר אבא filius patris, aut filius patris mei.
C Vide Matth. 17. 16. Bariona. *βαριωνᾶ*, id eſt *ὑὸς τοῦ ἰωνᾶ.* Ebraice בר יונא. lectio alia *βαριωάννου*, id eſt בר יוחנא aut בר יוחנן *ὑὸς ἰωάννου.* Nonnus poëta: *ὑός ἰωάννao σύ μοι πέλεις, ἐσσὶ δὲ Σίμων.* Priorem lectionem interpretatur Hieronymus in libro de nominibus Ebraicis, & puto
D germanam eſſe. Bartholomæus. In Bartholomæus negat vir doctus Tholomæum eſſe, qui a nobis Ptolomæus dicitur. Gorionides contra hiſtor. Iud. lib. 2. cap.

cap. 3. איפטולמיוס הוא תלמי diſerte ait Ptolomeus & Talmai idem eſſe. firmandæ rei citabo locum ex Seder Olam Suta, qui Caninium clare convincit:

תלמי כתב את התורה יונית

Id eſt ad verbum, *Thalmai ſcripſit legem Græce*. Significat autem Ptolomæum Philadelphum regem Ægypti, qui procuravit tranſlationem Græcam Legis per ſeptuaginta duos interprtees. eſt autem Thalmai a Syris dictus Thulmai, unde Ptolomæus. forte an Phe additum ex proprietate linguę Iſmaeliticę. Bartimęus. E
Marci 10.46. ὑὸς Τιμαίου Βαρτιμαῖος. ex ordine non vane quis ſuſpicetur ab ipſo Euangeliſta eſſe τὸ filius Timęi, quę declaratio indicat nomen patris Bartimęi, eo magis quod multa nomina propria Syris, quorum formatio a Bar voce, quæ apud eam gentem in compoſitionibus frequens eſt. In Syriacis Marci טימי בר טימי, id eſt *Timæus filius Timæi*. lectio alia, *filius Timæi Barſemia*. eam obſervat Hieronymus; ſed addit corruptam eſſe in libro de nominibus Ebraicis. Barſemia, id eſt filius cæcus בר סמיא.

Barieſus. Βαριησοῦς Acto. 13.6. Admonet Hieronymus de corrupta ſcriptura, & legit Berieu, in libro de F
nom. Ebr. ego non capio cur hæc ſcriptura melior ſit præ vulgata. Barieſu, id eſt בר ישו ὑὸς ἰησοῦ. In ſchidis meis reperio Βαριηοῦ, id eſt בר יהוא. Apud Syrum בר שומא, id eſt Bar Suma. & paulo poſt: *Stetit igitur contra eos magus ille Barſuma; quod interpretatum ſonat Elumus*. Pro Elumus in Græco eſt ἐλύμας, id eſt עלימא, ut conjicio, μάγος ἤτοι σοφός. qua de re dicam alias. Addam aliud, quamquam non repertum in novo teſtamento. Quid refert, ſi locum faciam parœmiæ Græcæ ἐκτὸς τῶν ἐλαιῶν?

Euſebius eccleſiaſt. hiſtor. lib. 4. cap. 6.

χωχαβα vicus Galilææ, unde forte Barchochabas q. filius Chochabæ.

ἐστρατήγει τῶν ἰουδαίων τηνικαῦτα βαρχοχεβας ὄνομα ὃ ἀστέρα δηλοῖ. tu a me diſce Barchochebas non ἀστὴρ, ſed υἱὸς τοῦ ἀστέρος. eſt enim compoſitio vocis ex βὰρ & χωχὰβ, id eſt בר כוכב pronuntiatione vetere. χωχάβ, ſydus ſive ſtella.

H

Barporas. Ponam in hac voce emendationem meam. licet enim mihi credo quod alijs multis licuit. ſi non temere id facio, ſi receptam ſcripturam non ſollicito, tantum mendum indico, quis reprehendat? Xiphilinus in Veſpaſiano: *Capti ſunt ab eo multi, præſertim Barporas, qui apud eos principatum tenebat, iſque ſolus in triumpho ſupplicijs affectus eſt.* Quis iſte Barporas? videtur leg. Bargioras, id eſt filius Gioræ. Ioſephus captæ Iudęæ lib. 4. cap. 30. υἱὸς ἦν γιώρα Σίμων τις γερασηνὸς γένος νεανίας. υἱὸς γιώρα, id eſt βαργιώρα, & Græca terminatione βαργιώρας. Ne autem putes mendum eſſe in γιώρα, ecce eadem ſcriptura apud Ruffinum: *Erat Simon Gioræ filius, patria Geraſenus, ætate juvenis.* Fuit tempus cum exiſtimarem legendum Sarporas, quaſi שר בריץ pro שר פריצים, quod epitheton Iohanni plurimum tribuit Gorionides hiſtoricus Ebræus. nunc muto, & indubitanter de Simone hæc intelligenda eſſe ſtatuo ex ipſa hiſtoria. ſolus enim Simon triumpho ſervatus eſt, Iohanne ad perpetuos carceres damnato, Ioſep. lib. 3. cap. 46. Σίμων δὲ πολλὰ διαμαχήσας πρὸς τὴν ἀνάγκην ὡς διὰ τῶν ἑξῆς δηλώσομεν ἑαυτὸν παραδίδωσιν. ἐφυλάχθη δὲ ὁ μὲν τῷ θριάμβῳ

I σφάγιον, ὁ δὲ ἰωάννης δεσμοῖς αἰωνίοις. In Giora hæreo ac dubito proprium nomen ſit an pater Simonis ex iis fuerit qui gioræ vocabantur. Euſeb. hiſt. eccleſ. lib. 1. cap. 7. τὸ γένος ἀνάγειν ἐπὶ τοὺς παλαιάρχας ἢ προσηλύτους, τούστε καλουμένους γειώρας τοὺς ἐπιμίκτους. Iuſtinus Martyr in diſputatione πρὸς τρύφωνα. ταῦτα ὑμεῖς μὲν εἰς τὸν γηόραν

καὶ

καὶ τοὺς προσηλύτους εἰρῆσθαι νομίζετε. In lingua Syrorum גיורא προσήλυτος. Theodoritus ad Exod. quæſt. 24. καὶ γὰρ προσηλύτους μεταλαγχάνειν τοῦ πάσχα προσέταξεν. γιωρὰν γὰρ τὸν προσήλυτον ἐκάλεσε. Non γίωραν, ſed γὴρ. hoc Ebraicum, illud Syrum eſt, cum pace dixerim Theodoriti. Porro apud Ioſephum ut ſit proprium Giora, magis inclinat ſententia.

Cap. VI.

DE SADUCAEIS.

A. Vnde dicti. B. correcta ſcriptura vulgaria. C. Epiphanij locus. D. Hæreſis eorum quænam fuerit. E. unde primum cœperit.

DE Saducæorum nomine ac doctrina, etſi ſatis plana res eſt, obſervabo tamen aliquid, quod ante me nemo obſervavit: ac primum de nomine Theophylactus: Σαδδουκαῖοι ἑρμηνεύονται δίκαιοι, σεδὲκ γὰρ δικαιοσύνη. δικαίους γὰρ ἑαυτοὺς ὠνόμαζον: ἢ ἀπὸ αἱρεσιάρχου Σαδὼκ ὀνομάζονται. Duplex ſententia: prior dicit quod appellati ſint Saducæi a juſtitia. Nam juſtitia Ebraice Sedec dicitur: altera dicit, quod ſic appellati ſint ab hæreſiarcha Sadoc. hęc vera eſt. In Lexico juris: וקראו צדוקים על שם צדוק id eſt, *vocati ſunt Saducæi de nomine Sadoc*. Hic obiter obſervo ſcribendum Saducæi unica d, non Sadducęi. id eruo ex ſcriptura nominis Sadoc; 2. Sam. 8. 17. Nam ſcilicet idem nomen fuiſſe & ei, a quo ſecta appellata eſt. Porro a Sadoc qui ſcribit Sadducæi, peccat bifariam; primum quia literam conſonantem geminat tanquam per daghes: deinde quia legit phatach ſub tſade cum ſit camets. Hoc poſito, quęramus quis fuerit Sadoc iſte? Nam ignotum hoc vulgo. Vir doctus in notis ad Auguſtini libellum de hæreſibus ex

A

B

C

 Epi-

Epiphanio ita ſcribit: *Sadducæi tanquam juſtitiarij aut juſti dicti ſunt, vel a Sadoc ſummo ſacrificatore.* Si hoc dicit Epiphanius, fruſtra eſt: ſed meo animo non videtur hoc dicere. Ponam ipſius verba: ἦν δὲ καὶ Σαδοὺκ τὶς τοὔνομα κατὰ τὸ παλαιὸν τῶν ἱερέων, ἀλλ' οὐκ ἐνέμειναν οὗτοι ἐν τῇ τοῦ ἐπιστάτου αὐτῶν διδασκαλίᾳ. id eſt, *Fuit priſcis temporibus ſacerdos quidam nomine Sadoc: ſed non manſerunt iſti in præſulis ſui doctrina.* Quod Epiphanius hic ait, veriſſimum eſt. Sadoc autem, a quo Saducæi, diſcipulus fuit Antigoni Sochæi. R. Nathan in vitis patrum, Iehielides in Lexico juris, Elias Germanus Thiſbite. Amplius reperio citatum ex libro Alcoſder Iudę levitæ. *Ezdras Cabalam tradidit Simeoni Iuſto: is Antigono, & ſociis ipſius, e quibus Sadoc & Baithos hæreſiarchæ: unde*
D *Saducæi & Baithuſæi.* Hæc de nomine: in quo falluntur qui a juſtitia appellatos cenſent Saducæos. De doctrina res clarior. Negabant reſurrectionem argumentis ab abſurdo Matth. 22. 23. a non ſcripto, ut quod refutat ibidem ὁ σωτὴρ. Item dicebant, *Si patres noſtri ſcivisſent mortuos reſurrecturos, & præmia manere juſtos poſt hanc vitam, non tam ſæpe rebellaſſent*, Iehielides in loco memorato. Rejiciebant traditiones patrum, adeoque omnem omnino Legis expoſitionem. Ioſeph Ben Gorion hiſtor. ſuæ lib. 4. cap. 29. *Ecce Saducæi dicebant, Ne credamus neque auſcultemus ulli traditioni, aut ulli expoſitioni: ſed tantum legi Moſis.* Elias Levita Germanus in Thiſbite: *Negabant legem oretenus traditam, & non credebant, niſi quod extat in lege ſcripta. Ideo vocati ſunt Caraim. nam מקרא ſcriptura.* De Phariſæis aſſeverabant quod ſe miſere affligerent in hac vita propter traditiones, neque tamen in altera vita, quam eſſe credebant, mercedem inde ullam reportarent. Nathan

Iuſtus.

Iuſtus Iehielides. Nata hæc hæreſis ex dicto quodam Antigoni ſequius accepto quam ipſe intellexerat. Meminit Iehielides, & extat in ſententiis patrum. eſt autem hujuſmodi: *Nolite ſimiles eſſe ſervis ijs, qui ſerviunt domino pro mercede: ſed eſtote ſimiles ſervis ijs, qui ſerviunt quidem domino, non tamen pro mercede: ſitque timor cœli ſuper vos.*

Sed de his ſatis ſuperque.

CAP. VII.

In Actis locus illuſtratus.

Elymas quid.

LOcus eſt ſubobſcurus Actor. 13. 8. cui lucem dabo hoc capite de conjectura. Nam verba illa: Ἀνθίςατο δὲ αὐτοῖς Ἐλύμας ὁ μάγος, οὕτω γὰρ μεθερμηνεύεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, mire torquent quoſdam interpretes, & nectunt nodum, quem ſi quis ſolvet dicendo quod μάγος ſit interpretatio nominis ἐλύμας, campas loquitur, niſi idem oſtendat ἐλύμας magum ſignificare. hic conjectura adfertur non ad meum guſtum ἐλύμας אל יועץ, id eſt Dei conſiliarius. melior eſt, quam ponam, niſi fallor, ἐλύμας, id eſt עלימא magus, ſapiens. quæ ſignificatio vocabuli adhuc hodie manet apud Arabes. Nam Arabice אלעלם σοφία, unde אל עלם אלטבעי φυσικὴ σοφία ars phyſica, & אל עלם אלהי theologia. Si qua alia conjectura, in qua mihi placeo, ea eſt hæc, & puto veram eſſe. Ελυμα & ἐλύμας, ut ἀκύλα & ἀκύλας. Poſterior terminatio Græca eſt, altera Chaldaica.

CAP. VIII.

A. El. B. Iuſtinus emendatus. C. Item Epiphanius. D. Locus in euangelio ſecundum Marcum expoſitus. E. Emmanuel. F. Theodoriti locus ſuſpectus de mendo. G. Il ſive Ilus.

A EL ad ſenſum θεὸς, ut in verbis Chriſti *Eli Eli lamma ſabachthani*, quod ab euangeliſta interpretatur: *Deus meus, Deus meus, quare dereliquiſti me*: ad verbum δύναμις aut ἰσχύς. In fragmentis veterum interpretum ad Pſal. 22. Aquila: ἰσχυρέ μου ἰσχυρέ μου: poſt quem Hieronymus Num. 16. pro eo quod in Ebræo legitur Elohe haruhoth, Latine transferendo dixit: *fortiſſime Deus ſpirituum*. In Cantico Mariæ ὁ δυνατὸς, id eſt האל. Ergo ἢλ fortis. τὸ δὲ ἀκριβὲς, ut Euſebij verbis utar, quæ eſt accuratior hujus vocis explicatio El fortitudo aut potentia, quo ſignificatu hoc nomen occurrit Proverb. 3. 23. Michai.
B 2. 1. vide Euſeb. ἀποδείξ. lib. 10. πρὸς τῷ δὲ ἀρχῇ lib. ια. ἐλωὶμ καλοῦσι παρὰ τὸ ἢλ, ἔοικε τοῦτο δὲ ὡς ἑρμηνεύουσιν ἰσχὺν καὶ δύναμιν. Iuſtinus Martyr dialogo πρὸς τρύφωνα in voce Iſraël, τὸ γὰρ ἴσρα ἄνθρωπός ἐστι, τὸ δὲ ἢλ δύναμαις locus non caret vitio, ita corrigendus: τὸ γὰρ ἴσρα ἄνθρωπός ἐστι νικῶν, τὸ δὲ ἢλ δύναμις. correctio certa ex illo ipſo loco. Nam præcedit: καὶ τὸ οὖν ἰσραὴλ ὄνομα τοῦτο σημαίνει ἄνθρωπος νικῶν δύναμιν. ſententia Iuſtini, Iſraël dictus quaſi
C איש שרה אל homo vincens potentiam. Epiphanius κατὰ Οσσηνῶν, quos alij Eſſæos vocant: φαντάζονται δὲ δῆθεν καλεῖν τοῦτον δύναμιν ἀποκεκαλυμμένην διὰ τὸ ἰὴλ καλεῖσθαι δύναμιν, ξαὶ δὲ κεκαλυμμένον. Interpretatur nomen ἠλξαί. Igitur legendum ἢλ, non ἰήλ. item legendum δύναμιν κεκα-
D λυμμένην, אל בסי ita poſtulante ſententia. Ex hac nota intelligendus locus qui eſt Marc. 14. 62. καὶ ὄψεσθε τὸν υἱὸν ἀνθρώπου καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως. τῆς δυνάμεως,

האל,

האל, id eſt τοῦ θεοῦ, *videbitis filium hominis ſedentem ad dexteram potentiæ*, id eſt Dei. Hujus loci eſt ἐμμανουήλ, E
in quo obſervanda pronuntiatio antiqua Emmanuel pro Immanuel. Sic ebri ſonabant pro ibri, id eſt עברי. F
Theodoritus in Geneſin quæſt. 60. μετὰ γὰρ τὴν τοῦ λώτ αἰχμαλωσίαν, ἐλθεῖν τις φησὶ ἀπήγγειλεν Ἀβραὰμ τῷ περάτῃ. τοῦτο δὲ παρὰ τῷ ἑβραίῳ κείμενον εὗρον ἕβρει. Hoc verum. ſed quod paulo ante ait: Ἑβρα γὰρ τῇ Σύρων φωνῇ, ὅπερ εὐφράτης ὀνομάζεται. falſum eſt, niſi legas: Ἑβρει γὰρ τῇ Σύρων φωνῇ ὁ περάτης ὀνομάζεται. τὴν Σύρων φωνὴν intellige, ut cum ait Ἀδὰμ γὰρ τὴν ἐρυθρὰν γῆν ἔθος τοῖς Σύροις καλεῖν. τοῖς Σύροις ἤγουν τοῖς ἑβραίοις. eſt enim Adama Ebræorum proprium verbum. Igitur ἐμμανουὴλ ἀρχαικῶς pro ἰμμανουήλ. Vide ſequens caput. Ita ſcriptum eſt Matth. 1. 23. καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουὴλ, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον μεθ' ἡμῶν ὁ θεός. Interpretatio clara. עם μετὰ, אנו ἡμῶν, אל θεός. Pro אל Syri etiam dicunt איל quod reperies G
in eorum libris Matth. 27. 46. & Mar. 15. 34. recte an ſecus, neſcio. Nam adducor ut putem ibi reponendum אלי tranſpoſitis literis, quemadmodum oſtendam ſuo loco. alioqui ἴλ pro ἤλ purum putum Syriacum, a quo ἶλος creditus a Phœnicibus υἱὸς οὐρανοῦ καὶ γῆς, qui a Græcis κρόνος, id eſt Saturnus vocatur. Sanchuniatho vir antiquiſſimus, aut potius ejus interpres Philo Byblius in hiſtoria Phœnicum: παραλαβὼν δὲ ὁ οὐρανὸς τὴν τοῦ πατρὸς ἀρχὴν ἄγεται πρὸς γάμον τὴν ἀδελφὴν γῆν, καὶ ποιεῖται ἐξ αὐτῆς παῖδας δ. ἶλον, τὸν καὶ κρόνον καὶ βέτυλον &c.

Cap. IX.

A. Simon. B. Simeon. C. Theophylacti ἁμάρτημα.

A SImon. Nomen hoc varie ſcribitur Græcis σίμων, σιμεὼν & συμεὼν. Ebræis unica & conſtans ſcriptura שמעון. Scriptura prior non caret exemplo. Nam veteres ſcilicet aſpiratam ע in medio ſolitos abſcondere. Itaq; שווא dicebant pro שעווא. * teſtis David grammaticus in commentariis ſuper Pſalmos. Non minus abſurdum erit, ſi quis dicat eoſdem uſitaſſe σίμων contracte pro σιμεὼν, licet ejus contractionis exemplum apud Ebræos in hoc nomine mihi nondum obſervatum ſit. Nam סימון
B potius Græcum videtur σιμὼν. Simeon συμεὼν aut σιμεὼν. Poſterior ſcriptura melior. In utraque videtur ι poſitum loco ע, quod non dicerem niſi certo ſcirem veteres uſos fuiſſe hac litera pro vocali. Sed hoc leve. Ad-
C dam aliud, ne inane hoc caput. Locus eſt Math. 10. in Theophylacteis, qui noſtram hic ſubibit cenſuram: τρεῖς Σίμωνες. ὁ Πέτρος, ὁ Κανανίτης, καὶ ὁ προδότης. Σίμων γὰρ Ἰούδας ἰσκαριώτης ἐλέγετο. dicit in numero Apoſtolorum tres Simones fuiſſe: nec probat. Ioh. 12. 4. lectum: Ἰούδας Σίμωνος Ἰσκαριώτης. & 6. 71. ἔλεγε δὲ τὸν Ἰούδαν Σίμωνος Ἰσκαριώτην, ut dubium non ſit, quin Iudas habuerit patrem Simonem. Nam σίμωνος, id eſt Simonis filius: at Ἰούδας σίμων Ἰσκαριώτης nuſquam repertum, quod ſciam. Quare fruſtra eſt Theophylactus.

* cera.

CAP. X.

A. Vocis Satan variæ interpretationes veterum. B. Quid proprie ſignificet. C. Diabolus. D. ναὶ pro ναὶς. E. mos abſcondendi literas aſpiratas in medio.

A ΣΑταν Ebraice שטן. Interpretatur a Græcis ἐναντίος, ἀντικείμενος, διάβολος, παραβάτης: a Latinis contrarius, tranſgeſſor, adverſarius. ἐναντίος id eſt contrarius. Origenes

nes tract. 1. in Matthæum, Hiero. in lib. de nom. Ebr. & in comment. Matth. 16. ἀντικείμενος, id eſt adverſarius. Origenes lib. 10. ad Rom. hom. 15. in Ieſum Nave. Chryſoſtomus hom. 26. in epiſt. ſecundam ad Corinth. Hieron. paſſim in collectaneis nominum Ebraicorum. διάβολος. Num. 22. לשטן LXX εἰς διαβολήν. Vide annotationes Eraſmi Ioh. 6. 79. παραβάτης, id eſt tranſgreſſor. Hieron. in Satan ex epiſt. ad Romanos: & ex Apocalypſi. ἀποστάτης. Irenæus lib. 5. adverſus hæreſes: Iuſtinus Martyr in diſputatione cum Tryphone. Theo- B
phylactus Matth. 12. σατᾶν λέγεται ὁ ἀντικείμενος. optima interpretatio vocis. David grammaticus in libro ubi dictionum ſenſa collegit: שטן לשון איבה. Hoc vult, Satan ſignificat ἐχθρὸν καὶ ἀντικείμενον, hoſtem, inimicum, adverſarium. Itaque de Petro legitur ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ, quod Chriſto temere adverſaretur. Veriſſime Origenes: *Omnes, ait, qui adverſantur divinæ voluntati,* *Satanæ dici poſſunt.* Igitur Satan Dei ac generis humani C
hoſtis. Græco vocabulo etiam διάβολος vocatur, ſed alia ratione. Satan dicitur tanquam adverſarius: diabolus tanquam criminator. Non enim idem eſt adverſari & criminari. Criminatio ſine verbis non fit: adverſari & verbis & factis poſſumus. Hieroymus Iſa. 27. *Tradunt Ebræi diabolum, id eſt criminatorem, quod Græcum nomen eſt Ebraice appellari Satan, id eſt adverſarium. Vnde & in Zacharia dicitur, Stabat ſatan, id eſt adverſarius, a dextris ejus ut adverſaretur ei.* Qui ἀποστάτην vertunt, ut Irenæus & Iuſtinus, videntur deducere a verbo שט quod deficere ſignificat, ut nun ſit heemanthicum: ſic Grammatici appellant literas, quæ extrinſecus accedunt ad thema formandis nominibus. Iuſtinum induxit terminatio Græca σατανᾶς, ut compoſitum D

putaris ex שש ἀποστάτης & ναῒ τοῦτ' ἐστι ὄφις. prorſus inepte: ex quo tamen hoc diſcimus ναῒ ἀρχαϊκῶς pro ναχὰς, id
E eſt נחש. Ita ſolitum antiquis euphoniæ quaſi gratia abſcondere literam heth in medio. Sic reperio שרא pro שחררא apud magiſtros. Vide, ſi vacat, Davidem Camium ad pſal. 35.

CAP. XI.

A. Baal. B. Hieronymus correctus. C. Beel ſive Bel. D. Beelzebub. E. Vnde dictus? F. Statua deorum qua forma olim fuerint. G. Beelzebub quid?

A BAal, Iuppiter planeta quaſi κύριος καὶ δεσπότης: Ebraice בעל. Epiphanius κατὰ Φαρισαίων. ζεὺς, χοχὲβ βάαλ: id eſt כוכב בעל. vult dicere, Iovem planetam antiquitus baal vocatum, quem hodie Sedec indigitant a juſtitia. eſt autem in βάαλ ſignificatio dominatus: quam expreſſit Apoſtolus Corinth. 8. 5. εἰσὶ θεοὶ πολλοὶ καὶ κύριοι
B πολλοί. κύριοι, id eſt βααλὶμ. In lib. de nom. Ebraicis ex epiſt. ad Romanos: *Bal habens ſive devorans*: legendum Baal. poſſet excuſari bal pro baal contracte, ut bel pro beel, niſi in baal conſentirent libri omnes Græci & Latini Rom. 11. quem locum ibi Hieronymus laudat.
C Baal quod modo expoſuimus, Syri ac Babylonij efferunt beel, id eſt בעל, & contractius Bel ex more antiquo. Suidas in Beelphegor: βεὴλ, ὁ κρόνος. Malim ὁ ζεὺς. quanquam de eo non contenderim. hinc Beelze-
D bub Matth. 10. 25. in Latina vulgata, quomodo legendum monuit jam olim Hieronymus. monuere alij, qua de re dicam ſententiam meam in fine hujus capitis. Huic noſtræ literæ tribuunt principatum inter dæmones, quem Chaldæus paraphraſtes tribuit Aſmodeo Cohel. 1. 12.

1. 12. Dici ajunt ab idolo Accaronitarum, cujus mentio 2. Reg. 1. 2. Nam beel, id valet baal & zebub, muſca; E quaſi dicas ζεὺς μυῖα Iuppiter muſca. Quæri poteſt unde ita appellatus ſit? an quia ſimilitudinem habebat muſcæ? Nam veteribus mos fuit ut ſtatuas deorum ſculperent ea forma, quæ corpore hominem referebat: capite F autem & facie animal aliquod, puta aut avem aut leonem aut muſcam: vel contra facie humana referebat cætera parte corporis aliquod animal. Porphyrius περὶ τῆς τῶν ἐμψύχων ἀποχῆς claris verbis hoc teſtatur, quæ verba hîc ſubjiciam: *διὸ εἰς τὴν θεοποιΐαν παρέλαβον πᾶν ζῷον, καὶ ἀμιγίως πως ἀνέμιξαν θηρία καὶ ἀνθρώπους, καὶ πάλιν ὀρνέων σώματα καὶ ἀνθρώπων. εἴκασται γάρ τις παρ' αὐτοῖς μέχρι τραχήλου ἀνθρωποειδής. τὸ δὲ πρόσωπον ὀρνέου ἢ λέοντος, ἢ ἄλλου τινὸς ζώου κεκτημένον. καὶ πάλιν αὖ κεφαλὴ ἀνθρώπου, καὶ ἄλλων τινῶν ζώων μέρη.*

Cæterum pro Beelzebub, Græci ſcribunt βεελζεβοὺλ, G quam ſcripturam ego omnino retinendam cenſeo, tantiſper dum quis probaverit eam a ſcribis corruptam fuiſſe, & non ab uſu & vulgo. Nam ſi ab uſu eſt illius temporis, & Euangeliſtæ eam retinuerunt, cur nos mutabimus? Igitur βεελζεβοὺλ valet ζεὺς κοπρικὸς a ſtercore, quaſi dicas Iuppiter ſtercorarius. ego imbibi medio tempore ſic appellatum fuiſſe numen Accaronitarum per contemptum, quod in vetere Teſtamento vocatur Baalzebub. notum ut idola ſtercora vocentur a prophetis. Hæc mea conjectura eſt, quam puto veram eſſe, & ita opto Deum animæ meæ propitium.

Ζεβὲλ ſtercus, à quod alluſum videtur in Beelzebul.

CAP. XII.

A. Bethania. B. Beth-eſda. C. Bethſaida. D. Bethphage. E. Mendum indicatum in exemplaribus Græcis.

A A Beth voce quæ domum locumve ſignificat, compoſita recenſebo hoc capite nomina quatuor, Bethania, Beth-eſda, Beth-ſaida, Bethphage, in quibus explicandis ſiquid dico præter alios interpretes: debeo iis, qui nobis primi dederunt editionem Syriacam, quæ non parum nos adjuvit in argumento quod tractamus.

Βηθανία. Syrus בית עניא. In libro de nominibus Ebraicis; Bethania domus afflictionis ejus, id eſt בית עניה. tu expunge pronomen. Ania afflictio, ut in proverbio Thalmudico, *Ania bathar ania:* quod tantundem valet ac ſi dicas, mala malis ſuccedunt. malim, Beth-ania, domus ovium. Forte ab ovibus dicta, quod ibi multæ eſſent oves. Ioh. 1. 28. In Latina vetere: Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, quomodo etiam ſcriptum reperimus in codice Syriaco. Libri Græci variant. Veteres omnes ἐν Βηθανίᾳ: ſed viſa quibuſdam hæc lectio vitioſa, quod Bethania fuerit cis Iordanem. Itaque reponunt ἐν Βηθαβαρᾶ ex aliis libris Chryſoſtomus, Theophylactus, Suidas. Apud Epiphanium κατὰ αἱρέσεων legimus Βηθαμαρᾶ vitio, credo, chalcographiæ pro Βηθαβαρᾶ.

B Βηθεσδᾶ. in Syriacis בית חסדא Iohan. 5. 2. id eſt domus gratiæ aut benignitatis. nomen accommodum loco, in quo aquæ motu ſanabantur ægroti; quod argumentum divinæ gratiæ ac benignitatis longe maximum. poteſt etiam reddi domus miſericordiæ. alij ſcribunt בית אשדא. ſed fallor, aut prior ſcriptura vera eſt.

C Βηθσαϊδᾶ. ita ſcribendum non Βηθζαϊδᾶ. Syrus בית צידא. In lib. de nom. Ebr. *Beth-zaida, domus venatorum.* alij cenſent dictam a piſcatu propter frequentes lacus & ſtagna. Ioh. 5. 2. vitium eſt in hoc nomine. Nam ſcriptum Beth-ſaida pro Beth-eſda in Latina vulgata. Βηθφα-

D γῆ, בית פאגי. In Lexico juris בית פאגי שם מקום חוץ לירושלים,

id eſt

id eſt Bethphage locus ejus nominis extra Ieruſalem.
Græca exemplaria βηθ-σφάγη, quomodo etiam ſcriptum E
legimus apud Iuſtinum πρὸς τρύφωνα, ſed mendoſe. In
eodem Lexico: חומת בית פאגי exponitur, *murus Ieruſalem*. Apud Syrum בית פאגא.

Cap. XIII.

Eli Eli Lama ſabacthani. A. Vtrum Chriſtus pendens in cruce Eli eli dixerit, an Eloi, eloi? B. Mos Graecus ſcribendi chirec majus. C. De Camets, ejuſque ſono antiquo. D. Sabacthani ſcribendum non Sabachthani. E. Hieronymus notatus, & alia pauca.

MAtth. 27. 46. Περὶ δὲ τὴν ἐννάτην ὥραν ἀνεβόησεν ὁ Ἰησοῦς A
φωνῇ μεγάλῃ, λέγων, Ηλὶ ἠλὶ λαμὰ σαβαχθανί. τοῦτ' ἐστι θεέ
μου θεέ μου ἱνατί με ἐγκατέλιπες; .i. Deus mi, Deus mi, propter quid me deſeruiſti? Marci 15. 34. Ελωῒ Ελωῒ λαμμᾶ
σαβαχθανί, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, Ο θεός μου ὁ θεὸς μου εἰς τί με
ἐγκατέλιπες; In verbis ecce Ebraicis varietas eſt. Nam pro Eli Eli, quod eſt apud Matthæum, Marcus habet ἐλωῒ ἐλωῒ. Si quæres utro modo pronuntiarit Chriſtus, reſpondeo ἐλωῒ magis Syriacum eſſe: tamen ἠλὶ ἠλί ſervat Ieroſolymitana pſal. 22. ubi Syriaca quam laudat in introductione ejus linguæ Theſeus Ambroſius ex Albonenſibus Comes אלהי אלהי, id eſt Elohi Elohi. Non ſum divinus, tamē conjicio Chriſtum dixiſſe potius Eli Eli, quod ad Eliæ nomen propius accedit: eo magis quia Euſebius citans Marci verba non Eloi legit, ſed ut in Matthęo quędam exemplaria ἠλεὶ ἠλεὶ, ἀποδείξ. lib. 10. Eli Eli, id eſt
אלי אלי Ebraicum pariter & Syrum. Syri etiam איל di- B
cunt. vide ſupra capite 8. & pſal. 22. 1. ἠλὶ ſcriptura alia ἠλεί: utraque rationem habet ex antiquitate. Nam an-

[illegible], quale est [illegible] modo per a [illegible]. De [illegible] apud Epiphanium in [illegible] quod [illegible]. & apud Evangelistas [illegible] : [illegible], [illegible]. De a [illegible] apud Theodoritum, [illegible] in Exaplis [illegible] 26 : [illegible], & quæ alia a nobis obſervata ſunt in libro de [illegible] vete-rum. Igitur [illegible] & [illegible] eadem ſunt. Sic [illegible] & [illegible]. ſic [illegible] & [illegible], quæ Meſchepelis [illegible] differre ait, eo quod [illegible] ſit numeris ſingularis, [illegible] vero numeri pluralis : imperite, cum [illegible] numeri
C multitudinis [illegible], id eſt [illegible] pronuntiatione vetere, ut [illegible] apud Ioſephum. archo [illegible], & lecho לך apud Hieronymum. Habet enim mixtum ſonum hæc vocalis inter a & o, ſonatque proprie a obſcurum. hodie Iacobitæ (Syrorum ea gens eſt) perpetuo efferunt per o, vocalem quam Odem vocant, quæ reſpondet Ebræorum cametz. λαμᾶ : hic libri mire variant. Quidam λιμᾶ, alij λαμὰ, id eſt [illegible] : plerique λαμμᾶ. Apud Davidem eſt [illegible], id eſt λαμᾶ aut λαμμᾶ. In Ieroſolymitana [illegible], id eſt λαμανᾶ. Chaldæorum [illegible] ex ſono antiquo ſcribi poteſt λαμᾶ. Lat. vulg. lamma. Σαβαχθανὶ error
D a librariis. ſcribendum σαβακθανὶ שבקתני. Nam σαβαχθανὶ, id eſt שבחתני. ſic antiqui diſtinguebant has literas. In Latina vetere lamma Azabthani. lectio a patre Hieronymo. In lib. de nom. Ebraicis. Eli Eli lamma azabthani : *Deus meus, Deus meus, quare dereliquiſti me?*
E Stomachum mihi facit Hieronymus qui tam temere ſolicitet ſcripturas Græcas. Adeone imperitus fuit, ut neſciverit Chriſtum locutum Syriace? Ex ejus officina eſt Beelzebub & Belial in libris Latinis. Ebraica haud dubie vox Azabthani; reponenda Syriaca σαβακθανὶ ex libris

libris Græcis: θεέ μου. alibi ſcriptum ὁ θεός μου, ut in Euangelio ſecundum Marcum. In quibuſdam exemplaribus, θεὲ θεὲ abſque pronomine; ſed pronomen addendum ex libris melioribus, eo magis quia in Ebraicis eſt, nec caret emphaſi. Apud Syrum pro איל איל videtur quoque reponendum אלי אלי ex interpretatione. alioqui איל Syriæ haud inſolitum verbum.

CAP. XIIII.

DE MAMONA.

A. Vnde nomen ſortitum ſit. B. Vera ſcriptura inveſtigata. C. Quid Chaldæis. D. quid Pœnis ſignificet? E. Mamona iniquitatis?

IN hoc capite dicam de mamona, ejuſq; apud Chaldæos A
ſcriptura ac ſenſu. eſt enim vocabulum Chaldaicum ſive Syriacum. Primum quæro μαμωνᾶ ſcribẽdum an μαμμωνᾶ? utraque enim ſcriptura reperitur in libris Græcis. In Latinis fere eſt mammona. Aut me animus fallit, aut recte divino ממונא ab אמן argumento firmitudinis juxta proverbium, הון עשיר מגדל עוז, quemadmodum Ebraice opes vocantur חיל a robore. Si hoc recte, ſcribi quidem B
poteſt μαμμωνᾶ videlicet ממונא, ac defendi exemplo מליך quod eſt ab אלך, de quo non contenderim: tamen malo μαμωνᾶ duabus de cauſis. Primum quia reperio ממונא ſub mem camets in omnibus libris Chaldæorum: deinde quia me docuit grammatica, ſi prima radicis Aleph, magis eſſe ut quieſcat, quam ut indicetur per daghes. Igitur ממונא more contrahendi in eo ordine uſitato pro מאמונא. ſimile ut מימרא pro מאמרא ſermo ab אמר. Tantum de ſcriptura, venio ad ſenſum. Hieronymus

C mus Matth. 6. Mammona ſermone Syriaco divitiæ nuncupantur. Suidas: *μαμωνᾶς χρυσός γήϊνος πλοῦτος.* divitiæ, id eſt עתרא : *χρυσός*, id eſt דהב. In Chaldæorum Thargum declaratio eſt *τῶν* בצע הון ורכוש, quorum unum lucrum ſignificat, alterum opes, tertium exponit David grammaticus dicens eo nomine non ſolum aurum & argentum, ſed res omnes mobiles & pecora contineri. In lucro
D convenit vox punica. Nam pœni lucrum mamon vocant. Auguſtinus ſermone 35. de verbis Domini, & lib. 2. ſuper ſermone Domini in monte. Apud Iuriſconſultos דיני ממונות judicia pecuniaria. ענש בממון multa pecuniaria. Lexicon Eliæ : ממון בל״א האבא בלעז רובא Mamon
E Germanice Habe : Italice *Robba*. Mamona iniquitatis Luc. 16. 9. *μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας*, id eſt ממונא דעולא. ita Syrus tranſtulit : aut ממון דרשע Ionathan Hab. 2. 9. aut ממון
A דשקר, idem Hoſ. 5. 11. ſed hoc poſtremum proprie ſignificat opes vanas ac fallaces. Porro apud Euangeliſtam varie exponitur. mea ſententia mamona iniquitatis capiendum ex ſimilitudine qua ibi uſus Servator. qua de re dicam plene alias.

CAP. XV.
DE MARIA.

A. Scriptura vetus. B. mos Græcorum depravandi nomina barbara. C. Hieronymus notatus. D. Idem correctus. E. Mariam quid?

A HOc caput Mariæ ſacratum erit : in cujus nomine explicando fruſtra fuit antiquitas, etiam Hieronymus doctiſſimus alioqui ac ſanctiſſimus vir. Scriptura vetus *μαρία* aut *μαριὰμ*. hæc terminatio Ebraica, illa Græca eſt. Vtraque reperitur in novo teſtamento. Apud Ioſephum

ſephum etiam *μαριαμὴ* de ſorore Moſis. Ezeciel poëta tragicus: *Μαριὰμ δὲ ἀδελφὴ μου κατώπτευεν πέλας.* &, *Μαριὰμ ἀδελφὴ προσδεδραμοῦσα βασιλίδι.* In libris antiquis Ebræorum *μιριὰμ*, quod ſine punctis ſcriptum מרים, media ætas *μαριὰμ* ſonabat ex proprietate idiomatis Syriaci, quod mutat i in a: ex quo poſtea factum *μαρία*, an a Græcis, quibus in more depravare barbara B nomina? Sic Ἀννίβας, ἀσδρούβας, Annibal, Aſdrubal. nam apud eos nullum nomen deſinit in λ aut μ. an ex more breviter ſcribendi מרי pro מרים? Nihil decerno. hoc tantum, quod non dubito affirmare. Nam cum Maria corrupta vox ſit, nec niſi apud Græcos reperta, errat ſane Hieronymus in libro de nominibus Ebraicis ita ſcribens: Mariam plærique æſtimant interpretari C illuminant me iſti, vel illuminatrix, vel ſmyrna maris: ſed mihi nequaquam videtur. Melius autem eſt, ut dicamus eam ſonare * ſtellam maris, ſive amarum mare: ſciendumque quod Maria ſermone Syro domina nuncupatur. Quæ hic dicit, refelli poſſunt ex ſcriptura Syriaca. Non enim מריא ſcribunt Syri, ſed מרים. clare liquet ex illius idiomatis teſtamento. Quod autem ait, D Melius eſt ut dicamus eam ſonare ſtellam maris: re- E ctene ſcriptum, an legendum, fel maris? nam מרא fel & amarum: ſtellam nunquam ſignificat. Scripturam dixi, & erratum Hieronymi. vellem poſſem veram interpretationem dare; quæ non in vetere, non in novo teſtamento uſquam expreſſa. Si divinandum ſit, crediderim dictam quaſi exaltatam a verbo רום, quod exaltare ſignificat. Quid ni credam? Caninius ante me prolixe fidem fecit. Non ſim homo, ſi verbum addam in re non majoris momenti.

* Stillam

Mar, ſtillam, mare. Vnde *Ave ſtilla maris*, quod nunc legunt *ſtella maris*.

CAP. XVI.

A. Gehenna. B. Euſebius correctus. C. Item Origenes. D. Quid Hennom. E. Vocales non ſemper adſcriptas fuiſſe. F. Gehenna, infernus, & cur? G. Gehenna ignis quid ſit, explicatum.

A Γέεννα. Veritas ſcripturæ γαιεννὸμ ex Ebræo γαιεννὸμ, quod ſonat vallis Hennom. Nam veteres ſcilicet Hennom dixiſſe pro Hinnom. & eſt ſane alterna migratio inter has vocales, ut id mirum videri nemini debeat. Euſe-
B bius an Hieronymus? de locis Ebraicis: Geennom quod interpretatur, vallis Ennom, & ab hac quidam putant appellatam Geennam. Vulgo, Ennon & Geennon cum n in fine, & literis Ebraicis a correctore canonico גיא הנון, ſed perperam. Geennom, id eſt γεεννὸμ. Nam Græci aſpiratione media præterquam in ρ non utuntur. manſit poſtea ſpiritus lenis in Ennom ex hac cauſſa. Origenes in 23. Matth. Quæ ſit hæc Gehenna, & in quo loco Scripturarum prius eſt nominata, qui poteſt requirat, maxime in diviſione hæreditatis Ieſu filij Nave; ubi interdum quidem appellatur vallis filiæ Non, interdum autem vallis Ennom, quæ eſt Gehenna. Gehenna enim eſt vallis. Verba hæc adduxi Origenis
C bono. corrupta enim ſunt, & legenda ad hunc modum: ubi interdum quidem appellatur vallis filij Ennom, interdum autem vallis Ennom, quæ eſt Gehenna. Ge enim eſt vallis. Vallis filij Hennom appellatur Ioſ. 15. 18. Ebraice גיא בן הנם. Vallis Hennom, & interpretatione Græca vetere Φαραγξ ἐννὸμ, Ebraice גיא הנם aut גיהנם. Ioſ. 18. 16. Hic noto, quod habeo a Maſſoritis & ab Elia. Elias Thiſbite: בשלשה מקומות במקרא גיהנם בלי זכר בן:

Hæc

Hæc verba in eam partem valent non reperiri Gehennom, niſi ter: cæteris in locis eſſe Ge ben Hennom. Notatum hoc in Maſſoreth magno. Loca ſunt Ioſ. 15. 18. & 18. 16. & Nehem. 11. 30. Addit Elias dicens ſe mirari cur hodie ſcribant גיהנם cum pathach aut camets. Nihil mirum. Qui cum phathach ſcribunt, male ſcribunt. Scriptura hæc invaluit apud Iudæos propter imperitiam antiquitatis. Veriſſime Chryſoſtomus: ἀλλ' ἰουδαῖοι μὲν τὰ ἰουδαϊκὰ οὐκ οἴδασιν, ἡ δὲ ἐκκλησία τὸν χριστὸν οἶδεν καὶ τὰ ἰουδαϊκὰ μαθήματα. Scribi debet גיהנם, id eſt Gehinnam aut Gehennam. Hiero. in comment. Ierem. 7. Thopheth lingua Ebræa interpretatur latitudo: ſcriptumque fertur in libro Ioſuæ filij Nun, de hoc loco qui eſt in valle filij Ennom, & Ebraice dicitur Gehennam. Ge quippe φάραγγα, id eſt vallem, & Hennam vel hominis nomen vel gratiam ſonat. parcant mihi manes optimi viri. Hinnam hominis nomen, non gratiam ſonat. Ea- D
dem interpretatio in lib. de nominibus Ebraicis: Gehenna vallis gratuita, quaſi nihil interſit inter הנם & חנם, hoc eſt inter he literam & heth, quæ eſt aſpiratio duplex. Idem Ierem. 19. Vallis filij Hennom, quæ Ebraicè dicitur Gehinnam: unde & Gehennam appellatam putant. Ex his & aliis locis apparet Hieronymum legiſſe ſemper גי הנם dialecto Syriaca, etiam in vetere teſtamento. Nec miror, cum ſciam Ebraicis olim literis E
raras vocales adſcriptas fuiſſe. Quod me docuit ipſemet Hieronymus in epiſtola quadam ad Euagrium diſerte ita ſcribens. Nec refert utrum Salem an Salim nominetur, cum vocalibus in medio literis perraro utantur Ebræi, & pro voluntate lectorum, atque varietate regionum eadem verba diverſis ſonis atque accentibus proferantur. Nota quæſo lector, & deſine mirari, ſi tibi mira

viſa diverſitas ſcripturæ in hac voce. Igitur גיהנם abſque punctis vocalibus legebant Gehennom aut Gehennam: quod eo magis credo, quia nuſquam adſcripta vaf litera, quæ ſolet legi per o: vel ſane quia familiare Syris ut holem mutent in camets. Quod autem apud euangeliſtas fere legitur γέεννα, corruptum eſt. abeſt μ ſimiliter ut in μαζία. vide quæ notavimus ad illud nomen. Dixi de ſcriptura, quæ ſcivi, fortaſſe plura quam debui: dicam nunc de ſenſu, ſed breviter, quia nihil habeo præter alios interpretes. Gehennam vocat ὁ σωτὴρ locum damnatorum.

F Sic uſurpatur paſſim apud ſcriptores ſacros. Suidas γέεννα, καταδίκη. Hieron. Matth. 10. Nomen Gehennæ in veteribus libris non invenitur, ſed primum a Salvatore ponitur. Diſſentio hîc a Hieronymo. Quid ni diſſentiam? cum reperiam in Avoth גיהנם pro inferno, & in Zoar libro antiquiſſimo, לית ליה תשובה עד דיתדן בדינא דגיהנם quæ verba citantur in lib. Muſar, cap. 6. unde ego eruo. Non dubito, quin ætate Chriſti uſitatiſſimum fuerit hoc ſignificatu & notiſſimum in vulgus. Cauſam rectiſſime idem Hieronymus notat his verbis: *Quæramus ergo quæ ſit ſermonis hujus occaſio. Idolum Baal fuiſſe juxta Ieruſalem ad radices montis Moria, in quibus Siloa fluit, non ſemel legimus. Hæc vallis & parva campi planities, irrigua erat & * numeroſa, plenaque delitijs, lucuſque in ea idolo conſecratus erat. In tantam autem dementiam populus Iſrael venerat, ut deſerta templi vicinia, ibi hoſtias immolaret, & rigorem religionis delitiæ vincerent, filiaſque ſuas dæmonijs incenderent vel initiarent. Et appellabatur locus ille Ge ben Hennom* (ita leg. non Gehennom) *id eſt vallis filij Hennom. Hoc Regum volumen & Paralipomenon & Ieremias ſcribunt pleniſsime. Et comminatur Deus ſe locum illum impleturum cadaveribus mortuo-*

Reperitur etiam in paraphraſi Ionathæ, qui vixit ætate Chriſti.

* Forte nemoroſa.

mortuorum, ut nequaquam vocetur Thopheth & Baal, ſed vocetur Polyandrium, id eſt tumulus mortuorum. Futura ergo ſupplicia & pœnæ perpetuæ, quibus peccatores cruciandi ſunt, hujus loci vocabulo denotantur. Si recte video, mendum eſt in illis verbis; *ut nequaquam vocetur Thopheth & Baal.* puto Hieronymum ſcripſiſſe *Thopheth & Ge ben Hennom.* A me eſt locus prophetæ, quem hic laudat. vide Ierem. 7. 32. Nuſquam lectum Baal de loco: ſed *βάαλ* Iuppiter planeta alio nomine Moloch dictus q. *βασιλεὺς*, cui infantes immolabant in hac valle. Vide quæ notamus ad vocem Moloch. Elias Thiſbite: *Vocaverunt magiſtri noſtri, quorum memoria fauſta, locum pœnæ improborum poſt mortem Gehinnam, eo quod vallis filij Hinnom, quæ vicina urbi Ieruſalem, locus fuerit pollutus; in quo exurebant filios ſuos idolo Moloch.* David Camius in commentariis ad Pſal. 27. G
ſcribit in valle Hinnom loco prope Ieruſalem olim perpetuum ignem fuiſſe comburendis cadaveribus & corporibus pollutis, quæ illo projiciebantur. Dignum nota quia *ἀναμφισβητήτως* ad illum ignem alluſit Servator Matth. 5. 22. & alibi. Verba Camij: *Gehinnom eſt locus in terra juxta Ieroſolymam, & eſt locus abominandus, in quem projiciunt polluta & cadavera: eratque ibi ignis jugis ad comburendum polluta & cadavera. Propterea vocatur per ſimilitudinem judicium improborum Gehenna.* Igitur Gehenna ignis, id valet ignis Gehennæ, potius quam Gehenna ignita ex Ebræorum idiotiſmo, ut *ſuperbia viri*, viri ſuperbi: *viriditas herbæ*, herba viridis, ſermo obvius paſſim.

CAP. XVII.

A. Gregorio Nyſſeno lux data. B. In Hieronymo reſti-

licet plurimi pro belial corrupte in Apoſtolo beliar legant. Ita reſtitui: libri vulgati Belian. Simile mendum hæret in hac eadem voce libro de nom. Ebr. ex epiſt. ad Corint. 2. Beliar, cæca anguſtia, vel cæcum lumen, vel filius prævaricationis: ſed rectius Belial dicitur. Libri omnes editi Belvir. Quod miror epiſcopum illum non vidiſſe, qui in Eraſmi erratulis tam vidit acutum. Gloſſæ veteres Belial, abſque jugo. Beliar cæcum lumen aut cæca anguſtia. locus eſt 2. Corinth. 6. 15. qui ſic legitur in libris Græcis: τίς δὲ συμφώνησις χριστοῦ πρὸς βελίαρ; & in Latinis veteribus: *Quæ autem conventio Chriſti ad Beliar?* Viſum Hieronymo hanc ſcripturam mendoſam eſſe. Itaque mutavit, Belial. quem ſecuti ſunt nuperi omnes interpretes: etiam in
B Græco βελίαλ repoſuerunt homines audaces. Tantæ audaciæ non ſim ego. Potius dixerim βελίαρ eſſe pro βελίαλ ſcribendi ratione olim tralatitia ex proprietate linguæ Syriacæ, quæ mutat λ in ρ, & eſt alioqui facilis migratio inter has literas. Sicuti enim κρίβανος dicimus & κλίβανος: ita pro בליעל credibile eſt Syros uſitaſſe בליער, id eſt βελίαρ. Igitur Belial & Beliar idem ſunt. hoc tantum differunt, quod βελίαρ medii temporis vocabulum ſit & corruptum: belial, vetus ac probum. eſt autem
C βελίαλ archaicῶς pro βελιάαλ ex more eo quo literam gutturalem in medio abſcondunt: de quo more dictum eſt alias ſæpe. Ebraice בליעל vox haud rarenter uſurpata ſcriptoribus ſacris. a Camio interpretatur רשע, id eſt improbus. Idem ἐτυμολογίζει belial בלי יועיל, id eſt ἄχρειος, qui nec ſibi nec aliis prodeſt, homo nequam. Ante Camium ſic expoſuerunt hanc vocem interpretes juris. diſco ex Lexico juris, in quo filij Belial בלי יועילו. alia expoſitio Belial בלי עול abſque jugo, exlex; tralatio a bubus

bubus nullo iugo domitis, qui Feſto injuges dicuntur. In Sanhedrin: אנשי בני בליעל. Gloſſa Thalmudica in Gemara, בנים שפרקו עול שמים מצוארן, id eſt *filij qui fregerunt iugum cæli, & abjecerunt illud de collo ſuo.* Hieronymus: Diabolus Græcum verbum eſt, quod Latine dicitur criminator, lingua vero Ebræa ſatan appellatur, id eſt adverſarius ſive contrarius, & ab Apoſtolo belial, id eſt abſque iugo, quod de collo ſuo Dei abjecerit ſervitutem, quem Aquila ἀποστάτην tranſtulit. Suidas: *Βελίαρ τῇ ἑβραίων φωνῇ ἀποστάτην δηλοῖ. ὁ ἀπόστολος, τίς δὲ συμφώνησις Χριστῷ πρὸς Βελίαρ;* In fragmentis veterum interpretum ad Pſal. 4. 9. דבר בליעל Symmachus λόγος παράνομος, id eſt ſermo iniquus. Deut. 23. בני בליעל id eſt filij Belial: LXX. παρανόμους. Iſidorns, *Belial abſque jugo.* Quod autem idem addidit Belial Ebraice Bel dici idolum Ninivitarum, erratum in nomine. tranſſcripſit Belial pro Baal.

Cap. XVIIII.

A. Quid de Hoſanna voce ſcripſerit Elias. B. ejus expoſitio vetus. C. & nova, quæ a me. D. locus explicatus Matth. 21. 9. E. Hilarij commentum excuſatum F. Pravitas cenſuræ Hieronymianæ. alia multa.

HOſanna Ebraicam vocem interpretatur Elias, dicens ſic appellari ramos ſalicum in feſto tabernaculorum ab adjuncta ipſis acclamatione. Nam qui geſtant eos ramos, acclamant identidem Hoſanna quæ acclamatio ſolemnis in illo feſto. Elias Thiſbite: A
הושענא אגדת ערבי נחל שנוטלין בחג הסכות קורין הושענות לפי שצועקים עליהם הושענא:
Hoſanna, faſciculus ſalicum torrentis quas portant

in feſto tabernaculorum. Vocantur autem Hoſannoth quia clamant ſuper eas Hoſanna. Idem ſcribit dictionem compoſitam eſſe ex הושיעה & נא, ut ſit Hoſanna, ſi interpreteris, ſerva obſecro aut ſerva nunc. id eſt הושע נא. Amplius laudat ex interpretatione ea, quæ Ieroſolymitana vocatur; quod legitur Eſther 3. ad locum וישבו עם אחר. עבדין להון הושענא, id eſt faciunt ſibi hoſanna. item וחדרין בה הושענא, id eſt; *& circumeunt geſtantes hoſanna.* Hæc Elias: quibus addo videri ſumptum hoſanna ex Pſal. 118, mutatione facta in הושיעה ſecundum proprietatem & uſum linguæ. nam & הושיעה dicimus & הושיע, & contracte הושע, quæ forma Syris perfamiliaris eſt, ex quo הושענא, id eſt hoſanna aut hoſana unica ν: ita enim ſcribendum; niſi dicamus prius ν eſſe loco ע, quam ſæpe exprimunt per γ, quæ deinde mutata ſit in ν ſequente

B altero ν. Exponunt σῶσον δή. Euſebius ἀποδείξ. lib. 9. ὡς ἀννά ἑρμηνευθὲν δηλοῖ, σῶσον δή. Theophylactus Matth. κα. τὸ δὲ ὡς ἀννὰ, οἱ μὲν λέγουσιν ὅτι ὕμνον ἢ ψαλμὸν σημαίνει, οἱ δὲ, ὃ καὶ ἀκριβέστερον, σῶσον δή. Vide fragmenta veterum interpretum ad verſum 25. Pſalmi 118. poſſet exponi, ſerva nos, aut ſalus noſtra: in quo ſenſu nihil refert Hoſanna ſcribas, an Oſanna אושענא abſque aſpiratione, forma linguæ Syræ, quam vernaculam fuiſſe in Iudæa ætate Chriſti extra controverſiam eſt. Porro in ea lingua נא pronomen eſt: pro quæſo aut nunc, non reperitur quod ſciam. Nec obſtat quod ſupra diximus, ſumptum illud videri ex Pſal. 118. Nam ſi forma mutavit a

D vulgo, quid ni potuit & ſenſus mutari? Quod dico firmamentum habet ex eo quod legimus Matth. 21. 9. ὡσαννὰ τῷ υἱῷ δαυίδ. Nam ſi Hoſanna valet σῶσον δή, quid erit obſecro σῶσον δὴ τῷ υἱῷ δαυίδ? an non magis erit ex Ebraiſmo interpretari, tanquam ſi dictum eſſet ἡ σωτηρία

ἡμῶν

ἡμῶν τοῦ υἱοῦ δαυίδ? ut, *Domino ſalus*, Pſal. 3. 9. cujus Ebraiſmi ſenſus eſt, Salus noſtra a filio David. Nam quem agnoſcebant pro vero Meſſia, eum laudant tanquam ſalutis ſuæ authorem. Hoc mihi rectum videtur: tamen arbitrarium eſto, nolo ſit certum. Nolim etiam affir- E
mare; quanquam adducor ut credam tale quid in mente habuiſſe Hilarium, aut ſi quis alius fuit, qui Hilarium docuit Hoſanna ſignificare quod Hieronymus tanto- F
pere exagitat. Nam ſalus noſtra, ſententia valet, redemptio domus David; tametſi verba multum diverſa ſint. Si quid video, potius culpandus Hieronymus, epiſt. 145. ſcribens corrupte dici Oſanna propter ignorantiam pro Oſianna. Quorum ignorantiam? utrum euangeliſtæ? bona verba. an librariorum & ſcribarum? cum fide codicum Græcorum & cum Ebræis pugnat, qui hoc dicet. In jure Ebræorum frequens הושענא, & apud Thargumiſtas locis ſupra citatis: quæ loca clare docent priſcos uſitaſſe hoſanna, non hoſianna. Idem Hieronymus perperam ὡς ἀννὰ ſcribit, cum ſcribendum ſit ὡσαν-νὰ aut ὡσα-νὰ. intelligo cum diviſim ſcribitur. In libro de nom. Ebraicis, ex Matthæo: *Oſanna ſalvifica, quod Græce dicitur ὡς ἀννά.* Quin vera hæc ſcriptura ſit, non ambiget quiſquis leget epiſtolam ſupra citatam: in ea enim epiſtola ait Hieronymus: *Hoſi (vulgo hoſiach) ergo ſalvifica interpretatur. Anna interjectio deprecantis eſt. Si ex duobus his velis compoſitum verbum facere, dices hoſianna, ſive, ut nos loquimur, hoſanna, media vocali litera eliſa; ſicut facere ſolemus in verſibus Virgilij quando pro Mene incepto deſiſtere victam, ſcandimus Men' incepto. Aleph namque litera prima verbi ſequentis, extremam verbi prioris Iod inveniens, excluſit.* Ex his verbis apparet Hieronymum legiſſe apud Davidem הושיאנא pro eo quod

nunc legimus הושיעהנא, hoc eſt Aleph pro He, litera aſpirata Aiin eliſa: de qua lectione & ſimul de loco illo Hieronymi dicam alias pleniſſime. Oſanna aliqua Græcorum pars *δόξαν* interpretatur, in queis Clemens Alexandrinus & Suidas: ſed ut recte Hieronymus obſervat, gloria Ebraice Chabod appellatur, non Oſanna. Quod autem Suidas adfert pro confirmatione interpretationis ſuę *καὶ γὰρ ἄλλος ἰυαγγελιστὴς λέγει εἰρήνη τῷ ὑῷ δαυὶδ καὶ ὁ ἕτερος, δόξα τῷ ὑῷ δαυὶδ, ὥστε τὸ ὠσαννὰ δόξαν σημαίνειν*, tam ineptum eſt, ut refutatione nulla opus ſit.

CAP XX.

A. Rabbi, Ribbi & Rab. B. In Epiphanio vox correcta. C. Aquila & Rabaquiba. D. Quando vixerit.

A RAbbi. Græci ſcribunt *ῥαββὶ* aut *ῥαββεὶ*; de qua ſcriptura dictum eſt ſupra cap. 13. vide quæ obſervamus ad eum locum. In libro de nom. Ebraicis: Rabbi, magiſter meus, Syrum eſt. Neſcio an error in hac interpretatione. Nam Euangeliſta interpretatur *διδάσκαλε* Ioh. 1. 38. contra Elias diſerte affirmat Iod in Rabbi pronomen eſſe. Apud Syrum lego רבן, id eſt Rabban. Hieronymus in commentarijs ſuper Matthæum: *Rabbi Latino ſermone magiſter dicitur*. ecce diſcedit a ſe ipſo. ego cenſerem Rabbi poſitum pro Ribbi uſitata vocalium mutatione. Amant enim Syri ponere a pro i: quod ita notum, ut exemplis probare nihil opus ſit. alias diſcrimen ponebant veteres inter has voces. Nam Rab uſurpabant proprie de magiſtris Babyloniæ: Ribbi autem de magiſtris terræ Iſraël. doceo ex ipſorum verbis memoratis in Thiſbite. כל רב ומר מבבל וכל רבי מארץ ישראל, id eſt verbum, *omnis*
B *Rab & Mar e Babylonia eſt: & omnis Ribbi e terra Iſraël.* Ex-

hac

hac nota medicinam faciam Epiphanio κατὰ γραμματέων. In libris vulgatis: δευτέρα δὲ εἰς τὸν διδάσκαλον αὐτῶν Ἀκιβᾶν ὄντα καλούμενον ἢ βαρρακιβᾶν: a mala manu eſt βαρρακιβᾶν. tu C me cenſore emenda ῥαβακιβᾶν: emendatio certa. רב עקיבה. ὁ διδάσκαλος Ἀκιβᾶ, id eſt magiſter Akiba. Hieronymus epiſtola 151. quæſtione 10. *Si quando juxta literam cœperimus artare, ut non jaceant, non ambulent, non ſtent: ſed tantum ſedeant, ſi velint præcepta ſervare; ſolent reſpondere & dicere, Rab Akiba, & Symeon, & Hille magiſtri noſtri tradiderunt nobis, ut bis mille pedes ambulemus in ſabbatho, & cætera iſtiuſmodi doctrinas hominum præferentes doctrinæ Dei.* Hic obiter lego Hellel ſive Hillel, videlicet הלל. nam ita vocatur hic magiſter Iudæis. Idem in commentarijs Iſai. 8. *Duas domos Nazaræi (qui ita Chriſtum recipiunt ut obſervationes Legis veteris non amittant) duas familias interpretantur, Sammai & Hillel: ex quibus orti ſunt ſcribæ & Phariſæi, quorum ſuſcepit ſcholam Akibas, quem magiſtrum Aquilæ proſeliti autumant.* Si hoc vere autumant, vixit Akibas Chriſti ætate aut D paulo poſt. Nam Aquilam proſelytum, qui libros canonicos veteris teſtamenti ex Ebræo vertit in ſermonem Græcum, conſtat fuiſſe ſub imperatore Adriano circa annum Chriſti centeſimum vigeſimum quintum: qua de re fuſe dicam in notis meis ad fragmenta veterum interpretum in Pſalmos.

Cap. XXI.

A. De Phariſæis, eorumque etymo. B. variis appellationibus, C. doctrina & hæreſi. D. nomina ſeptem planetarum. E. 12. ſigna Zodiaca. F. Epiphanius varijs locis ſanatus.

A PHariſæi dicti quod legem populo enarrarent. iidem vocabantur חכמים, id eſt ſapientes aut philoſophi. Gorionides hiſt. Iud. lib. 4. cap. 25. וישב המלך על שלחן עם חכמי ישראל והמה הפרושים המפרשים אתהתורה id eſt, *& ſedit rex ad menſam cum ſapientibus Iſrael. ipſi ſunt Phariſæi, qui legem populo enarrant.* Reperio &
B חסידים de Phariſæis apud eundem authorem. Hieronymus in epiſtola ad Algaſiam quæſtione x.

Videntur igitur obſervationes Iudaicæ apud imperitos & vilem plebeculam, imaginem habere rationis, humanæque ſapientiæ. Vnde & doctores eorum σοφοὶ, *hoc eſt ſapientes vocantur: & ſiquando certis diebus traditiones ſuas exponunt diſcipulis ſuis, ſolent dicere,* οἱ σοφοὶ δευτερῶσιν, *id eſt ſa-*
C *pientes docent traditiones.* οἱ σοφοὶ δευτερῶσιν, תנו חכמים.

Docebant traditiones majorum religioſe ſervandas contra Saducæos. Gorionides in loco memorato: הנה הפרושים היו אומרים בשמור התורה אשר מסרו אבותינו בידינו מפורשת על פי החכמים אשר פרשואת התורה לקבלת id eſt, Ecce Phariſæi dicebant, Servemus legem, quam tradiderunt nobis patres noſtri in manus noſtras enarratam a ſapientibus &c. Grave hac de re diſſidium in populo. Phariſæis adhærebat plebs infima & vulgus. Saducæos ditiores ac potentiores ſectabantur. Idem ibidem: דלת העם היתה ידם עם הפרושים והיו לעזרתם מלבד עשיריו וגבוריו כי היו עם המלך והצדוקים ולמלך ולהם היו עוזרים id eſt, *Tenuis plebecula cum Phariſæis erat, eoſque adjuvabat: divites ac potentes a populo erant cum rege & Saducæis.* Ieiunabant bis in ſeptimana, videlicet diebus Lunæ & Iovis. hoc ſignificat Epiphanius his verbis: ἐνήστευον δὶς τοῦ σαββάτου δευτέραν καὶ πέμπτην, ubi in ſabbatho poſitum pro, in hebdomade: ut ibi, *Iejuno bis in ſabbatho.* Fato multum tribuebant. Aſtrologiæ operam dabant. Epiphanius

vocabula recenſet Ebraica, quibus appellabant ſeptem ſtellas, & duodecim ſigna Zodiaca, quæ adducam boni illius patris bono. Nam obſcura pleraque apud ipſum, partim etiam corrupta.

Nomina ſeptem planetarum.

ἥλιος, ἠμαχαιστέμες Sol,
σελήνη, ἰερεεχαιαλβανᾶ Luna,
ἄρης, χωχὲβ ὀαμώλ, Mars ſtella,
ἑρμῆς, χωχὲβ ὀχμὸδ, Mercurius ſtella,
ζεὺς, χωχὲβ βάαλ, Iuppiter ſtella,
ἀφροδίτη, σεροῦα ἤτοι λουήθ, Venus,
κρόνος, χωχὲβ σαβήθ, Saturnus ſtella. σαββεταί. ſabbethai.

Ημαχαιστέμες. חמה ושמש. duo vocabula ſolis, qui חמה dicitur a calore: στέμες autem a miniſterio, tanquam miniſter & fax diei. In libris aſtrologorum כבב חמה ſol ſtella. ἰερεεχαιαλβανὰ ירח זה לבנה. lectio alia ἰερεεχαλαβανὰ, ירח ולבנה. pluma non intereſt, hoc an illo modo legas. λαβανὰ antique pro λεβανὰ, id eſt Luna, quæ etiam ירח vocatur. ab hac voce menſes dicti ſunt ירחין, qui lunares olim in Palæſtina. Epiphanius, ἰερὰ γὰρ ὁ μὴν λέγεται, μήνη δὲ ἡ σελήνη, ὡς καὶ παρ' ἕλλησι δῆμα τὸν μῆνα. ὀαμώλ. hodie vocatur מאדים a rubore, de quo Abenezra in commentariis Amos 5. 8. quem ſi recte capio, dicit eſſe ſtellam magnam, quæ Ebraice אדום vocetur, & in lingua Iſmaelitarum מריך. Pro מאדים quod reperio apud lexicographos, malim ſcribi מאדם quaſi πυῤῥός. Hic planeta Ægyptiis πυρόεις appellatur ab igne. ejus character ♂ clypeus Martis cum haſta. ὀχμὸδ, Mercurius. hodie מרקוליס aut מרקוריס voce barbara: aut כוכב χωχὲβ, id eſt ſtella ſiduſve κατ' ἐξοχήν. Ægyptiis στίλβων. χωχὲβ βάαλ, כוכב בעל quaſi κύριος καὶ δεσπότης,
aliter

aliter צדק ab æquitate & juſtitia. Ægyptiis φαέθων. hujus mentio apud Ioſephum Gorionis filium. λουήδ. forte λουήτ לוהט hodie נוגה a ſplendore, Ægyptijs φωσφόρος id eſt, Lucifer. Gorionides hiſt. Iud. lib. 1. cap. 2. היכל לוציפר הוא היכל כוכב הנוגה *templum Luciferi: hoc eſt templum Veneris.* σαβήθ, Saturnus. hodie שבתי ita dictus propter diem ſeptimum. Idem ibidem סגר היכל סטורנוש הוא כוכב שבתאי, id eſt, *clauſit templum Saturni. ipſe eſt Saturnus ſtella.* ejus character ♄ falx Saturni. ab Ægyptiis Φαίνων nuncupatur.

12. *Signa Zodiaca.*

E Κριός,	τέλαα,	Aries,
Ταῦρος,	σὼρ,	Taurus,
Δίδυμοι,	θωμὶμ,	Gemini,
Καρκῖνος,	σαρατὰν,	Cancer,
Λέων,	ἄρι,	Leo,
Παρθένος,	βεθουλὰ,	Virgo,
Ζυγὸν,	μωζανὴ,	Libra,
Σκορπίον,	ἀκρὸβ,	Scorpio,
Τοξότης,	κεσὲτ,	Sagittarius,
Αἰγόκερως,	γαδὶ,	Capricornus,
Ὑδροχόος,	δαλὶ,	Aquarius,
Ἰχθύες,	δεγγὶμ,	Piſces.

F Τέλαα, טלה. σὼρ שור. θωμὶμ, תאומים. σαρατὰν, סרטן. hæc vera ſcriptura. male apud Epiphanium σαρατάμ. ἄρι ארי. perperam ἄρτι apud eundem. βεθουλὰ בתולה virgo. μωζανὴ aut μωζανὴμ. a mala manu eſt μομαζανή. μωζανὴμ מאזנים. ἀκρὸβ vel ἀκρὰβ עקרב. ita legendum non ἀκρα, quod eſt ab injuria ſcribarum. κεσὲτ קשת, γαδὶ גדי. δαλὶ דלי. In Epiphanio δαδμιϊ, heu peſſimam ſcripturam. ἀναμφισβητήτως ſcribendum δαλί, aut δαδλὶ דדלי more

more Chaldaico. Δεγγὶμ דגים piſces. Sagittarius a Rabbinis בעל קשת vocatur, id eſt ſagittipotens? quomodo & Cicero [illegible] vocat. Syrum eſt קשט. In lingua ſacra קשת arcus, קַשָּׁת ſagittarius.

Cap. XXII.

A. Talitha. B. Hieronymus in ea voce correctus. C. item Suidas. D. Tabitha. E. In Thargum vox explicata. F. Voces aliquot amatoriæ.

TAlitha non Talita, quod hodie ſcribunt ac legunt A
Talietha, id eſt טליתא puella. In libro de nomini- B
bus Ebraicis: Tabita cumi, puella ſurge. mendum manifeſtum, quod me auctore eluendum ex Mar. 5. 4. ubi ſcriptum ταλιθᾶ κοῦμι. Noli dubitare quin hæc vera
ſcriptura ſit. Syrum eſt טליתא puella: at קומי pariter C
Syrum & Ebræum. apud Suidam perperam κοὺμ ſcriptum pro κοῦμι. ταλιθᾶ κοὺμ ἤγουν ἡ παῖς ἔγειρε. In declaratione Marci: κοράσιον σοι λέγω ἔγειραι. verba illa σοὶ λέγω includenda ſunt parentheſi, ne quis putet ea interpretationis eſſe. hujus maſculinum apud Chaldæos טליא & טלי ταλὶ: a quo τάλις vox reperta a me in autho-
ribus Græcis. Act. 9. 36. ταβιθὰ ἣ διερμηνευομένη λέγεται D
δορκάς. ſcribo טביתא. Syrum eſt ex Ebræo צביה mutatione tſadi in teth. Babylonij ſonant טביתא, id eſt Ta-
bietha, ut Talietha, de quo ſupra. Frequens eſt apud in- E
terpretes Chaldæos. Vocatur caprea alio nomine דיצא Δίζα, quæ vox extat in Ieroſolymitana Proverb. 5. 19. unde Græcum δίζα. Heſychius δίζα, ἄιξ. tranſlatio Latina Compluti impreſſa, exultatio: imperite. Munſterus in Lexico דיצא camelopardalis, ex hac nota corrigendus eſt. In lib. de nom. Ebr. *Tabitha, damna aut ca-*

prea, leg. dama aut caprea. ita Glo. Vet. Levia hæc, in quibus hærere pudet pigetque. Chryſoſtomus apud Theophylactum ad illud ὀνόματι Ταβιθά. ἐκτέθειται δὲ τὸ ὄνομα αὐτῆς, δεικνὺς ὅτι φερώνυμος ἦν οὕτως ἐγρηγορυῖα καὶ νήφουσα ὥσπερ δορκάς. Si hoc verum ſit, Deus novit. dixerim aliud: eſt capræ vocabulum inter amatoria. Quid

F ſi inde nomen mulieris? Apud Salomonem *Caprea gratiæ*, &, *Cerva amorum*: ſicut apud Arabes Corat alhain, id eſt *pupilla oculi*, voces ſunt blande compellantis uxorem aut amicam.

CAP. XXIII.

A. De Herodianis ſententia nova. B. Iidem dicti Dorſiani. C. Et Helleniani a Iuſtino.

A QVinam fuerint Herodiani quæſitum a doctis: variæ ſententiæ. ego quam repperi apud authores Ebræos, eam ponam. In Lexico juris lego Herodianos natione Græcos fuiſſe. dictos autem ab Herode qui primus eos traduxit ex deſerto ad locum habitatum educavitq; ponam verba Ebraica, deinde reddam ut ſonant ad verbum.

הורדוס המלך הביא יונים מן המדבר וגידל אותם בישוב ונעשו תרבות ונקראו על שמו הורדוסיות:

id eſt, *Herodes rex adduxit ſecum Græcos ex deſerto, & educavit eos in terra habitata, & fecerunt ſectam: vocatique*

B *ſunt de nomine ipſius Herodiani.* Horum mentio in Gemara capite Silluach haken. Vocabantur alio nomine דורסיות, id eſt Dorſiothitæ ſive Dorſiani, videlicet a loco unde abducti fuerant. Concludam caput, ſi addidero, qui huc facere videtur, Iuſtini Martyris locum diſputatione cum Tryphone. οὐδὲ Ἰουδαίους εἴ τις ὀρθῶς ἐξετάσῃ, ὁμολογήσειεν εἶναι τοὺς Σαδδουκαίους, ἢ τὰς ὁμοίας

αἱρέ-

αἱρέσεις γενιστῶν καὶ μεριστῶν. καὶ γαλιλαίων καὶ ἑλληνιανῶν καὶ φαρισαίων βαπτιστῶν.

Quid ἑλληνιανῶν? fallor aut recte expono ἡρωδιανῶν. C a me eſt locus quem ſupra adduxi. docti expendent : ego affirmáre pro certo non auſim.

Cap. XXIIII.

A. De Genneſar voce, ejuſque apud Græcos & Latinos ſcriptura. B. Hieronymi locus non intellectus ab Eraſmo. C. Male expoſitus a viro nupero. D. Plinius correctus. E. Septem maria terræ Iſraël.

GEnneſar, Genneſara, Genneſaréth, terra & lacus. A Matth. 14. 34. ἦλθον εἰς τὴν γῆν γεννησαρὲτ : libri alij γεννηζαρέθ. In Latina vetere Geneſar. apud Hieronymum Gennezareth. Suidas γεννηζαρὲτ, ὄνομα τόπου. γεννηζαρὲτ ſive γεννησαρὲτ (nam anceps ſcriptura) גנסרט. Malim γεννηζαρὲθ גנסרת, quod factum ex כנרת, in quo Thau ultima non Teth. ſed quoniam mutatio inter has literas & quia Syri pro Thau fere ponunt Teth, nihil audeo ſtatuere. apud Ebræos neutrum adhuc horum repperi. γεννηζαρὲθ גנסרא voce & terminatione Chaldaica. lectio alia γεννηζαρέθ. Sic γεννησὰρ & γεννηζὰρ variantibus libris. Apud Syrum גנסר. In jure Ebræo גינוסר, quomodo ſcriptam legimus hanc vocem in tranſlationibus iis, quas Thargumin vocant. Concludam de ſcriptura ex Ebræo כִּנֶּרֶת. non damno γεννησὰρ; tamen ſcripſerim præ illo γεννησὰρ. eſt autem γεννησὰρ, ſi interpreteris, hortus principum. In Ilmedenu capite, *Mitte tibi viros*: גנוסר גבי סריס אלו המלכים שהיו להם גנות בתוכה. Verba clara. גניסרים, id eſt horti principum ſive regum. hoc dicit Genneſar; locus ubi regum horti erant. In lib. de nom. Ebr. *Gen-*

 neſar

neſar, *ortus principum*: interpolarant bardi, *ortus principium*, & explicationis cauſſa addiderunt, nitium nativitatis. Vtinam ego illos ut digni ſunt. legendum, hortus principum. Ex hac nota intelligendus locus

Principiũm pro principum antiquum eſt. Vide prior. comment.

B Hieronymi, quem Eraſmus laudat, & in quo explicando fruſtra eſt, *Si ſciremus quid in noſtra lingua reſonaret Genneſareth, intelligeremus quomodo Ieſus per typum Apoſtolorum & navis, eccleſiam de perſecutionum naufragio liberatum, tranſducat ad littus, & in tranquilliſſimo portu faciat quieſcere.*

C ad hunc locum nota hupera; *Genneſareth interpretatur* גיא נצרת *vallis florida: hinc myſtice pro tranquillo eccleſiæ portu ponitur.* a Mariano eſt Eraſmo maſtyge. refelli poteſt ex ſcriptura Ebraica, ſed magis ex interpretatione ipſius Hieronymi, quam ſupra poſui. In Lexico juris, גינוסר מקום קרוב לטבריא ויש בו גנות ופרדסים id eſt, γεννησὰρ locus eſt prope Tiberiadem, in quo horti ſunt & paradiſi. Dignum nota. quia λίμνη γεννησαρὲτ, ſtagnum Genneſaret, quod legimus Lucæ 5. 1. vocatur Joh. 21. 1. θάλασσα τῆς Τιβεριάδος, mare Tiberiadis: & Iohan. 6. 1. mare Galilææ. Ioſ. 12. 3. ים כנרת, id eſt mare Chennereth: pro quo Aquila Chaldaice poſuit ימא

D דגינוסר, id eſt mare Gennoſar. De hoc lacu Plinius hiſt. nat. lib. 5. cap. 15. ubi deſcribit Iordanem amnem, *Ergo*, inquit, *ubi prima convallium fuit occaſio, in lacum ſe fundit, quem plures Genneſara vocant XVI. M. paſſ. longitudinis, VI. M. latitudinis, amœnis circumſeptum opidis: ab Oriente Iuliade & Hippo, a meridie Tarichea; quo nomine aliqui & lacum appellant ab occidente Tiberiade, aquis calidis ſalubri.* Hæc verba dicunt lacum Geneſar a Tarichea appellatum. forte ita ſcripſit Plinius: *a meridie Tarichea, & quo nomine aliqui lacum appellant, ab occidente Tiberiade.* Vocatur enim paſſim ab Ebreis ſcriptoribus ימא דטבריא;

& mac-

& memoratur inter ſeptem maria terræ Iſraël; quæ ימים vocant, quo nomine etiam lacus intelligunt. mentio horum in Midras Thehillim, & apud Camium in commentariis ad Pſal. 24.

Septem maria terræ Iſrael.

E

ימא רבא 1 Mare magnum .i. mediterraneum.

ימא דסיבכי 2 Mare Sibchi,

Ita ſcriptum in Midras Thehillim. In Camianis דסכני, id eſt mare Sichni.

ימא דטבריא 3 Mare Tiberiadis.

In Syriacis novi teſtamenti ימא דטבריוס, quod arguit magnam imperitiam interpretis. Non enim a Tiberio dictus lacus, ſed a Tiberiade.

ימא דמילחא 4 Mare ſalſum.

ימא דחילתא 5 Mare chilta.

Apud Camium legitur, ימא דחולתא ימא דחולייתא. pro his duobus in Dras eſt דחילתא, quæ lectio veriſſima eſt, ita poſtulante numero.

ימא דשריית״ 6

ימא דאספמיא 7 Mare Hiſphamicum.

In Dras דשריית abeſt Iod in fine, & ad poſtremum nomen additum ibidem : היא ימא דחמין ימא דקלטיינוס Chilta ſive Chulta Latine arenoſum ſonat. Nam חול arena. Redeo ad lacum Tiberiadis, cujus aquas ferunt ſolvere aluum. In Lexico juris, quod Aruch vocant, ויש בטבריא מים משלשלים אם שותה אותם אדם יוצאין כמו שנכנסו, id eſt, *Sunt in Tiberiade aquæ alvum laxantes : ſi quis bibat de illis, exeunt quemadmodum intrarunt.* harum aquarum mentio in fine Machſchirim in Gemara.

CAP. XXV.

A. De Haceldema: ejuſque vera ſcriptura ac ſenſu. B. Quid ſignificet Act. 1. 19. propria ipſorum dialecto. C. Corith dam.

A HIeronymus ſive quis alius deorum hominumve ad Pſal. 108. *Ipſam pecuniam non mittunt in Corbonam, ſed emunt ex ipſa agrum, & appellant eum Aceldema, quod interpretatur pretium ſanguinis* heu pravam interpretationem. Vel ex hoc loco poteſt argumentum peti contra eos, qui contendunt commentarios illos Hieronymi eſſe. Nam Hieronymus recte interpretatur hanc vocem in libro de nominibus Ebraicis, Aceldema, ager ſanguinis: ubi perperam Acheldema ſcriptum, & pejus in aliis libris Acheldemach. ſcribendum Aceldema aut haceldema,
B Grece ἀκελδεμὰ ὥςε κληθῆναι τὸ χωρίον ἐκεῖνο τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν ἀκελδαμά, τουτέςι χωρίον αἵματος. ἀκελδαμά חקל דמא. Clarum eſt. In lingua Chaldæa חקל ager, דמא δεμά, & ſono antiquo δαμά, ſanguis. Quod autem ait τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν, capiendum ut illud Ioh. 8. 17. ἐν τῷ νόμῳ ὑμετέρῳ: vel intelligendum de Ieroſolymitana. forte in ea urbe Acel dicebant cum tſeri aut ſegol pro Acal: tamen hoc non poſſumus affirmare. Illud affirmo quod Ieroſolymitana propria olim dialectus fuerit diverſa aliquantum a Syra & Babylonia, in qua lingua Acal dicimus, non Acel. Quod dico diverſam fuiſſe eam linguam a Babylonia, clarum ex tranſlatione ea, quæ Thargum Ieroſolymitanum vocatur. Vide Eliam præfatione in Methurgeman. Concludam de Aceldema, ſi addidero Syri interpretis interpretationem. pro χωρίον αἵματος
C Syrus habet, קְרִית דם, id eſt κωρὶθ δάμ. Quam vocem, ſi quis

ſi quis dicet Galilæos uſitaſſe pro Acal, fortaſſe dicet quod res eſt. Certe χωρὶθ. non repertum adhuc mihi apud quenquam interpretem Chaldæum. An factum ex Græco χωρίον?

CAP. XXVI.

A. De Remphan conjectura. B. Græcos codices depravatos eſſe. G. Reſch lectum pro Chaph. D. Chijun Ebræis & Chevan apud Arabes quid?

LOcus eſt Act. 7. 43. quem difficilem faciunt voces aliquot corruptæ, quæ mirandum in modum torquent interpretes. In iis eſt Remphan, καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφάν. Quid Remphan? Non magis chamæleon in colore, quam hoc nomen uariat in ſcriptura, ut vel inde jure merito quis colligat locum a librarijs corruptum eſſe. Quare fruſtra ſe torquent viri docti in eo explicando. Nam conſtat Græcos ignaros linguæ Ebraicę multas hujuſmodi voces depravaſſe. Mihi in tam varia ſcriptura placet ῥεφάν. ita legunt Iuſtinus in diſputatione cum Tryphone; & Theodoritus in Leviticum quæſt. 25. eſtque vitium, ut conjicio, a librariis pro κεφάν: niſi potius ipſos interpretes decepit ſimilitudo quę eſt inter literas ר & כ, ut legerint דיון abſque punctis vocalibus pro כיון. Poſtremum non caret exemplo. Nam manifeſte legunt reſch pro chaph Nah. 1. 5. videlicet ראש, quod transferunt ἀρχὰς pro כאש, id eſt ὡς τὸ πῦρ. docti expendent. eſt autem Chijun ſive Chevan Saturnus planeta, quem Arabes & Perſæ כיואן indigitant: quæ appellatio non nihil adjuvat conjecturam meam: næ argumento mihi eſt ut credam veteres dixiſſe Chevan non Chijun. Dicam de hac re plura, aut potius jam dixi

dixi Amos 5. 26. in Conjectaneis meis ad tranſlationem Græcam.

Cap. XXVII.

A. De Ephphata, ejuſque ſcriptura apud Syros. C. Phathach in ſermone Ebræo quid?

A Ἐφφαθά Mar. 7. 34. ſcribo אפתח cum daghes in loco thau: id eſt Ephphatha pronuntiatione vetere. Nam antiqui Phe ſonabant ubi nos Pe. docent exempla obvia paſſim. Syrus אתפתח ad Grammaticam non male: ad ſcripturam Græcam, perperam. forte Servator ita pronuntiavit. nihil affirmo: tamen adducor ut credam ſcriptum fuiſſe ἐθφαθὰ, & inde poſtea factum ἐφφαθὰ. Declaratio Marci διανοίχθητι pertinet tam ad os quam ad aures. Nam agitur non ſolum de ſurdo, ſed etiam de

B μογιλάλῳ. Sic uſurpant verbum Phathach Ebræi. de muto Pſal. 38. 14. כאלם לא יפתח פיו, id eſt *tanquam mutus non aperuit os ſuum:* de ſurdo Iſa. 35. 5. ואזני חרשים תפתחנה id eſt, *& aures ſurdorum aperientur.*

Cap. XXVIII.

A. Abba pater, ſuperque eo Hieron. ſententia rejecta. B. mos ſynagogæ veteris iam primum obſervatus. C. filius Timæi Bartimæus. D. Locus Hieronymi.

A אבא, id eſt pater. Syrum eſt. Grammaticus nuperus mutat אַבָּא ex anologia: ſed אַבָּא ſcriptum in libris Chaldæorum, & ita ſcribendum argumento mihi ἀββᾶ, quod in novo teſtamento. Dictus אבא pater ab affectu quo eſt in liberos, אב ab אבה. Quod autem in παρεμβολῇ legimus ἀββᾶ ὁ πατὴρ Rom. 8. 15. interpreti poſt Hierony-

rônymum & alios placet ex Marci 14. 36. Græcum additum Syriaco vocabulo explicando. Mihi aliud videtur, quod tamen arbitrarium eſſe volo, nolo ſit certum. Conijcio Chriſtum pronuntiaſſe Abba pater אבא פטיר ex conſuetudine veterum Ebræorum. Nam eos ſcilicet uſitaſſe voces Græcas, quas addebant vocibus ſuæ linguæ. In itinerario Benjamini Tudelenſis Hiſpani בצל הפורט λιμὴν portus, מגאגוס הכופרים pagani qui in pagis habitant: ubi nomen Latinum præcedit, Ebraicum ſequitur. Sic reperio פוילי פוטירין in Lexico juris ex Geneſi magno, cap. 10. & ex Levitico majore. Eſt autem פוילי vocabulum Ieroſolymitanum, פוטירי, Græcum ποτήριον: utrumque ſignificat, quod Ebraice chos dicitur, ait author Lexici. Quod ſi declaratio eſt ὁ πατὴρ, mirum cur Euangeliſta non ſcripſit ἀββᾶ ὅ ἐστι πατὴρ, ut alibi κορβᾶν ὅ ἐστι δῶρον. Neque me turbant exempla Hieronymi. Iam diximus filius Timæi non videri declarationem τοῦ Bartimæus, cum præcedat ὑὸς Τιμαίου Βαρτιμαῖος. Nam par eſt ut declaratio ſequatur. potius patris nomen voluit indicatum Euangeliſta. Aſer, divitiæ, non memini legere, ut, nec Tabitha dorcas, ſed quidem ταβιθὰ ἡ διερμηνευομένη λέγεται δόρκας, quod parum adjuvat mentem Hieronymi. Pro Meſech vernaculus in Geneſi eſt, בן משק ביתי Geneſ. 15. 12. in quo explicando licet varient interpretes, nemo tamen de vernaculo meſec expoſuit; neque ipſe vulgatus interpres, qui ſic reddit: *Filius procuratoris domus meæ iſte Damaſcus Eliezer.* Locus Hieronymi eſt in commentarijs ſuper epiſtolam ad Galatas: *Abba Ebraicum eſt, id ipſum ſignificans quod & pater. Et hanc conſuetudinem in pluribus locis Scriptura conſervat, ut Ebraicum * verbum cum interpretatione ſua ponat: Bartimæus, filius Timæi, Aſer divitiæ, Tabitha*

Abba nomen eſt dignitatis apud Ebræos. Vide Præterita mea. Euam avum ſignificat. Pheſictha. 44. 2. *Pueri vocant patrem patris ſui* אבא *Abba.*

* Vnicum exemplum eſt in Actis *Elymas, magus.* Cui ſimile ſi dicas *Adonai, domine.*

 tha

tha dorcas: & in Geneſi meſech vernaculus, & cætera his ſimilia. Non per omnia diſplicet ſententia Auguſtini, epiſt. 178. 14. colloquio cum Paſcentio Arriano, *non accipiatur Paulus qui dicit Romanis ſcribens, In quo clamamus Abba pater: in uno nomine duabus utitur linguis. Dicit enim Abba Græco* (imo Ebraico) *vocabulo patrem, & Latine* (Græce) *nominat identidem patrem. In * Abba pater cum duo nomina ſint, alterum, meo judicio, eſt ex nominibus Dei, alterum eſt nomen commune ſive appellativum, ut ſi dicas Adonai pater & Adonai domine. Deus enim Abba vocatur juxta illud Matth. 23. 9. patrem veſtrum neminem vocetis in terra; unus enim pater veſter qui in cœlis eſt.*

*Dubito an ſint verba Auguſtini. Vt ut ſit, perplacent.

Errata correcta.

Pag. 2. lin. 12. מבלהון. 4. 26. γονυσιώτατον. 8. 8. poſteriorem. 10. 3. Ἀβεσμιαῖοι. 8. εἶδος. 15. 27. ארמגרד. 18. 17. accipit. 20. 23. Vide notas. 21. 25. οὐρανῶ. 23. 3. coëlecta. 24. 19. ex Boſor. 31. 8. ἐξοχλῶ. 49. 15. Κλωπᾶς. 61. 20. πολίχνην. 68. 8. pro illa. 72. 29. דובתא. 75. 31 קוריתא. 76. 5. אתרא 96. 1. Iordanis. 102. 13. מדים. 103. 12. dele punctum ante Ezeciel. 115. 24. quaſi Mecurius. 118. 1. οὕτως. 127. 14. ר׳ יהושעיא. 131. 20. Maſiach. 132. 10. בדרים. 134. 13. ὅσιοι. 139. 12. Sed ſi. 145. 1. imo In Epiſt. 146. 7. אלהים אלהי. 169. 19. Res eſt, non. 173. 1. דם זבי. 176. 16. quæ Acra. 179. 19. Nimrod. 180. 30. במאס. 181. 26. Moſchopulus. 182. 26. ר׳ הושע. 193. 6. לשטן. Ibid. 23. Hieronymus. 197. 4. באור. 207. 2. Ita Syrus. 209. 14. Iſidorus. Ibid. 28. בבנג. 216. 31. ἀναφαίρετον. 219. 24. בברת. 220. 2. initium. 222. 19. νόμῳ.

INDEX

INDEX COMMENTARII poſterioris, in quo notæ aliquot non contemnendæ.

A Pro e, 17. g. hoc intelligendum de ſcheva quod hodie ſonat e breviſſimum; ſed antiqui plurimum efferebant ſono phatach. hinc Samuel, Chanaan, Manaſſes, Sabaoth, & alia multa ſimilia.

A pro i. 20. a: Dialectus Syriaca chirec minus fere in phatach mutat: unde Mariam, Magdalene, & cætera his ſimilia.

A, in o migrat. hoc ideo quia cametſ pleraque Syriæ pars ſonat o, unde ὠδῶμ, Corbona, & alia eius generis. 17. g.

Abba 28. 4.

Abba ὁ πατὴρ ſervator dixit uſus voce Græca ex more veteri. 28. b.

Abſque cerebro 3. a. In proverbijs Ebraicis b'aſer muab', id eſt vacuus cerebro, convicium proverbiale eſt ut Raca.

Acal & acel 25, a.

Aceldema, ſive Aceldama, ager ſanguinis, ibidem.

Ayn litera per apocopen abjecta 4, e. difficillima pronuntiatu. ibidem. Veteres uſi ſunt pro vocali, 9, b. Hieronymus libro de nom. Ebraicis, Segor parva, ipſa eſt quæ & ſupra Seor. Sed ſciendum quia literam g in medio non habeat, ſcribaturque apud Ebræos per vocalem Aijn.

Adama, terra 8, f.

Albana, luna 21, d.

Anna, interiectio 19, f.

Antigonus Sochæus præceptor Sadocicius, a quo hæreſis Saducæorum 6, c. vixit non multo poſt tempora Ezræ. In Avoth, Moſes acceptam legem tradidit Ioſuæ. Ioſua ſenioribus: ſeniores prophetis: prophetæ viris ſynagogæ magnæ, e quorum reliquiis Simeon Iuſtus, cui ſucceſſit Antigonus Sochęus.

Aquæ calidæ in Tiberiade 24, e.

Aquibas, præceptor Aquilæ proſelyti 20, e.

Aquila interpres tranſtulit libros canonicos veteris teſtamenti ex Ebræo in ſermonem Græcum. 20, e. Idem tranſtulit pentateuchum Moſis in linguam Chaldaicam, quæ tranſlatio hodie exſtat impreſſa Venetijs ſub nomine Onkeli. 24, c. in quo nomine poſt epentheſin Nun, quæ apud Arabes tralatitia, a mutat in o. Hic fuit e Ponto oriundus, & Adriano Imperatori ab uxore frater: a quo reſtaurandæ Ieroſolymiæ operum præfectus conſtitutus dicitur.

Artabanus, 2. b.
Aperire tam de oculis quam de auribus dicitur 27.
Aſa 4. c. *errant qui ab hoc verbo deducunt nomen Ieſus* 4. d.

B

B, *Litera inſerta vocibus Ebraicis*, 22. c.
Baal, Iuppiter, 11. a.
Bal, pro baal, 11. b.
Belial & beliar. 18.
Bar, 5. a. *Barchocbebas*, 5. a.
Barieſus, 5. g.
Bargiora, 5. b. *Bariona*, 5. f.
Barioannis, *id eſt filius Iohannis*. *ibidem*.
Barporas, 5. c.
Bartholomæus, *filius Ptolomæi*.
Barrabas, 5. b.
Barſemia, *filius cæcus aut filius cæci*. 5. e.
Bartimæus, *ibidem*
Barrabas cum gemino ρω̃ filius magiſtri : *Barabas cum unico ρω̃, filius patris*.
Beth, 18. a.
Bethsania, *domus ovium*. צאן *ovis*, *Syriace* עאן *ſive* ען: *unde* עניא, *ut in proverbio iuris Ania batar ania*, *id eſt ovis ovem ſequitur*.
Bethabara, 12. a.
Bethamara apud Epiphanium corrupte ſcriptum pro Bethabara, aut fallor.
Betheſda, 12. b.
Bethphage. *Bethſaida*, 12. c.
Beelzebub, *Iuppiter muſca*, 11. e. *Hieronymus*, *vir muſcarum*, איש זבוב: *Auguſtinus*, *princeps muſcarum* שר זבוב. *Alij magiſter muſcæ* רב זבוב.
Beelzebul, 11. g.
Beneraam, *Ebraicum eſt*. *Syri dicunt Benereem*, 17. b.
Boanerges, 17. a.

C.

C, *ſimplex, quod caret aſpiratione, reſpondet Coph elemento Ebraico & Græcorum* κάππα. *Itaque raca ſcribendum non racha, & ſabacthani non ſabachthani*.
C, *aſpiratum videlicet* χ *ſive chaph Ebræorum* 3. e.
Caninij erratum 3. g. & *alibi*. *Angelus Caninius librum ſcripſit de locis novi teſtamenti, in quo explicat pleraſque voces Ebraicas*.
Camets vocale. *ejus ſonus qualis olim* 13. c.
Caprea gratiæ 22, f.
Ceſet pro Ceſeth ex more eo quo Syri ſolent thau mutare in teth. 21. f.
Cerva amorum 22. f.
Chochab ſive Chocheb ſtella, 5. g.
Chirec majus quomodo ſcripſerint Græci, 13. b.
Corat albain, *id eſt* קורת אלעין.
Chevan 26. a.
Chos כוס *poculum* 28. b.
Chaph & Reſch ſimiles in figura 26. e.
Chijun כיון 26. d.
Corith, *ager*, 25. c.
Criminari & adverſari quid differant? 10. c.

D.

DAli, ſive dadli, aquarius 21, f.
David Camius primæ notæ grammaticus apud Ebræos.
Deggim, antique pro dagim piſces 21, f.
Diſa Græce δίζα, caprea 22, e.
Diabolus 10, c.

E.

E Pro i ἀρχαϊκῶς. 85 e. hinc Hennam pro Hinnam 16, a.
El, 8, a. a quo Elohim Euſebio. ibidem.
Eli, Eli, lama ſabacthani 15, a.
Elymas, id eſt magus aut ſapiens 5, f.
Elias levita Germanus. (& 7, a.
Emaημα ſol. Ebraicum eſt, 21, d.
Elohi, 13, a. Emmanuel 8, e.
Epiphanij locus 4, c & 6, c.
Epiphanius correctus 8, e, & 12, a, & (21, e.
Ephphata, 28.
Ethphatha, ibidem.
Euſebij error. 4, a. Euſebius & Egeſippus Hieroſolymam dictam putant quaſi ἱερὸν σαλομῶντος aut ἱερὸν σολύμων. Hoc Egeſippus: illud Euſebius cenſet: itaque cum aſpiratione ſcribunt ſecus quam Ebræi. Vide Ioſephum Iud. captæ lib. 6, cap. 47.
Ezeciel poëta tragicus, 15, a.

F.

FIlius tonitru, de Iohanne 17, a.

G.

GAbbatha, 1, a.
Gehenna 16, a. Gehennam pro inferno uſi veteres ante Chriſtũ 16, f.
Geneſis magnus, liber eſt qui Ebraice vocatur Breſchith rabba.
Genneſar, Genneſara & Genneſareth, 24, a. Geneſareth Auguſtinus Eugubinus corrupte dici ait, cum Cinnereth dicendum ſit: ſed fallitur vir alioqui doctiſſimus. Nã Chinnereth quod eſt nomen antiquũ, poſterior ætas dixit Genereth, & inſerta litera Genneſareth: in quo mutatio primũ i in e: deinde כ in ג ex Chaldaiſmo, ut זגוגית. זכוכית vitrum: סכר, סגר clauſit: גבה & כבה.
Giora, 5, 1. Suidas Γιώρας, ὄνομα κύριον.
Golgotha, 1, a.

H.

HIeronymus notatus, 5, b, & 13, e. 15, c. & 18, a. correctus 14, b, & 18, a.
Heth, aſpiratio duplex 16, d.
Heva, ſerpens, 4, d. Eua prima parens, & mater omnium viventium. Sic Græci diſtinguunt. Ebraice Eua, h'ava חוה dicitur: ſerpens Naas, & Syriace h'iva חויא.
Helleniani 23, c.
Hennom pro hinnom 16, a.
Hillel 20, c.
Hinnom nomen proprium 16, d.
Hilarius excuſatus 19, e.
Herodiani 13, a.
Hon, opes 14, c.
Hoſanna 19.
Haceldema 25, a.

I.

IAcobitæ qui? 13, c.
Iannes & Iambres 2, b.
Iahe, nomen tetragrammaton apud Samaritanos, in quo h pro u ex יהוה.

Iaob veteres legebant pro Iabe, unde Iaob ſalus interpretamentum nominis Iehoſuæ. 4, f.
Ieroſolymitana ſub. traductio ſive tranſlatio, vulgo vocatur Thargum Ieroſolymitanum.
Ieroſolymitanum idioma diverſum aliquantum a lingua Syriaca 1, c & 25, b.
Ieſu pro Ieſua, ex quo Ieſus: ſic boſi pro boſia apud Hieronymum, vide 4, e, & 19, f. יהוה nomen diverſum a nomine Servatoris 4, d.
Ieree, luna 21, d.
Il, 8, g, & Ilus, ut Bel, Belus. Ilus Iupiter potens, ζεὺς δυνατὸς. huius frater Dagon ζεὺς ἀρότριος.
Ioſeph Gorionis filius ſive Gorionides putatur idē eſſe cum Flavio Ioſepho.
Ioſua, 4, d.
Iſrael quid ſignificet Iuſtino, 8, b.
Iuſtinus emendatus, ibidem. eius ſententia rejecta de voce Satanas.
Iudas Iſcariotes Simonis ſub. filius.
Iudæi imperiti antiquitatis, 16, c.
Iugum cœli 18, c, id eſt iugum Dei. Nam cœlum pro Deo ponunt Ebræi μετωνυμικῶς.
Iniuges Feſto 18, c. qui ſub iugo nō fuerint: filij belial, qui licet ſub iugo fuerint, tamen illud repellunt a ſe.

L.

LAma ſive lamma 13, c: utraque ſcriptura reperitur apud Ebræos videlicet לַמָּה cū daghes, & לָמָה accentu in ultima ſine daghes.
Leviticus magnus liber eſt qui Ebraice vocatur Vaicra rabba.
Lingua Chriſto vernacula 1, b.
Lingua Syriaca etiam Ebraica vocatur 1, a. & 4, d. contra ſit 7, f.
Lucifer 21, d.

M.

M litera in fine nominum abiecta, 15, b.
Mamona, 14.
Mamon, lucrum Punice.
Maria ſeptem terræ Iſrael. 24. e.
Maria etiam lacus vocantur. Ebraice ימים ibidem.
Maria quid. 15, d.
Maria, Mariam & Miriam 15.
Meſſias terminatione Græca pro Meſſia 4, e.
Meſſia, id eſt משיחא: in quo geminum σίγμα pro ש dignum nota. ſic ἰεσσαῖ, φαρισαῖοι apud Iuſtinum.
Mambres antique pro Mamres 2, c.
Meſec vernaculus 28, c.
Mos abſcondendi aſpiratas ח vel ע in medio, 9, a & 10, e.
Mos ſtatuas deorum ſculpendi ex Porphyrio 11, f.
Moſchopulus reprehenſus 4, a & f.
Moſaice μωσαινὴ pro μωσαινὴμ, ut ῥγὲ pro ῥγὲμ. Simile plane eſt Gehenna pro Gehennam. Hic nota η pro αι diphthongo. Nam Ebraice μωσαναίμ. Ita Ieruſalem pro Ieruſalaim, quod tamē non ſtatuo. In cauſa eſt, quia apud Chaldæos reperio ſcriptū ירושלם ultima tſeri.

N. Pro

N.

N pro Ajn, 19, a.
Nas pro Nabas 20, f.
Nathan Iuſtus Iebielides author Lexici quod vocant Baal Aruch.
Nominibus vocali deſinentibus Græci σῖγμα addunt 17, e
Numenius philoſophus Pythagoricus 2, b. cuius eſt illud, Quid aliud Plato quam Moſes Atticus? unde liquet ipſum Moſem legiſſe.

O.

O & a permutantur: Onchos, Aquilas: Bonerges, Banerges: Odom, Adam.
Odom Syrorum canets 13. c.
Origenes ſanatus 16, c.
Oſanna ſcribendum aut Oſanna, non ὡς-ἀννὰ, quãquam plerique Græci ita ſcribant.
Ochmod, Mercurius 21, d.
Ocmol, Mars, ibidem.

P.

PHe Arabicum addi ſolet nominibus in principio 5, d.
Phariſæi. Græci plerique in queis Iuſtinus Martyr theologus ſcribunt Φαρισαῖοι: antique ש per σ, ut ישי Ieſſai, משיחא μεσσίας, & his ſimilia.
Theophylactus Φαρισαῖος ἑρμηνεύεται ἀποκεκομμένος. In lib. de nom. Ebraicis: Fariſæi, diviſi. etymon aliud ab eo quod poſuimus. Epiphanius, Φαρισαῖοι διὰ τὸ ἀφωρισμένους εἶναι αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἄλλων. Φάρες γὰρ κατὰ τὴν ἑβραΐδα ἑρμηνεύεται ἀφορισμός. His conſentanea dicit Origenes in 23, euangelij ſecundum Matthæum, & Damaſcenus de hæreſibus. Ambroſius libro 3, in Lucam. Verba Origenis Latina, Interpretantur Phariſæi ſecundum nomen Phares diviſi, qui ſeipſos a cæteris diviſerunt. Phares enim dicitur Ebraica lingua diviſio.
Philo Byblius ex lingua Phœnicum tranſtulit hiſtoriam Sanchuniathonis authoris antiquiſſimi.
Philo Iudæus 2, a.
Phiala 28, b. φιάλη, vox Græca: tamen author lexici dicit vocem eſſe linguæ Ieroſolymitanæ. poteſt ita eſſe. ego ſcio in ea urbe receptas fuiſſe olim multas voces Græcas: etiam ſcio ab Oriente mutuaſſe Græcos innumera vocabula, inter quæ potuit eſſe φιάλη.
Plinius correctus 24, d.
Pœni lucrum mamon vocant. 14, d.
Potentiæ vocabulum de Deo. 8, b.
Ποτήριον 28, b.

R.

RAam, tonitru, verbum proprium Ebræorum eſt. Syri dicunt ῥεέμ. & antiqui ῥγὲμ, abiecta ultima ῥγὲ, ſive ῥεὲ, & cum σῖγμα, ῥγὲς, ut μαμωνᾶ, μαμωνῆς, unde Βοανεργές.
Raca 3, a.

Rachai

Racha prave ſcriptum in libris Latinis 3, c.
Rabbi & Rab. 20, a.
Rabaquiba. ibidem.
Reſch pro lamed. 18. b.
Mutant Syri lamed Ebraeorum in reſch, אלמנה vidua ארמלא. mutatio eadem apud Graecas inter λ & ρ κρίβανος, κλίβανος: ἀργαλέος, ἀλγαλέος, & in Latio cum ex parma palma deducitur, ex ſquarore ſqualor, ex furvo fulvum: ut mirum nemini videri debeat, ſi pro belial poſteritas dixerit beliar.
Rechus רכוש quid? 14, c.
Rephan & Remphan 26.
Reſch lectum pro chaph 26, c.

S.

S, geminum pro ש. vide in Phariſaei.
Sabbatum pro hebdomada 12, c.
Sabacthani 13, d, pro Sebacthani, id eſt שבקתני. ſceva in a antique, ut in Samuel, Salomo, Zabulon, Zacharias, Manaſſes, Chanaan, Sabaoth, Raphaim.
Sarporas, princeps militum an latronum? 5. b.
Sapientes 21, b. apud Apoſtolum, Non multi ſapientes Manifeſta alluſio ad hanc appellationem: Iidem ſunt οἱ διδάσκαλοι καὶ οἱ σοφοὶ: magiſtri & ſapientes.
Sabet, Saturnus planeta 21, d.
Sartan ſive Saratan 21, c.
Sanchuniatho ſcriptor antiquiſſimus hiſtoriae Phenicum, ſcripſit Syriace: Philo Byblius vertit Graece. vixit ante tempora Troiana.
Sedec quid 6, a. 21 d.
Simon, Symon & Simeon, a, b.
Simones quot? 8, c.
Simon dictus pater Iudae Iſcariotae, non ipſe Iudas. ibidem.
Simon Giorae filius triumpho ſervatus a Romanis 5, d.
Saducaei an Sadducaei ſcribendum ambigere eſt ex antiquitate, in qua reperitur δεγγίμ piſces, cum analogia poſtulet δαγίμ aut δεγίμ. In commentario Hieronymi ms. ſuper Iſaiam Saducaei per unum d, quod placet.
Satan 10. a.
Satanas 10, d. locus Iuſtini, quem hic tango, Graece extat pag. 103. libris Lutetiae impreſſis.
τὸ γὰρ σατὰν τῇ Ιουδαίων καὶ Σύρων φωνῇ ἀποστάτης ἐστί. τὸ δ̓ νᾶς ὄνομα, ἐξ οὗ ἡ ἑρμηνεία, ὄφις ἐκλήθη, ταυτόν ἐστι σατᾶ τῇ ἑβραίων ἑρμηνευθείσῃ φωνῇ. ἐξ ὧν ἀμφοτέρων τῶν εἰρημένων, ἓν ὄνομα γίνεται σατανᾶς.
Suidas correctus 22, c.

T.

Tabitha 22, d.
Talitha, 22, a.
Talietha, ibidem.
Thamai 5, d.
Thalmud, Ius civile Ebraeorum

INDEX.

Thargum, interpretatio Chaldaica.
Thargumiſtæ, interpretes Chaldæi.
Telas, aries.
Theophylactus expoſitus 4, f. & 3, c.
Theodoritus ſive Theodoretus (nam anceps ſcriptura) correctus 4, b. notatus 5, i, & 8, f.
Tholomæus & Ptolamæus idem 5, d.
Tiberias 24. e.
Tiberiadis lacus.
Teth pro thau. vide Ceſeth.

V.

Vocales olim non ubique adſcriptas fuiſſe. 16. c.
Vallis Hennam ſive Hennom 16, a. in ea perpetuus ignis comburendis cadaveribus 16, f.
Venus ſtella, lucifer φωσφόρος, *20, d.*

X.

Xyphilinus emendatus 5, h.

Ne vacarent hæ paginæ, placuit addere quę his diebus obſervavi ad locum quendam Deuteronomij, ubi Iacob patriarcha Syrus vocatur & perditus .i. pauper.

Quo ſenſu Iacob patriarcha dicatur Syrus perditus.

ARam eſt Syria, unde Arami .i. Syrus. Sic vocatur Iacob patriarcha Deut. 26. 5. *Syrus perditus pater meus*. Sunt qui malunt *Syrus periens*. Parum refert hoc an illo modo vertas. Nam *periens* .i. pauper. Perire enim dicitur qui ex bonis deſcendit, ſicut vulgo loquentes audimus in Belgio, **hy gaet verloren** .i. peſſum it, de eo qui depauperatur. Periens ergo .i. pauper, ut Prov. 30. *date ſiceram pereunti*. Nam ſequitur, *bibat & obliviſcatur paupertatis ſuæ*. Eadem ſententia erit ſi legas, *Syrus perditionis* .i. perditus. Nam id אובד etiam ſigni-

 ficat.

ficat. Vnde עדי אובד *uſque ad perditionem.* Sic שה אובד pecus perditionis Pſal. 119. in ultimo verſu. Nam qui vertunt *pecus periens*, non adverterunt ad punctum vocale, quod ſub littera Sin. Eſt enim tſeri, non ſegol. Grammatici ſciunt quid velim. O divina criſis quam multa ſæpe ignorant qui te ignorant. Sic forte כלי אובד vas perditum. Res optime convenit cum hac interpretatione. Nam cum in Meſopotamia Iacob Labano inſeruiret, pauper erat & *ἀνάργυρος*, nihilque habebat quam quod labore manuum ſibi comparabat, operam navans ſocero in paſcendis gregibus ejus. Antiqui aliter hunc locum expoſuerunt, ſed, meo judicio, perperam. Nam אבד in kal non ſignificat unquam perdere. Quod autem eum Syrum dicit, ejus rei duas cauſſas habere potuit Moſes. Vna eſt quod terra Chanaan ſit pars Syriæ, unde Ebræi Syri dicuntur & eorum ſermo lingua Syra vocatur. Qua de re alias, ſi Deus voluerit. Altera cauſſa eſt quoniam in Syria interamni, quæ vulgo *Meſopotamia* & a doctis etiam *Syria ad Euphratem* dicitur, unde *natus ad Euphratem* pro Meſopotameno, viginti annos habitaverat. Qui enim in loco aliquo educatur aut diu commoratur ab eo cognomen accipit, ut Chriſtus qui Naſaræus dicitur quoniam in Naſareth educatus fuerat, & altera ejus patria vocatur Chapharnahum quoniam in ea diu converſatus fuerat. Nam Bethlehem natale ipſius erat ſolum. Tres ergo patrias habuit, nativitatis, educationis & converſationis. Iethen ſive Ietra pater fuit Amaſæ, qui 1. Para. 2. 17. *Iether Iſmaelites* appellatur, vel quia revera erat Iſmaelites, vel quoniam apud eos diu verſatus fuerat. Nam idem 2. Sam. 17. 25. *Iſraelita* dicitur. Nondum ſcio utrum revera Iſraelites fuerit an Iſmaelites. Nam Scriptura hoc ſecretum nobis

non

non pandit. Ebræi quidam exiſtimant Iſraelitem fuiſſe, & Iſmaelitem dici quemadmodum Iacob vocatur Aramæus ſive Syrus. Grammatici certant & adhuc ſub judice lis eſt. In talibus nihil temere affirmandum eſt. Rideo iſtos qui cum ſint rerum ſacrarum imperitiſſimi, tamen ſuam ſententiam pro euangelio haberi volunt. Ieſ. 45. 8. legimus in editione vulgata *germinet terra ſalvatorem: ego DOMINVS creavi eum.* emendant, *ego DOMINVS feci illud.* Primum in Ebræo eſt ברא, quod creare ſignificat, non facere. Nam facere עשה dicitur. Deinde non eſt in fonte עשיתיה, quod reddi poſſet *feci illud*; ſed בראתיו *creavi eum*, videlicet *ſervatorem*, aut *eam ſalutem.* Nam Chriſtus vocatur *ſalus* & *ſalus DOMINI* & *ſalutare DOMINI*: quod Græci dicunt *τὸ σωτήριον τοῦ κυρίου*, ut in cantico Simeonis ejus qui Chriſtum in ulnis ſuſcepit. *Viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Hoc qui neſcit, diſcat ſaltem ab ijs qui ſciunt, & det gloriam Deo ejuſque dona non contemnat, ſi fortaſſe in ipſum non fuerunt collata. Vbi nunc illud, *Apertæ Muſarum janua?*

FINIS.

I. DRVSII
ANNOTATIONVM IN N. T.
PARS ALTERA.

Matth. 1.

VErs. 5. *De Rachab.*) Chryſoſtomus in opere imperfecto & Anſelmus in Matthæum fol. 9. alijque patres putant hanc Rachab fuiſſe cauponam, vel, ſi mavis, meretricem Ierichuntinam, quæ exploratores hoſpitio excepit: quam poſtea Salmon duxerit, & ex qua Booz genuerit. Theophylactus dubitare videtur. Vt ut ſit, uxor Salmon eademque mater Booz vocata fuit Rahab ſive Rachab (nam libri variant) quod ita ſcribitur ut Ham & Cham, Hermon & Chermon, Hebron & Chebron, Rohob & Rochob, platea. Nam eſt רחב in ſcriptura Ebraica, hoc eſt, H, heth ſive aſpiratio duplex, qua Græci & Latini carent. Ideo eam expreſſerunt modo per nudam & ſimplicem aſpirationem Rahab, modo per c, aſpiratum ſive per χ Rachab, ῥαχὰβ. Prior ſcriptura extat in ed. vulgata Latina: poſterior autem in codicibus Græcis. Eſt etiam ubi Raab reperitur ex Græco Ῥαὰβ, quod neceſſitatis eſt. Nam Græci voces in medio non aſpirant, niſi raro admodum & differentiæ cauſſa, ut cum ἀώροι ſcribunt aſpero ſpiritu, i. ὠμοί. Siquidem ἀώροι cum leni ſpiritu .i. ἀφύλακτοι. Hiero. in lib. nominum, *Raab ſi per ain mediam literam ſcribatur famem ſignificat, ſi per he impetum, ſi per heth* (ita

legendum non beth) *latitudinem*. רעב fames. רהב impetus, vel potius ſuperbia; itemque Ægyptus. Vide Pſal. 87. 4. & 89. 11. & Ieſ. 51. 9. רָהָב latus, non latitudo. Nam latitudo rochab dicitur .i. רוחב & רחב per geminum (-) unde רחבי ארץ latitudines terræ Iob. 38. 18. Si Rahab eſt ſuperbia vel Ægyptus, ut revera eſt, melius ſcribitur Rachab cum eſt nomen mulieris vel διαφορέσεως ἕνεκα.

18. Antequam conveniſſent) in eandem domum, aut in ipſum coitum ſive coetum, ut quidem Arnobius loquitur, hoc eſt ſicut viri convenire ſolent cum uxoribus: quod Latini dicunt coire & congredi. Ita ſumitur hoc verbum 1. Cor. 7. 5. ubi Theophylact. exponit μιγῆναι. Fruſtra igitur eſt qui negat certum ullum exemplum ejus ſignificationis uſpiam extare. Arnobius hoc ſenſu uſus eſt lib. 7. *gignendis conveniunt liberis*, ἐπὶ παίδων γνησίων ἀρότῳ, quod olim ut profiterentur nubentes auſpicum cura erat. Sic dico, profitebantur ſe liberum procreandorum cauſſa convenire. Quid ad hæc dicent aut quomodo ſe excuſabunt qui uxorem vetulam ducunt, cum ipſi ſint juvenes? quorum eſt potius cogitare de multiplicando genere humano. Senes ab hac lege immunes ſunt.

25. Primogenitum) Quomodo primogenitum, ſi non habebat ſecundo aut tertio genitum? Nam primus relative dicitur ad ſecundum. Primogenitum Ebræi בכור vocant, qui primus naſcitur, ſive alius ſequatur ſive non, nihil refert. Nam primogenitus ante quem nullus, ut recte obſervavit Hiero. adverſus Helvidium ſcribens. Proinde non ſequitur, Chriſtus fuit Mariæ primogenitus, ergo Maria plures liberos habuit & Chriſtus alios fratres proprie dictos. Dico proprie dictos, quia fratres

habuit

habuit cognatos & conſangvineos. Hoc negari non poteſt, ut nec illud Chriſtum aperuiſſe matricem, qui Ebræis dicitur פטר רחם apertura vulvæ, & Græcis *διανοίγων μήτραν* adaperiens vulvam, & ſimpliciter פטר *διανοίγων*, quem *πρωτότοκον* reddunt Exod. 34. 19. Simul autem iſta leguntur cum alibi, tum Num. 3. 12. *ἀντὶ παντὸς πρωτοτόκου διανοίγοντος μήτραν*, ubi primogenitus in fonte בכור vocatur, in quo nulla ratio ordinis. Non enim certe relatione ad fratres aliquis dicitur בכור, ergo nec primogenitus. Ceterum ſi Chriſtus aperuit matricem, non poteſt dici natus ex utero clauſo, quod tamen multi temere nimis affirmant, & per mem clauſum ejus nativitatem ſignificari putant apud Ieſaiam in voce למרבה. Iudicent eruditi. Nam non vir aperit uterum, ſed Deus & infans. Qua de re valde cogitare velim eos qui ſubtiliter nimis diſputant de horto clauſo, cujus mentio in Cantico canticorum: quem ad uterum virginis Mariæ accommodant; ſed an recte, viderint. Sane matricem & uterum, licet diverſa nomina ſortiantur apud Ebræos, tamen LXX. interpretatione confundunt, vocem רחם, quæ matricem ſive vulvam proprie denotat .i. *μήτραν*, interpretantes *κοιλίαν* .i. uterum & ſemel *γαστέρα* .i. ventrem, videlicet Pſal. 109. 4. *ἐκ γαστρὸς*, ubi aquila *ἐκ μήτρας*, & in fonte מרחם e vulva. His adde omnem primogenitum aperire vulvam, ſed non omnem eum qui aperit vulvam primogenitum eſſe patris, ſi plures uxores habeat. Verbi cauſſa Dan aperuit matricem Balæ Gen. 30. 61. & Gad Zelphæ, ibid. verſ. 11. neuter tamen fuit primogenitus Iacobi patriarchæ: ſed Ruben ex Lea ſuſceptus, & eo excidente jure ſuo Ioſeph ex Rachele procreatus Gen. 30. 23.

Ibid. Vocavit nomen ejus.) Quis vocavit Ioſeph an

 Maria?

Maria? de Ioſepho capiendum videtur ex verſ. 21. hujus capitis: de Maria ex Luc. 1. 31. Sed & angelus eum vocavit Ieſum Luc. 2. 21. Quocirca inter ea nomina recenſetur, quæ ante nativitatem impoſita fuerunt, ut Iſmael & alia. Syrus hic habet וקרת & vocavit mulier: nam eſt verbum fœmininum, nec ulla hic ambiguitas: Etiam conſuetudo pro illo eſt veteris ævi. Solebant enim matres filiis nomina imponere, ut Heva Gen. 4. 25. & Lea Gen. 29. 32. & 33. & Rachel Gen. 30. 6. & 8. Rurſum Lea Gen. 30. 11. & 13. & 20. Vide ſis Obſervationes meas.

Ieſum) Vide notata Marc. 1. 17. In Alcorano vocatur עיסאי Iſſa: alij ſcriptores Iaſura eum appellant. Apud Porchetum part. 2. cap. 14. eſt Ieſſua; *Quia vero,* inquit, *Latini cum lingua & non cum gutture loquimur, ut Arabes & Ebræi, corrupte pronuntiamus pro Ieſſua Ieſus.* Fallitur: Nam Ebræi ſcribunt ישוע; & eliſa littera vaſtiore, ut mos eſt Aramæis, ישו, unde Ieſus. Id ſonat σωτὴρ. Cicero actione quarta in Verrem negat σωτῆρα uno verbo Latino reddi poſſe, eſſeque eum qui ſalutem dederit. Salvatoris nomen poſterius eſt, quo utuntur Lactantius, Auſonius aliique ſacri ſcriptores.

Matth. 2.

Bethlehem Iudçæ) Hiero. in comment. ad hunc locum emendat Iudæ. Idem exiſtimat errore librariorum ſcriptum eſſe Iudçæ. fallit & fallitur. Nam in codicibus Græcis ἰουδαίας, etiam infra verſ. 5. ubi vulgata noſtra Iudæ. Id Ebraice diceretur בית לחם אשר ליהודה *Beth-Lehem quæ eſt Iudæ ſive Iudææ:* & 1. Sam. 17. 1. *Congregati ſunt in Socha quæ eſt* ליהודה, ubi LXX. rurſus ἰουδαίας & vulgatus noſter Iudæ: perinde eſt. Nam tribus Iuda vocatur aliquando peculiariter Iudæa, ſub qua & tribus

Ben-

Benjamin comprehenditur. Sane Iud. 19. 18. בית לחם יהודה βηθλεὲμ ἰούδα dicitur, quæ ſita erat in ea tribu, & hoc modo diſtinguitur ab alia quæ in tribu Zabulon. Euſebius in libro locorum, *Iudea aliquando tota terra 12. tribuum appellatur: aliquando duæ tantum tribus, quæ quondam Iuda vocabantur ad diſtinctionem Galilæ & Samariæ aliarumque in terra promiſſionis regionum. Et notandum apud hiſtoricos quod Iudæa ad Palæſtinam, Galilea vero ad Phœnicen pertineant.* Zacharias Chryſopolitanus epiſcopus in unum de quatuor ex Remigio, *Omnis quidem Iudæorum provincia ad diſtinctionem aliarum gentium Iudæa dicitur; ſed ſpecialius meridiana plaga, ad differentiam Samariæ, Decapolis & ceterarum regionum ejuſdem provinciæ.* Hoc modo ſumitur id nomen infra Matth. 19. 1. *Migravit a Galilea & venit in fines Iudææ.*

Ibid. Ab oriente.) Ex Arabia felice, cujus metropolis Saba nomen accepit a nepote quodam Abrahami ex Ketura, cujus poſteri orientalem plagam occuparunt, ut habetur Gen. 25. 6. cui firmando quod Ieſ. 60. 6. *Ex Saba venient, aurum ac thus portabunt.* Auri Sabæ mentio & Pſal. 72. In hac Arabiæ parte myrrha & thura ex arboribus leguntur, cinnamomum ex fruticibus reſcinditur, caſia paluſtribus locis naſcitur, prata ſponte ſua nardum gignunt, ait Arrianus. Nec obſtat quod regina Sabæ vocetur regina auſtri. Nam illa erat alia Saba in regione auſtrali, quam vocant Aliman ſive Aljaman. Sunt tamen qui ex Perſide hos veniſſe ſcribant, cujus regionis ſapientes magi vocabantur; nec niſi ex eorum numero, eorum diſciplinis imbutus, inquit Strabo, rex creabatur. Vnde fieri poteſt ut hi magi reges fuerint, quod receptum ab eccleſia Romana. Chryſoſto. de nativitate Iohannis Baptiſtæ, *Ideo ſimul viri*

reges & patres Saba venerunt ipſi magi invitante ſtella. Vide comment. meum ad voces N. T. Sunt etiam qui ex Orientali Meſopotamia eos veniſſe ſcribant, ubi olim fuit Balaam prophetes, cujus illuſtre vaticinium de Meſſia extat in libro Numerorum, unde magi hęc diſcere potuerunt. Chryſoſtomus hom. 2. in Matthæum, *legi apud aliquem magos iſtos ex libris Balaam divinatoris hujus ſtellæ ſcientiam accepiſſe, cujus divinatio poſita eſt in veteri teſt. Orietur ſtella* &c. Vide ſequentia.

3. Tota Ieroſolyma) Quare Ieroſolyma turbata fuit? Nam potius exultare debuiſſet propter natum quem tam diu expectaverant tantopereque deſideraverant Meſſiam. An quia metuebant mutationem ſtatus? quę fieri non ſolet ſine multa ſanguinis effuſione, præſertim cum imperium Romanum tam potens eſſet, quo niſi everſo Meſſias regnum, quale illi ſomniabant, pacate obtinere non potuit. Hinc Rutilius in Iudæos (quo nomine olim ipſos Chriſtianos appellabant) ubique diſperſos ita ſcripſit,

Atque utinam nunquam Iudæa ſubacta fuiſſet
Pompeij bellis, imperiaque Titi.
Latius exciſa peſtis contagia ſerpunt
Victoreſque ſuos natio victa premit.

Sunt qui putant ideo commotos fuiſſe Ieroſolymitanos, quod triſtiorem ſervitutem timerent, utpote quibus optime nota erat ſævitia & crudelitas Herodis, quem ſciebant Tyria maria moturum, imo cælum terræ mixturum potius quam ut regnum ſibi eripi pateretur.

6. Nequaquam minima es) In iſto loco conciliando cum Michæ prophetia valde laborant, imo ſudant interpretes, ſed fruſtra. nihil omnino difficultatis eſt; ſi prophetam legas cum interrogatione: *Parvane es?* quæ ibi

ibi deſideratur, ut ſæpe alias. Exempla vel unus Iob ſuppeditare poteſt plurima: nos uno contenti erimus. Id habetur Iob. 40. 20. *Trahes leviathan hamo?* nam niſi pronunciatione juvetur aperte falſum eſt. Leviathan enim certe tantus piſcis hamo trahi non poteſt. Vide Parallela mea, & libellos de literis ſervilibus, quas vocant moſche vechaleb.

Ibid. Dux qui paſcet) In Michæa *ex te exibit ut ſit dominator.* Inepte quidam מושל hic patrem familias exponit, qui בעל הבית dicitur. Vox Ebræa hoc non ſignificat, ſed eum qui dominatur & cum imperio eſt, ut rex: aut qui ejus vice obit locumque tenet, quem vice regem vocant Galli. Sed quid? an Chriſtus rex fuit? fuit ſane rex ſpiritualis Iudæorum, hoc eſt fidelium. Quod quia Herodes ignorabat, valde turbabatur, metuens ſibi eo magis quod ſciret ſe inviſum populo propter crudelitatem & immanem ſævitiam quam exercuerat in ſuos. Nam ſomniabat neſcio quod regnum ejus terrenum, ut etiam plerique Iudæi illius temporis. Quæ opinio adhuc durat inter eos.

Huc facit locus Suetonii a Tacito repetitus, quem ad Veſpaſianum accommodant, *Percrebuerat Oriente toto vetus & conſtans opinio eſſe in fatis, ut eo tempore Iudæa profecti terris potirentur.* Dixi ſupra Chriſtianos olim Iudæos appellatos fuiſſe. Tacitus ejus rei fidem faciet, in quo diſerte, *Iudæos Chreſto duce tumultuantes Roma expulit.* Nam pro Chriſto dicebant Chreſto. Quod annoto, ne hic mendum ſubeſſe putetis.

18. Vox in Rama audita eſt) ברמה, quod Græci ſcribunt ῥαμᾶ Rhama. Locus eſt in tribu Benjamin, qui non procul abfuiſſe videtur a vicinia Bethlehemitica, ubi clamor iſte fuit editus. Sed fortaſſe nomen eſt appella-

pella-

pellativum, quod redditur ac ſi proprium eſſet, ut dicat, *in alto*, unde vox longe lateque exaudiri poteſt. Sane Hieronymus Ierem. 31. 15. unde hic locus tranſcriptus eſt, vertit *vox in excelſo audita eſt*, & Santes *in excelſo colle*, & Ionathan *in altitudine mundi*; ſi modo עלמא hic eſt mundus. Collem autem ſubaudiunt & non locum, quia nomen eſt fœmininum רמה, itidem ut גבעה collis. Nam מקום locus maſculinum eſt. Matth. 3. 1. Poſt verba illa, aut ὁ βαπτίζων i. *baptizans*, adde, ſi placet, *forte* מטביל *baptizans continenter*, *ut* מדבר *locutus eſt frequenter*, מעבד *ſervijt continenter*. Hæc addenda ad priores annotationes, quæ titulo præteritorum editæ ſunt. Hiſtoriam autem Ebraicam voco, quam compoſuit Abben Gorion ſive Gorionides, qui & Ioſeph Gorione natus: vel, ſi mavis, filius Gorion.

4. Levit. 11. Inter ea quorum uſus conceditur Iudæis eſt חגב locuſta, unde pluralis חגבים Num. 13. ubi Thargum קמצין & LXX. ἀκρίδες. Moſes de Kotſi Ebræus in libro præceptorum 139. 4. *Comedit homo locuſtas tam vivas quam mactatas.*

11. Obtulerunt munera.) Mos erat apud Ebræos, ut recens creato regi munera darent. Vide 1. Sam. 10. 27.

17. Antiquitus etiam vox audiebatur debilis & ſubmiſſa tacitaque, quæ vocatur vox ſilentij debilis. 1. Reg. 19. 12. Vide Mercerum Iob. 4. 16. ad quem locum R. Salomo, *hinc eſt*, inquit, *quod priores uſi ſint voce, poſteriores filia vocis.*

Matth. 4. 1. Vt tentaretur a diabolo) apud Hilarium, *a Zabulo*, vel certe *Zabolo*: quod poſterius habent, teſte Eraſmo, libri emendatiores.

Idem Eraſmus exiſtimat ex dialecto Æolica Za poſitum eſſe pro δια. Scaliger autem ſcribit vitium eſſe καὶ

παραδιασροφὴν vulgi ſic loquentis & zæta pro diæta uſurpantis. Sic dicebant Azabenicus pro Adiabenicus. Animad. Euſeb. 109. 1.

5. Tunc aſſumpſit.) In Græcis eſt verbum præſentis temporis παραλαμβάνει aſſumit, ut & infra verſ. 8. & eſt ſenſus aſſumptum transfert. Sic Eſth. 2. 16. *Aſſumptaque fuit Eſther in domum regni ſive regiam.* Plenum eſſet aſſumpta & deducta. Qualia ſunt *accepit dona* pro accepta dedit aut diſtribuit: *capies carbones ignis ſuper caput ejus*, pro capies & pones.

9. Si cadens adoraveris me.) Iuvabo nunc memoriam Hieronymi. Nam ut homo ita labi potuit: *Omnem*, inquit Dan. 3. *ſcripturam ſanctam mente percurrens, niſi tamen me fallit oblivio nunquam reperio quod ſanctorum quiſquam Deum cadens adoraverit, ſed quicumque idola & dæmones & rem illicitam adoraverit, cadens dicitur adorare, ut in præſenti loco non ſemel, ſed crebius: & in evangelio diabolus loquitur ad DOMINUM, Hæc omnia dabo tibi ſi cadens adoraveris me: & de ſtatua Nabuchodonoſor jubetur ut omnis qui audierit ſonitum buccinæ &c. cadens adoret ſtatuam.* Hæc ibi Hiero. cum tamen omnis qui adorat pronus cadat in terram. Sane Gen. 17. 3. Abraham Deum adorans cecidit pronus in faciem, & Ioſ. 5. 14. legimus, *cecidit Ioſue pronus in faciem & adorans ait.*

21. Filius Zebedæi) בן זבדי. Nomen hoc extat in Iuchaſin 101. 1. *Aquiba filius Zebedæi*, & 79. 2. *R. Iacob filius Zebedæi*, & 100. 1. *R. Iuda filius Zebedæi.* Sonat autem donatum παρὰ τὸ זבד donavit. Hujus uxor Salome nominabatur, quod interpretatur pacifica: quæ ſecuta fuit Ieſum poſt obitum mariti, qui obiit inter tempus vocationis Apoſtolorum & paſſionem DOMINI, Zacharias Chryſopolitanus epiſcopus ex Chryſoſtomo.

13. In Capharnaum.) Ebraice כפרנחום Id ſonat vicus aut pagus Nahum ſive Nachum. Sic כפר חנינה Caphar Hanina .i. pagus Haninæ. Minus ſe probat mihi, quod in Græcis codicibus καπερναοὺμ. Nam Græco π, ut & Latino p, carebant olim Ebræi, teſte Hieronymo. In Capharnahum Chaph mutata in Koph, quod etiam factum in Carmelus, hoc eſt c, aſpiratum in tenue. Apud Nonnum & in codicibus aliis καφαρναοὺμ. Meminit Benjamin in Itinerario ſuo, quam ait abeſſe a torrente Ciſon quatuor paraſangis, fol. 9. pag. 1. Videtur eſſe vicus ille quem Ioſephus Capharnoma vocat in vita ſua. A Caphar Hanina eſt איש כפר חנינה in Iohaſin, fol. 52. pag. 1. Sic forte איש קריות Iſcarioth, Cariothites.

Matth. 5.

7. Miſericordiam conſequuntur) ἐλεηθήσονται, quod Ebræi dicerent ירוחמו. Legitur hoc verbum Proverb. 28. 13. *Qui confitetur & deſerit* ירוחם, ubi idem interpres, *miſericordiam conſequetur.* Paullo ante παρακληθήσονται, id eſt ינוחמו vertit, *conſolabuntur.* Cur non potius, inquit Eraſmus, *conſolationem accipient?* Forte quia conſolor inter deponentia. Nam ſignificat & ſolatium præſto & accipio. Aſinius, *conſolabor ab ea quæ timui.* Sic Matth. 2. 18. *noluit conſolari,* i. conſolationem accipere.

12. Gaudete) gaudemus per intellectum: an etiam per fidem? In libro ſelectarum gemmarum, cap. 1. de ſapientia. *Intellectus eſt ſupra fidem. Nam per intellectum homo ſuffert caſtigationes animo læto, & accipit decreta corde hilari.*

18. Iota unum.) In alphabeto Ebraico Iod; cui reſpondet Græcum ἰῶτα (nam & ἰῶθ ſcribebant, unde ἰῶτα, aſpirata in tenuem verſa, ut בית βῆτα, טית θῆτα) minima literarum eſt; unde Irenæus eam appellat dimidiam literam.

teram, quod ejus figura ſive character ad dimidium aliarum vix accedat. Sic eam vocat, cum ait nomen ישו Ieſu conſtare ex duabus literis & dimidia: quæ per ſigla valent,

יהוה שמים וארץ

DOMINUM coeli & terræ.

Ab hac minuta figura factum eſt proverbiale, *ne Iota quidem*: quod eleganter uſurpat poeta recentior, *Neſcit ſcriptura vel breve Iota ſacra*, de homine ſacrarum literarum imperitiſſimo, quales nimium hodie multi, proh dolor, inveniuntur.

Aut unus apex) apex Ebraice קוץ dicitur & Græce κεραία. Sunt autem apices vocalium & literarum. Qui de apicibus vocalium Chriſtum loqui cenſent; doceant Chriſti tempore vocales aſcriptas fuiſſe. Nam hoc nunc in quæſtione verſatur. Ego de apicibus literarum ipſum loqui non dubito. Erant autem eminentiæ & ſumma faſtigia, quibus literæ inſigniebantur & diſtinguebantur. Quod de res & daleth ſcribit Hiero. Ierem. 6. Sophon. 3. Zach. 12. Meminit eorum quoque in prologo galeato & præfatione in libros regum his verbis, *Samaritani etiam pentateuchum Moſi totidem litteris ſcriptitant figura tantum & apicibus diſcrepantes*. Abraham de Balmes artium ac medicinæ doctor, *Qui ſcribit daleth, faciet ei apicem poſt eam*. Heſychius κεραίαν vocat, hoc eſt apicem, lineam quæ in lemniſco, quæ hoc modo ſcribebatur ÷. Vide ſis notas ad edit. Ro. Pſal. 12. Verba ſunt διὰ μίαν τῆς κεραίας τῆς μέσης, quæ interpres convertit *per mediam quidem virgulam*. Nam ibi non tam apex eſt quam jacens linea ſeu virgula. Apud autores Græcos κεραῖαι dicuntur etiam apices eminentes in aliqua re, ut cornua e cornigerorum capitibus.

21. *Audiſtis dictum eſſe antiquis)* Ebræi ſimplicem ſenſum appellant משמע .i. auditum, cum dicunt לפי משמעו ſecundum auditum ejus, & כמשמעו, ut verba ſonant, in proprio & nativo ſenſu.

22. Omnis qui iraſcitur fratri ſuo) In quibuſdam Græcis additum εἰκῆ temere vel ſine cauſſa: quod Hiero. eradendum exiſtimat. Quapropter? *quia*, inquit, *ne cum cauſſa quidem iraſci debemus*. Cur igitur Apoſtolus dixit, *Iraſcimini & nolite peccare: ſol ne occidat ſuper iracundiam veſtram?* q. d. Si contingat vos iraſci, ne peccate. Qui locus evincit aliquã iram eſſe ſine peccato. Quamobrem aſſentior Chryſoſtomo iram opportunam ab intempeſtiva diſtinguenti, qui etiam negat affectum penitus hoc præcepto eximi nobis, ſed tantum cohiberi ac regi. Quibus conſentanea ſcribit Theophylactus.

Fratri ſuo) alteri. Sic, *qui dixerit fratri ſuo* .i. alteri, vel certe ei qui ejuſdem ſecum religionis eſt. Nam tales ſe invicem fratres appellant. Sed præſtat latius accipere, ut omnes homines comprehendat. Sic *diligite fratres veſtros* .i. alij alios: *vir ad fratrem ſuum*, alter ad alterum. Exod. 10. 23. *non videbat homo fratrem ſuum*. Ad hunc locum Auguſtinus, *Notandum etiam fratrem hominis quemlibet hominem dici*. Scribit hoc in libris locutionum, pag. 78. Aliter ſumitur in illo, *Non fænerabis fratri tuo*. Nam ſequitur, *ſed extraneo fænerabis*. Frater igitur Iudæus: & extraneus, qui non eſt Iudæus, ſed alterius populi. Nam fratres vocantur & qui ejuſdem gentis ſunt: ita Iudæi omnes inter ſe fratres erant. Sunt qui putant, *ſed fænerabis extraneo*, conceſſionem tantum eſſe, ſicut Deus aliqua permiſit populo ſuo in lege veteri, quæ per ſe illicita erant. Sane David ait de viro pio loquens, *non dedit pecuniam ſuam ad uſuram*, ubi

ubi neminem excipit. Nicolaus a Lira Deut. 24. *Ad ſecundum dicendum aliquid eſſe illicitum quod tamen lege permittitur. Vno modo per prophetam a ſpiritu ſancto loquentem, & hoc modo uſuram illicitam eſſe cum extraneo David propheta oſtendit dicens, Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, abſolute loquendo & nullum excipiendo: quia indefinita juris æquipollet univerſali. Vnde in libro Machtoc, qui apud Iudæos eſt authenticus, ubi exponitur pſalmus prædictus ſuper illud verbum, Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, dicit gloſ. etiam gentili. Alio modo oſtenditur eſſe illicitum per communem obſervationem bonorum, quia conſuetudo eſt optima interpres legis, & ſic repudium eſt illicitum, quia nullus eorum qui commendantur in Scriptura, legitur hoc feciſſe, niſi de mandato divino.*

Divortium olim licitum fuit ob cauſſam adulterij: cõceſſum ob alias leviores cauſas.

35. Pro verbis illis quæ habentur in Præteritis, *Alioqui David etiam ὁ βασιλεὺς ὁ μέγας dicebatur*, repone, *Alioqui βασιλεὺς ὁ μέγας dicebatur olim peculiariter de regibus Aſſyriorum & Perſarum. Vide Obſervationes meas. Deus vocatur etiam rex regum, & rex ſimpliciter* המלך *.i. ὁ βασιλεὺς Ieſ. 6. 5. Pſal. 145. 1. Sic etiam Æthiopes eum appellant, ſi credendum Angelo Caninio. Dicunt enim* אמלך *abſolute* de Deo, cum alioqui regem נגוש vocent. Ergo *urbs regis magni*, tam Dei quam *Davidis*.

36. *Neque per caput tuum*) R. David Ierem. 4. 2. *Conſuetudinis mundi eſt ut jurent per id quod multum amant, ut per caput & per animam.*

Matth. 6.

29. *In omni gloria ſua*) in omni veſtitu aut amictu ſuo glorioſo. Sic Pſal. 45. *omnis gloria filiæ regis* .i. veſtis glorioſa vel amictus glorioſus. Eſth. 15. 4. *indutus fuit gloria* .i. veſte glorioſa. Ieſ. 10. 16. *& pro gloria ejus* .i. veſtibus glorioſis aut honoratis.

31. Nolite ſoliciti eſſe &c.) in libro ſelectorum, qui continet Arabum apophthegmata, quem magna ex parte Latinum fecimus, & Thomæ Bodlæo equiti aurato amico veteri dedicavimus, *Dolor vel ſolicitudo de eo quod non eſt aut fuit, malum eſt ægrum.* Ben Syra, qui creditur fuiſſe nepos Ieremiæ prophetæ, quem nonnulli eundem faciunt cum Sirachide, *Ne anxius eſto de craſtino, quia neſcis quid paritura ſit dies.*

33. Quærite primum regnum Dei &c.) In hanc ſententiam exſtat apophthegma Nehuniæ Haccanæ filij, *Qui ſubit jugum legis, immunis fit a jugo regni, tum etiam a jugo via terræ,* hoc eſt a ſolicitudine de quærendo victu. Vide Apophthegmata Ebræorum & Arabum, pag. 20.

Matth. 7.

23. Nunquam novi eos) .i. eſt approbavi, ut Pſal. 1. 6. *Deus novit viam juſtorum:* & Rom. 7. 15. *Quod enim facio, non novi,* non approbo. Infra Matth. 25. *Non novi vos.* Cicero de legibus, lib. 1. *atqui vereor ne iſtam cauſſam nullus noſcat* .i. probet: paullo poſt, *ego arbitrabar poſſe id populo noſtro probari.* Auguſtinus libro ad Euodium, *Si ad ſcientiam referas, non ignorat Deus aliquos vel aliqua, qui tamen in judicio quibuſdam dicet, non novi vos: ſed eorum improbatio hoc verbo inſinuatur.* Idem Quæſtionum lib. 2. quæſt. 152. *Deus novit quos approbat. Matth. 25. non novi vos. Sic ars dicitur neſcire vitia, cum improbat vitia.*

29. Sicut ſcribæ eorum & Phariſæi) ὡς οἱ γραμματεῖς αὐτῶν καὶ οἱ Φαρισαῖοι. Hanc lectionem etiam Syrus interpres expreſſit. Quod noto quia in codicibus Græcis tantum, ὡς οἱ γραμματεῖς, ſicut ſcribæ. Sed quid? An etiam Phariſæi docebant legem? compoſitor hiſtoriæ Ebraicæ, *Hi ſunt Phariſæi qui enarrant legem.* Quidam

inde

inde appellationem habere putant, ſed falluntur. Vide quæ ſcripſimus hac de re in De tribus ſectis Iudæorum.

Matth. 8.

Filij regni) qui ad regnum pertinent cœli ſive cœlorum, hoc eſt Dei. Infra 13. 38. *hi ſunt filij regni:* & Baruch 5. εἰς υἱοὺς βασιλείας. Regnum Dei eſt ipſa eccleſia, e qua ejecti veteres filij, hoc eſt Iudæi, ſucceſſerunt in eorum locum ab oriente & occidente novi filij, hoc eſt fideles Chriſtiani. Vt hic *filij regni*, ſic Eſth. 1. 19. *verbum regni*, quod interpretantur πρόςαγμα βασιλικὸν, edictum regium, & *vinum regni* .i. regium Eſth. 1. 7. Sic enim certe Santes interpretatur. Videtur tamen diſcrimen eſſe ut vinum regis ſive regium ſit quod rex ſolus bibebat: regni autem ſive regale quod reliqui etiam principes potabant a regia magnificentia ipſis propinatum. Hoc pono, non ſtatuo.

20. Filius hominis) .i. homo, ut Pſal. 8. 5. *Quid filius hominis ut viſites eum?* Ebraice בן אדם, quod poſſet reddi *filius Adæ*. Vſurpatur in veteri teſtamento de Ezeciele, cap. 2. verſ. 1. & alibi paſſim: in novo autem peculiariter de Chriſto. Excipitur unus locus Apocalyp. 14. 14. ubi angelum potius notare videtur. Vt *filius hominis* eſt homo: ſic *filij hominum* ſunt homines. Idem nomen in Ebræo. Nam אדם & hominem & homines deſignat. Caret enim certe numero multitudinis. Notatum etiam peculiariter de ſexu fœmineo uſurpari, ut mirum non ſit Chriſtum dici *filium hominis*, qui fuit duntaxat natus ex Maria virgine. Vide comment. meum in hiſtoriam ſacram Sulpicij Severi.

28. Geraſenorum) Syrus דגדריא Gedarenorum ſive Gadarenorum. Codices Græci Γεργεσηνῶν, Gergeſenorum.

rum. Sed Marc. 5. 2. Γαδαρηνῶν, ubi noſter Geraſenorum. Sic etiam Luc. 8. 26.

29. Quid nobis & tibi?) Locutio tam Ebræis quam Græcis familiaris, quam æmulatus eſt Hiero. epiſt. 22. cap. 7. *Quid mihi & voluptati, quæ breui perit?* Latine diceretur, *Quid mihi tecum?* & ſubanditur, rei aut negotij aut aliquid tale. Anacreon τί μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς; quid mihi cum longis tibiis? Demoſthenes, τί νόμῳ καὶ βασάνῳ; quid legi cum quæſtione? Ioh. 2. 4. *Quid mihi & tibi mulier?* Latine, *quid mihi tecum?* Ioſ. 22. 24. *Quid vobis & DOMINO?* Vide Maſium ad hunc locum. Ioel 3. 4. מה אתם לי *quid vos mihi.* LXX. τί ὑμῶν καὶ ἐμοὶ, vel, ut Plantini codex habet, τί ἐμοὶ καὶ ὑμῖν; מה לי ולכם, *quid mihi vobiſcum?*

Matth. 9.

Verſ. 1. Venit in urbem ſuam) εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν, in propriam urbem, hoc eſt in Capharnahum. Tres enim patrias habuit, Bethlehem, in qua natus, Nazareth in qua educatus & Capharnahum, in qua verſari ſolitus, poſtquam relicta Nazareth eo commigraſſet. A Nazareth an ab hac urbe? dictus eſt etiam Galilæus, quemadmodum Iacob patriarcha vocatur Syrus, quoniam in Syria interamni apud Labanum ſocerum tot annos commoratus fuerat. Sic Moſes Maimonis filius cognominatur Ægyptius, licet eſſet domo Cordubenſis, quia diu medicinam fecerat in Ægypto: ubi etiam edidit More Nebuchim idiomate Arabico, cujus inſignem peritiam habuiſſe videtur.

5. Remiſſa ſunt tibi peccata) qui remittit peccata ſanat animam: condonatio enim peccatorum ſanitas eſt ejuſdem. Videndus R. David Ierem. 3. 22. Huc facit illud Ciceronis, *ſapientia ſanitas eſt animæ*, imo *animi.*

Verba Davidis Camij ad locum Ieremiæ, *Convertimini & ſanabo averſiones veſtras*, ſi Latine vertas, ita ſonant, *Sanare uſurpat de remiſsione peccatorum per tranſlationem: & ſit, Sana animam meam, quia peccavi tibi. Nam ut plaga corporis ſanatur medicina: ſic plaga animæ, quæ eſt iniquitas, cujus medela ſive remedium aut medicina eſt condonatio cum reſipiſcentia.*

10. Peccatores) homines improbi, qui κατ' ἐξοχὴν peccatores dicuntur, quod toti dediti ſunt peccatis. Vocantur & *debitores* .i. חייבין: ſed in Thargum, hoc eſt in editione Chaldaica, ubi eſt interpretamentum τῶν רשעים improborum. Nam & debita ſive ὀφειλήματα vocant peccata .i. ἁμαρτήματα. Simul iſta leguntur in prophetia Henochi, in fragmento quod extat apud Iudam apoſtolum, verſ. 15. ὧν ἐλάλησαν κατ' αὐτοῦ ἁμαρτωλοὶ ἀσεβεῖς: quæ locuti ſunt contra eum peccatores impij. Nam ἀσεβεῖς vetuſta declaratione רשעיא, hoc eſt improbi potius quam impij, quod ἀσεβεῖς proprie ſignificat. Paullo poſt, *Non veni vocare juſtos, ſed improbos*. Ecce hic juſtis opponuntur peccatores, nempe quia iidem ſunt cum improbis. Vtrumque verbum eſt forenſe. Nam in foro *juſtus* vocatur reus inſons, & *improbus* reus ſons, ὑπόδικος: unde lux illi loco, *Cum judicabitur exeat improbus*: cum litigabit exeat reus ſons, condemnetur.

27. Tibiarum uſus erat non in funeribus tantum, ſed etiam in nuptiis: unde Thalmud, quod eſt jus civile Iudæorum, *Tibiæ adhibentur ad exhilarandum ſponſum & ſponſam, aut ad plangendam mortuum. Ethnicus ſi attulerit tibias in ſabbatha, non planget illis Iſrael.* Ierem. 48. 36. ad locum, *ſicut tibiæ*, Thargum Ionathæ, qui Chriſti ævo floruit, *ſicut cantus tibiarum triſtis*. Intelligunt abſque dubio tibias funerum, quibus canebatur carmen lugubre

in funeribus: de quibus Ovidius in ſexto Faſtorum,
Cantabat mæſtis tibia funeribus.

Matth. 10.

2. Apoſtolorum) qui שלוחים Ebræis, aut שליחים .i. miſſi. Sed שליח Syrum potius quam Ebræum, a quo pluralis eſſet שליחין apoſtoli aut שליחא. Dicunt & צירים quæ vox obvia Abd. 1. *legatus in gentes miſſus:* ubi in LXX. περιοχὴν .i. מבצר. Sed in Hieronymi verſione *legatus*, & in Chaldaica Ionathæ אזגר, ubi & שליח miſſus, quod in emphaſi facit שליחא ὁ ἀπόστολος, ut משיחא unctus, Chriſtus; unde Meſſiæ nomen. שליחים reperies in hiſtoria Ebraica; ut & שלוחים miſſi, legati. Ab eo ſingularis eſſet שָׁלִיחַ, ſicut dicimus מָשִׁיחַ unctus: quod nomen eſt, ut משיח participium generis paſſivi. Hinc שליח הצבור legatus univerſitatis aut congregationis. Elias exponit שמש הקהל miniſter cœtus. Sunt qui æditũum & cuſtodẽ templi eo nomine innui putant. שליח בית דין *legatus domus judicij* .i. judicum, lictor qui infligebat quadraginta plagas una minus. שְׁלִיחַ Syrum eſt, שָׁלִיחַ Ebræum, ſi modo uſitatum. שליחין nuncij, ἄγγελοι qui aliquo mittuntur Ieſ. 44. 26.

Thaddæus) תדי quod ſine punctis ſcribunt תדיי vel תדאי. Prius invenies in Thanhuma ſive Thanchuma 28. 3. poſterius in Iohaſin 105. 2. R. Eliezer filius Thaddæi. In libro nominum ex Marco, *Thaddæus eſt corculum:* imo Lebbæus eſt corculum. Forte legendum ex hoc loco, *Lebbæus qui cognominatur Thaddæus, eſt corculum*. Thaddæus non a corde, ſed potius a mamma, quæ Syriace Thad vocatur, nomen accepit. Theodoretus in Numeros, quæſt. 16. Θαδδαῖος ὁ καὶ λεββαῖος. Lego ὁ καὶ Λεββαῖος. Res certa eſt.

5. In urbem Samaritanorum) in urbes q. d. Ne in

C. unam

unam quidem aut in ullam urbem, quod Ebraice diceretur, *in omnem urbem*. Simile, *abſcondit ſe in arbore paradiſi* .i. in arboribus vel inter arbores. Quod ignoratum Temperario, errandi cauſſam ei præbuit. Nam quę de ficu Indica hic ſomniat, folia farfari ſunt & Nęvij butubata. Vulgatus interpres, *in civitates Samariæ*, εἰς πόλεις. Syrus habet במדינתא, quod ſonat *in urbem*, ſi legas במדינתא: & *in urbes*, ſi legas במדינתא. Cum his diebus Syrum exemplar Viennenſe inſpicerem, nulla puncta repperi addita; quod locum plane ambiguum reddit, ut neſciamus quo numero uſus ſit interpres ille. Sunt qui de metropoli Samaria hunc locum enarrant, ſed tunc dixiſſet potius *in urbem Samariæ*. Vrbs Samariæ, ut *urbs Romæ*. Qualia ſunt, *herba Lapathi, arbor fici* &c.

9. In zonis veſtris) εἰς ταῖς ζώναις ὑμῶν, vertit *in zonis veſtris*, ac ſi eſſet ἐν ταῖς ζώναις ὑμῶν. In zonis pecuniam reconditam veteres geſtabant: unde caſtrenſe proverbium, *Zonam perdidit*, uſurpatur de iis qui nihil habent nummorum. Vide Chiliadas Eraſmi. Peregrinantes potiſſimum pecuniam in zonis ſecum habebant. Itaque adoleſcens jam jam profecturus, *Zonam*, inquit, *ſuſtuli*, apud Plautum in mercatore. Vnde lux illi loco, *Tunicam atque zonam & chlamydem afferto & cauſſam quam ille habeat, qui hanc lenoni huic vendat. Sa. hem probe. To. Quaſi ſit peregrinus*. Locus eſt in Perſa. Sic in Truculento, *Vbi eſt quod tu das? ſolve zonas*. Apuleius, *auro monetali zonis refertis incincta*. Quæ notata ſunt aliis. Addo doctoribus Ebræis hujuſmodi zonam פונדא dici .i. fundam, & אפונדא. Lexicon juris Ebraici, פונדא *eſt ea quæ vernacule funda dicitur, Chaldaice* פשקי של עור *bulga ex corio, quod eſt interpretamentum τῦ* חגורה *zona, cingulum*. Vide Thargum Ionathæ, Ieſ. 3. ubi פסיקיא ſcri-

ſcriptum. Vide quoque Davidem de Pomis ſive Pomarium in [illegible]. Non eſt omittendum Syrum interpretem habere *in crumenis veſtris*: & omnino Chriſti ea mens fuit ut non zonas tãtum, ſed etiam crumenas alias, atque adeo omnia pecuniæ conditoria ſignificare voluerit. Vt Syrus, ſic etiam interpretatur Eraſmus.

12. Salutate eam) Syrus, *petite pacem domus*. Quod ſequitur, dicentes *Pax huic domui*, Ebraice diceretur שלום לבית הזה, vel certe שלום הבית הזאת ſalua ſit hæc domus. Nam Salom ſaluus .i. Salem, unde in epiſtolis Ebraicis שלום אתה ſalue, vale. Ad verbum, *ſaluus tu eſto*: Etiam textus ita loquitur. Vetuſti codices Græci *εἰρήνη ἐν τῷ οἴκῳ τούτῳ*, pax in hac domo.

16. Prudentes ſicut ſerpentes) ſerpentis aſtutia in proverbio eſt, quam hic prudentiam appellat, quæ nihil aliud eſt quam naturalis inclinatio ad evitandum malum, quam Stoici *ἔκκλισιν τοῦ κακοῦ* vocant. Reſpexit autem ad locum qui habetur Gen. 3. 1. *Et ſerpens erat aſtutior omni beſtia agri*, ubi veteres libri editionis τῶν LXX. *φρονιμώτερος*, & alij *φρονιμώτατος*; & Aquila *πανοῦργος*: quod vox Ebræa proprie ſignificat.

25. Non Zebul eſt ſtercus, ſed Zebel; quo forte alluſum in Beelzebul. Sane idola p contẽptum גלולים nuncupantur 1. Reg. 15. 12. & 2. Reg. 17. 12. hoc eſt ſtercora. Solitũ aũt Ebreis talia nomina immutare ad majorẽ contemptũ Qua de re alias. Zebul magis notat habitaculum *ἀπὸ τοῦ* זבל habito: unde Zabulon un⁹ ex filiis Iacobi patriarchæ.

28. In Gehenna) Gehennæ vocabulum pro ipſis inferis Chriſto antiquius eſſe facile mihi perſuadeo. Nam eo uſus fuit Ionathan Vzielis filius Chriſti coætaneus. Hieronymus tamen negat in antiquis libris inveniri. Vide ſis annotationem Eraſmi ad hunc locum. Quos appellet anti-

antiquos libros, neſcio: hoc ſcio, librum Aboth non eſſe tam antiquum ut Hieronymi ſententiam evertere poſſit. Nam ſcriptus eſt poſt Chriſti tempora. Eum nos olim magna ex parte Latinum fecimus. Continet autem apophtegmata ſapientum Ebræorum.

Matth. 11.

11. Surrexit) extitit, ut Gen. 41. 30. *ſurgent ſeptem anni famis:* exurgent, exiſtent. Sic Exod. 1. 8. *ſurrexit rex novus*, ubi poſſes exponere, exortus eſt. Num. 12. 6. in Ionatha, *ſi eſſent omnes prophetæ qui ſurrexerunt a diebus ſeculi.* Manahem Ricinenſis in Pentateuchum 185. 2. *Non ſurrexit propheta ſicut Moſes*, non extitit. De Moſe Ægyptio dictitant, *a Moſe uſque ad Moſem non ſurrexit ſicut Moſes.* Cui ſimile, *A Paulo uſq. ad Paulum non ſurrexit ſicut Paulus.* Dictum eſt Eliæ Levitæ Germani de Paulo Fagio.

In regno cœlorum) vel *cæli*, hoc eſt Dei. Sic enim certe legimus Luc. 7. *Minor in regno Dei.* Vide & Luc. 15. 18. In Thalmud, *Filij Belial, qui excuſſerunt jugum cæli*, quod eſt *jugum regni cælorum*, & *jugum Dei*, dicente Chriſto, *jugum meum ſuave eſt.* Regnum ergo Dei, ubi Deus regnat. Regnat aũt in eccleſia, ubi doctrina euangelij vera & incorrupta. Porro cœlum inter epitheta Dei apud Ebræos in frequẽti uſu, ut cum dicunt, *Sit timor * principis tui ſicut timor cæli:* item, *Omnia ſunt in manu cæli præterquã timor cæli.* .i. in manu aſtrorum, & *timor cæli* .i. Dei. Sic vocant pietatem καὶ θεοσέβειαν. Dicunt etiam, *Qui venit ut ſe mundet, adjuvant eum * è cælo. Qui venit ut ſe polluat, impellunt eum è cælo.* Nam gratia Dei adjuvat, & ira impellit. Scitum illud, *Indurabo quem indurabo, & miſerebor cujus miſerebor.*

* Alias præceptoris tui.

* .i. divinitus.

19. Filius hominis) non eſt τῆς ἀνθρώπου in fonte, ſed τοῦ ἀνθρώπου; id eſt האדם, quo modo κατ' ἐξοχὴν vocatur primus parens, ut cum legimus, *homo & uxor ejus*; ſen-

 ſus

ſus eſt, Adam & uxor ejus. Porro Adami filia fuit Maria, ex qua natus ὁ σωτὴρ, qui propterea dicitur *filius hominis*.

21. In ſacco & cinere) ſaccum induebant & cinere caput opplebant aut aſpergebant pœnitentes, qui in luctu erant ob præteritam vitam male tranſactam. Alioqui ſaccus, quem noſter interpres cilicium appellat, veſtis erat lugubris. Veteres etiam in cinere lugentes ſedebant, ut Iob. 2. 8. & Vlyſſes apud Homerum,

Ὣς εἰπὼν κατὰ ῥ᾽ ἕζετο ἐπ᾽ ἐσχάρῃ ἐν κονίῃ Πὰρ πυρί. Priamum quoque Homerus mortem Hectoris lugentem in cinere ſediſſe narrat. Porro cilicium ſive ſaccum induebant etiam prophetæ cum populum ad pœnitentiam hortabantur.

23. Numquid uſque in cœlum exaltaberis &c.) Hieronymus teſtatur ſe in altero exemplari inveniſſe, *quæ uſque in cœlum exaltata es, uſque ad inferna deſcendes.* Quam lectionem etiam Syrus expreſſit. Vtraque reperitur in codicibus Græcis. Vulgatior tamen quæ poſterior. Borchardus autor hanc urbem, quæ olim potens erat, ſuo tempore vix octo tuguria habuiſſe. Nam deſolata penitus tunc erat, ut etiam Chorozain. Inter Chriſti patrias numeratur. ſonat autem ut ſi dicas, pagus Nahum. Nam Chaphar pagus, & Nahum .i. נחום nomen proprium viri. Sic, *Chaphar Hanina*.

25. Reſpondens) locutus aut continuans orationem, vel, ſi mavis, continuato ſermone. Verbum ענה, cui reſpondet Græcum ἀποκρίνομαι, frequens eſt hoc ſignificatu in Iobo & Daniele. Loca proferrem, ſi res hodie controverſa eſſet. Quod nemo negat, id probationis non indiget.

Matth.

Matth: 21.

20. Ad victoriam) εἰς νῖκος hic in Græcis codicibus interpretamentum eſt τοῦ לנצח, quod alij reddunt *in perpetuum*, aut *in ſempiternum*. Quanquam נצח vinco, unde εἰς νῖκος. Sed vide quæ notavimus 1. Corinth. 15. 54. & Iob. 36. 7. Memineris etiam apud prophetam eſſe לאמת ad veritatem: quod nuſquam alibi, me ſciente, ſic interpretantur.

29. Pervenit ad vos regnum Dei) hoc eſt euangelium, quod & regnum cœli. Sane Tertullianus de reſurrectione carnis, cap. 35. *recumbere in regno Dei* dixit pro eo quod in Græcis, Latinis & Syriacis codicibus, *in regno cælorum*: ubi aliud ſignificat, nempe beatiſſimam illam vitam in cœlo nobis repoſitam. Olim regnum cœli dicebatur ipſa lex, unde R. Salomo Ieſ. 19. 18. de iis loquens quos captos ab Aſſyriis Ezecias libertati reſtituit, *receperunt ſuper ſe regnum cæli*: quod R. David in commenta. ad illum locum, *redierunt ad fidem Iſraelis*: & *redierunt ad fidem Dei*. Ergo regnum cœli eſt eccleſia militans tam vetus quam nova: vel ſane tam lex quam euangelium. In libro qui vocatur Ilmedenu, vel potius Ielammedenu 31. 3. *conſenſerunt omnes uno corde ad recipiendum ſuper ſe regnum cæli cum lætitia* .i. legem. Sic in libro Muſar 118. 2. *qui recipit in ſe regnum cæli*. Nec refert cœli dicas an cœlorum. Nam eſt SAMAIM nomen duale tantum, inter Dei epitheta notiſſimum in vulgus. Huc refer Chryſoſtomi illud ex opere imperfecto, *Auferetur a vobis regnum Dei & dabitur genti facienti fructus ejus*. In monumentis doctorum, *R. Simeon filius Iobhi, Tria rejecerunt Iſraelitæ in diebus Roboami, regnum cæli & regnum domus David & domum ſanctuarij. R. Simeon filius Menaſia dicit; non oſtendent ſignum redem-*

ptionis

*primis Iſraeli donec redierint & quaeſierint illa tria. Hoc eſt quod dicitur Hoſ. 3.5. poſt revertentur filij Iſrael & quaerent DOMINUM Deum ſuum, hoc eſt regnum caeli: & David regem ſuum, ut verba ſonant: & * pavebunt ad DOMINUM & ad bonitatem ejus: hoc eſt domum ſanctuarij, ſicut dicitur Mons bonus iſte & Libanus.* Habemus haec in commentariis Davidis cognomento Camij Hoſ. 3.5.

* Pavidè ſperant.

39. Adultera) .i. peccatrix. Contra *mulier peccatrix* .i. adultera. Et γενεὰ genus hominum, natio, ut *natio grammaticorum*. Obvia haec locutio infra 16. 4. Sed & Marc. 8. 38. *Natio adultera & peccatrix*: ubi copulans exegeticōs poni videtur pro, id eſt peccatrix. Quale illud Virgilij,

Iudicium Paridis ſpretaeque injuria formae,

hoc eſt ſpretae injuria formae.

Matth. 13.

14. Auditu audietis) ἀκοῇ ἀκούσετε. Hiero. *audite auditu & videte viſu.* Infra verſ. 15. *auribus audiant.* Sed & ἀκοὴ aures, ut poſſis vertere, *auribus audietis.* Cui ſimile in Plauti Captivis, *memoria memini.* Non eſt Ebraiſmus. Nam Ebraei dicerent *audiendo audietis*, & *recordando recordor* aut *recordatus ſum*: item *videre videndo*. Sic *videndo vidi vexationem populi mei*, quod elegantius diceretur, vidi vidi vexationem populi mei. Nam repetitio non caret emphaſi. Iob. 42. 5. in editione vulgata, *auditu auris audivi te*. Zacha. 6. 15. in eadem, *ſi auditu audieritis vocem.* Vide Acto. 28. 26. Levicula & parva haec quis negat? ſed tamen haec parva qui ſpernet nunquam ille magnus erit.

20. Qui ſermonem audit) in quibuſdam Latinis additum *Dei* fruſtrà. Nam ὁ λόγος eſt ſermo Dei, ut ἡ ὁδὸς via Dei. Sic *praeceptum*, praeceptum Dei: *verbum*, ver-

bum

bum Dei, etiam ſine articulo. Paullo poſt, *propter ſermonem*, διὰ τὸν λόγον. Hinc lux illi loco, *Gloria Dei celare verbum, & gloria regum ſcrutari verbum.*

35. Aperiam os meum) non omnis qui aperit os loquitur, & tamen aperire os dicitur qui loquitur. Quandoque additum, *& locutus eſt.* Legimus etiam, *aperuit & dixit* pro aperuit os ſuum. Alibi, *ſic non aperuit os ſuum*, pro non eſt locutus. Loquitur autem in judicio qui ſe defendit cauſſamque agit & jus quod habet per ſe vel per alium tuetur. Sic uſus eſt hoc verbo aliquoties Iobus. Sed & David rex cum ait, *ut juſtus ſis, cum loqueris* .i. cum cauſſam ages in judicio.

52. E theſauro ſuo) מאוצרו e theſauro penario. Cicero cellam penariam appellat. Triplex theſaurus, auri & argenti, frugum & eſculentorum poculentorumque, hoc eſt eorum omnium quæ in penario ſervamus recondita. Penum appellant & penus & penu. Igitur *e theſauro ſuo* .i. e penu ſua: niſi potius ut hæc intelligamus de loco in quo fruges reconduntur, apothecam vocant. Nova enim & vetera ſunt novæ ac veteres fruges: ut cum dicimus *menſis novorum*, τῶν νέων, .i. novarum frugum. Quanquam ſunt qui per nova & vetera innui exiſtimant novum & vetus inſtrumentum, hoc eſt euangelium & legem: quæ profert ſcriba doctus in regno cœlorum. Nam inde ſua dogmata omnia extruit, & quicquid omnino docet ex hoc theſauro tanquam e penu aut apotheca depromit, non ex Ariſtotele aut commentis hominum: quod faciunt hodie qui nomine tenus theologi, revera tantum ſophiſtæ aut catechiſtæ ſunt. Non omnes Bacchi ſunt, qui thyrſos gerunt: non omnes coqui, qui cultros geſtant.

Matth. 14.

1. Famam Ieſu) שמעה דישוע ἀκοὴν τοῦ Ἰησοῦ, famam aut rumorem de Ieſu. Ad verbum, *auditionem Ieſu*: quod vocabulum Cicero & Cæſar uſurpant pro fama & rumore. Sic Gen. 29. 13. *quum audiſſet Laban auditionem Iacobi*: & 1. Reg. 10. 1. *Regina Saba audiens auditionem Salomonis* .i. famam de Salómone. Hieronymus, *audita fama Salomonis*. Syrus hic habet *famam Ieſu*, quæ ſparſa erat de Ieſu. Sic Marc. 1. ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ, *fama de illo*: & Marc. 13. ἀκοὰς πολέμων, rumores bellorum. Vide Iob. 28. 22.

2. Pueris ſuis) τοῖς παισὶν αὐτοῦ .i. ſervis. Ebraice לנעריו, ut Gen. 22. 5. εἶπεν Ἀβραὰμ τοῖς παισὶν αὐτοῦ, dixit Abraham ſervis ſuis. Sic Gen. 49. 35. ... ἰδοὺ ἐσμὲν οἱ παῖδές σου, & ſic paſſim in editione τῶν ἑβδομήκοντα. Quocirca recte Syrus hic vertit לעבדוהי *ſervis ſuis*. Significat etiam puerum ſenſu & intelligentia, ut Proverb. 1. 4. παιδὶ νέῳ לנער *puero ſcientiam* &c.

10. Miſitque & decollavit) Latine, miſit qui decollaret. Nam non ipſe decollavit eum, ſed ſpiculator ſive carnifex, quem ad eam rem miſerat in carcerem. Marc. 6. *miſſo ſpiculatore juſſit*:

25. Quarta vigilia noctis) ſic Marci 6. 48. *circa quartam vigiliam noctis*. Olim tres tantum erant vigiliæ, & ſingulæ quatuor horarum. Vbi quatuor, ibi unaquæque continebat horas tres. Nam ut diei, ſic etiam noctis horæ duodecim. Vide Obſervat. meas.

24. In terram Geneſar) codices Græci γεννησαρὲτ, quod Latini ſcribunt Genneſareth. Hieronymus ad hunc locum, *Si ſciremus quid in noſtra lingua ſonaret Genneſareth intelligeremus quomodo Ieſus per typum apoſtolorum & navis, eccleſiam de perſecutionum naufragio liberatam tranſducat ad littus & in tranquilliſſimo portu faciat quieſcere*,

cere, nempe in horto principum, quod ſignificat Geneſar. גַּן hortus, שַׂר princeps qui & סַר. Libet nominum Ebraicorum, *Geneſar, ortus principium*. Ortus pro hortus, ut alibi *umerus* pro humerus: & principium pro principum. Sic Iuſtinus hiſtoricus locutus eſt. Sic dicebant civitatium, penatium, apium, paludium, ſapientium, antiquo genitivo, quem & Pandectæ Florentinæ & plerique libri veteres agnoſcunt. Principium legitur etiam apud Licinium, titulo de ſtupratoribus. Ad quam formam Salluſtius dixit *hominium* pro hominum, de bello Iugurthino, *neque illi res neque conſilium, aut quiſquam hominium ſatis placebat*. Quod autem in eodem libro, *ſive initium nativitatis*, purum putum gloſſema eſt, a ſcioſo quodam temere adjectum. Torquet hic Eraſmum quod ait, *ſi ſciremus quod in noſtra lingua ſonaret Geneſareth*, quod pro eo habendum ac ſi dixiſſet, ſi pariter mecum omnes ſcirent, & *in noſtra lingua*, hoc eſt in lingua Latina. Quod autem ſe inter neſcientes ponit ſolens facit & more eorum qui aliorum vitia publice reprehendunt.

Matth. 15.

2. Seniorum) .i. ſenum. Senes erant alij priores, alij poſteriores: priores הראשונים dicuntur, qui proxime Ioſuam ſecuti ſunt: unde in libro Aboth, *Ioſue tradidit ſenibus*. Hi ordinarunt ut legeretur lex ter in hebdomada. Liber muſar 47. 1. Poſteriores האחרונים ſunt viri ſynagogæ magnæ, numero centum viginti: in queis Ezras, Nehemias, Daniel, Mardochæus, Zorobabel, &c. Hi legem acceperunt a prophetis & canonem conſtituerunt, ut communis opinio eſt: item partiti ſunt libro viginti quatuor in legem, prophetas & hagiographos, quibus Danielem annumerarunt. Interfuerunt.

Forte ſenum .i. ſapientum, ut Pſal. 105. 22.

runt huic ſynagogæ ſive ſynodo prophetæ poſteriores Haggæus, Zacharias & ultimus prophetarum Malachias. Senes etiam vocantur judices ſynedrij magni, quod Sanhedri gedola vocant: quorum princeps fuit ante natum Chriſtum Hellel, quem Ioſephus Pollionem appellat, & pater domus judicij Samæus ſenex. Dico Samæus ſenex, quoniam hoc epitheton ei peculiariter tributum reperio, ut & Helleli, cujus cum meminerunt, dicunt Hillel ſive Hellel ſenex. Porro qui hoſce judices hic ſenum nomine denotari putabunt, ſi forte alios, me certe non habebunt ſibi adverſantem. Qui autem explicat, *ſeniorum* .i. majorum, interpretatur traditionem patrum, quæ a Græcis vocatur πατροπαράδοτος ἐντολὴ aut διδαχὴ, quæ eſt doctrina ex patrum traditione quaſi per manus accepta.

8. Appropinquat) ἐγγίζει. Hic eſt נגש Ieſ. 29. 13. & alibi קרב, quod eodem recidit. Appropinquamus Deo, inquit autor More, qui eſt Moſes Cordubenſis, quem vulgo Ægyptium nuncupant, parte prima, cap. 18. per ſcientiam viarum ejus, & contra recedimus ab eo per ignorantiam. Ergo propinqui Dei, qui & *noſcentes ejus*, id eſt ידעיו, qui Deum ita colunt ut etiam norint. Nam qui non novit, nec colit. Cultus enim ex ſcientia rerum divinarum. Scitum illud, *Quia tu ſprevisti ſcientiam, ſpernam ego quoque te ne ſacerdotio mihi fungaris.* Vt zelus quidam eſt non ſecundum ſcientiam, ita etiam cultus, ſed Deo minime gratus. *Deum colit*, inquit Seneca, *qui novit.* Tales appellantur *propinqui Dei*, ut ibi, *in propinquis meis glorificabor.* Contra *longinqui ejus* vocantur homines improbi & qui nullam habent Dei notitiam Pſal. 73. 27. Hinc intelliges quid ſit Epheſ. 2. 13. *Qui olim eratis procul, nunc propinqui facti eſtis.* Rurſum

Pſal.

Pſal: 73. 28. *propinquum eſſe Deo mihi bonum eſt*. Id alius dixit, *adhærere Deo*; & alius *appropinquare Deo*. Sed aliud appropinquare Deo corde, & aliud ore tantum. Corde appropinquant vere pij, ore tantum hypocrytæ, quorum cor procul abeſt ab eo. Id ſignificant ſequa verba, *cor autem eorum procul abeſt a me*.

17. In ſeceſſum) ſeceſſus eſt ſeceſſio in locum ſecretiorem. An etiam locus ſecretior? Eraſmus hoc ſenſu uſus eſt. Sed & interpres noſter vulgatus. Alius maluit latrinam. Syrus habet תרבותא quaſi tu dicas locum in quo alvus purgatur. Ebraice מושב conſeſſus, & בית הכסא domus ſedis, & מקום locus ſimpliciter. Mirum autem quum Deum abſolute Μακομ appellent, cur eandem vocem transferant ad latrinam, quæ Catoni dicitur ſella familiæ, Varroni autem ſella familiarica & ſella ſimpliciter, Marcello Empirico, qui & ſedere dixit pro niti, ut Vegetius adſellare pro ἀφοδεύειν. Ceterum latrina privati uſus eſt, ut forica publici, ſi non fallit nos Hadrianus Iunius Batavus.

19. Ex corde exeunt) cor fons eſt omnium cogitationum tam bonarum quam malarum, cui oculos adjungunt: unde dictitant *Oculi* (alias oculus) *& cor proxeneta peccati*. Nam oculus concupiſcit, & cor perficit. In libro qui vocatur per ſigla רח״הק .i. principium ſapientiæ breve; 40. 1. *Si dederis mihi*, ait Deus, *cor tuum & oculos tuos, ego ſcio te meum eſſe*. Nam Deus cor requirit. Sed & oculos, in quibus ſedes concupiſcentiæ.

21. In partes Tyri &c.) Sic alibi, *in partes Galilaæ*: & *in partes Caeſaraæ*: &c, *venit in partes Dalmanutha*. Quod noto propter Sulpicium noſtrum, in quo *pars turris Gader* vocatur tractus ille in quo turris Gader. Sic *in parte Zabulon*, quod idem cum illo, *in*

tribu Zabulon. Exod. 16. 35. εἰς μέρ☉ τῆς Φοινίκης legitur pro eo quod in fonte, *ad terram Chanaan*, vel potius, *ad extremum terræ Chanaan*. Magna eſt affinitas inter חלק pars & חקל ager: unde Haceldema, ager ſanguinis. Quid ergo mirum ſi pars pro agro ponatur? Sane legimus Amos 4. *pars una compluetur & pars ſuper quam non pluet, areſcet:* ubi חלקה in Ebræo, & ſignificat agrum vel partem agri. Huc refer quod Iudæi orbem dividunt in ſeptem partes, quas חלקים appellant .i. climata, vel regiones ארצות, ut quidem R. David explicat.

22. Mulier Chananæa) כנענית, quæ Marc. 7. 26. Syrophœniſſa dicitur, nempe quia Græci Phoenices appellant quos Ebræi Chananæos vocant. Chananæa igitur quæ ex terra Chanaan proprie dicta, cujus incolæ Chananęi vocabantur, & erant una ex ſeptem gentibus terræ Chanaan. Nam id nomen ſæpius generis locum obtinet. Hic anguſtius accipitur, ut cum *Chananæus* pro mercatore ponitur. Nam quia regio eorum ad mare ſita erat, ideo mercaturæ dediti erant præ ceteris: unde mercatorem cum ſignificare vellent Chananæum dicebant. Res nota ex ipſo textu. Hæc terra etiam Phœnicia dicebatur, unde Ioſ. 5. 1. *reges Chananæi* .i. Chananæorum, a Gręcis interpretibus redditur βασιλεῖς τῆς Φοινίκης. Sic terra Chanaan μέρ☉ τῆς Φοινίκης. Quod tamen non laudo. Nam ibi terra Chanaan in lata ſignificatione ſumitur. Similiter Palæſtina vocatur & univerſa terra Chanaan, & pars ea in qua Philiſthæi, qui & ἀλλόφυλοι, habitabant ad mare Syriacum ſita non procul ab Ægypto.

26. Canibus) ita Syrus, ut mox, *canes veſcuntur de micis:* ubi noſter *catelli edunt de micis*. Vtrobique eſt κυνάρια in fonte Græco. Per canes autem hic intelliguntur gentes, quos Iudæi canum loco habebant, ex quorum

rum opinione hæc dicit ὁ σωτὴρ: unde & adagium illud, *Ne date ſanctum canibus.* Nam ſe ſanctos ſuaque omnia ſancta putabant, quæ nolebant communicari cum gentibus. Canis enim animal eſt maxime prophanum, quo loco Iudæis erant omnes gentes. Ego per canes non tantum prophanas gentes innui putarim, ſed homines tales qui videlicet adeo prophani ſunt, ut veritatis doctrinam non ſolum non admittant, ſed etiam irrideant, ejuſque præcones conviciis lacerent & occidant.

Matth. 16.

17. Caro & ſanguis) בשר ודם σὰρξ καὶ αἷμα. Sic hominem appellant. Nam homo conſtat ex carne & ſanguine, Thanchuma 5. 1. per ſigla ſcribunt ב״ו, unde מדות ב״ו mos hominis in libro Muſar 113. 2. Sirach. 14. 15. γενεὰ σαρκὸς καὶ αἵματος, natio carnis & ſanguinis .i. genus humanum. Vſurpatur etiam de natura corrupta 1. Corinth. 15. 50. *caro & ſanguis regnum Dei non poßidebunt:* & de animantibus in genere. R. David, *offerunt carnem & ſanguinem* .i. animalia. Et de corpore tantum. Manahemus, *Corpus vocatur caro & ſanguis.* Sæpius de natura humana, unde, *rex caro & ſanguis*, qui homo ſit. Nam etiam Deus rex eſt.

14. Sapientes mecar, hoc eſt ſcrutatores hujus ſeculi aut rerum naturalium, videntur in ea opinione fuiſſe, in qua olim fuerunt Pythagorici de traductione ſive tranſlatione animarum in aliud corpus, quam vocant μετεμψύχωσιν, quando anima ex corpore uno animato in aliud traducitur, quod exprimunt verbo μετεμψυχοῦν ſignificante tranſlationem in aliud ἔμψυχον: in qua ſententia & Plato fuiſſe putatur reprehenſus eo nomine ab Athenæo. Cognata his ſunt quæ de volutatione animarum quidam ſcribunt, quam fingunt per tria corpora

volu-

volutari: ſicut Adami anima volutata eſt per corpus Davidis, & deinde per corpus Meſſiæ. Quod innui exiſtimant tribus literis nominis Adam אדם, ut prima ſignificet ipſum Adamum, ſecunda Davidem, tertia Meſſiam. Hanc volutationem appellant גלגול בבשורת. Nam eſt alia, quam vocant גלגול מחלות cavernarum, de qua fortaſſe alias. Dico fortaſſe, quoniam vix digna hæc cenſeo quibus impleantur aures Chriſtianorum, niſi quatenus faciunt ad intelligentiam textus. Qui certe unicus ſcopus eſt ſemperque fuit meorum ſtudiorum.

18. Portæ inferi) Nove dixit *inferi*, pro inferni: quod quare ut minus Latinum rejiciant, neſcio. Nam ſubintelligitur loci. Locus inferus quid aliud quam infernus? Vſus fuit eo vocabulo Lactantius in carmine quodam. Sed & interpres noſter Pſal. 48. 16. & 88. 49. de manu inferi: & Proverb. 7. 27. *via inferi via ejus*, & Ieſ. 38. 10. *vadam ad portas inferi*, & Ion. 2. 3. *de ventre inferi clamavi*. Sic Eccleſiaſt. 28. 25. *inferus utilis*. Ceterum in portis olim jus dicebant, unde forte an *porta inferorum*, juriſdictio Satanæ, ſub cujus imperio continentur omnes improbi, qui ſunt tanquam organa & flabella ejus: vel, ſi placet, ſatellites, quibus utitur ad evertendam eccleſiam Chriſti. His adduntur peccata & ea omnia quæ nobis ad inferos aditum patefaciunt. Aut portæ inferorum vocantur ipſi inferi, quos Euripides ᾅδου πύλας nuncupat. Vide Cl. Theodorum hoc loco.

24. Tollat crucem ſuam) tollat in humeros vel in caput: & tollat geſtandam aut portandam; vel, ſi placet, ferendam. Qui diſtinguunt inter tollere crucem & portare crucem, vim ac proprietatem verborum ignorant. Αἴρω eſt tollo: item porto, geſto, fero. proprie ſublatum porto, aut quod ſuſtuli in humeros id fero. Sic [illegible]

Ebræis,

Ebræis, quod modo per αἴρω reddunt, & modo per fero. Hinc intelligentiam habet, *agnus qui tollit* (alias portat) *peccata mundi*. נשא αἴρων. Ioh. 19. 17. *& ipſe portans crucem ſuam*; βαςάζων, *bajulans*.

25. Animam ſuam ſervare) explicant, ſeipſum ſervare: non male. In libro ſelectorum apophthegmatum, qui continet dicta ſapientum Arabiæ, *Qui amat animam ſuam, occidit eam*, hoc eſt ſeipſum, aut vitam ſuam. Scholion, *Applicate animum veſtrum ad occidendum voſipſos ob verba legis & cultum Dei benedicti ſive laudandi, & ad adfligendum voſipſos per jejunium. Quod ſi feceritis, vivet anima veſtra in paradiſo &c.*

26. Anima vero ſua multetur) Chriſtus non tam vitam intelligit, quam animam proprie dictam, quæ pars eſt hominis honoratior, quam ideo gloriam vocant .i. כבוד & animam rationis participem. Ea multatur homo per mortem æternam ſive ſecundam, quæ propterea mors animæ dicitur. Sic accipitur hoc nomen in illo, *animam non poſſunt occidere:* qui locus de vita non poteſt intelligi. Nam vitam occidit qui hominem. Sic latro dicitur occidere animam, id. eſt vitam corporis animati.

Non guſtabunt mortem) non morientur. Idem dicit, *non videbunt mortem*. In libro articulorum fidei, quem compoſuit Ioſeph Albo Sorienſis Hiſpanus, *non guſtavit guſtum mortis:* de Elia loquitur, quem Apoſtolus aſſerit non vidiſſe mortem. Deut. 32. 1. Ionathan & autor Ieroſolymitanæ ſcribunt homines eſſe teſtes qui guſtant mortem in hoc ſeculo: cœlum autem ac terram eſſe teſtes qui non guſtant mortem in hoc ſeculo. Quale cœlum, tales etiam cœleſtes creaturæ. Nam conſervantur in ſuis individuis. Ceterum Chryſoſtomus hunc Mat-

thæi locum ita explicat, & bene, meo judicio, *niſi me ante regnantem viderint, non morientur*.

Matth. 17.

1. In montem excelſum) montem Thabor fuiſſe putat Hieronymus, quem Tabyrium appellat epiſtola quæ ad Marcellam, *Pergemus ad Tabyrium & tabernacula Salvatoris cernemus*. Suſpicor legendum *Itabyrium* .i. ἰταβύριον. Sic enim certe LXX. illum montem vocant Hoſ. 5. 1. *Hanc habentes conſuetudinem*, inquit idem Hiero. *ut Ebræa nomina Græco ſermone declinent, ſicut Edom & Seir ſemper Idumæam interpretantur. Eſt autem Thabor mons in Galilæa ſitus in campreſtribus, rotundus atque ſublimis, & ex omni parte finitur æqualiter. Hunc montem & in Ieremiæ LXX. Itabyrium tranſtulerunt, in quo aves laqueis capi ſolent.* In Ionathæ loco citato vocatur mons altus ſive ſublimis טור רם. Forte ita κατ' ἐξοχὴν olim appellatus fuit. Compoſitor hiſtoriæ Ebraicæ, *Tranſtulit ſe Veſpaſianus ad montem Thabor, qui eſt mons nivis, cujus altitudo triginta ſtadiorum: vertex autem montis habet planitiem viginti trium ſtadiorum*. Occidentem reſpiciebat, unde pro occidente ponitur Pſal. 89. 13. ut Hermon pro oriente. Aberat a Naſareth duarum horarum itinere, Maſius in Ioſuam 289. nuncupatur quoque mons ſanctus 2. Petr. 1. 18.

2. Alba ſicut nix) infra 28. 3. *veſtimentum ejus album ſicut nix*. Notum proverbiale, *nive candidior*: quod invenies Thren. 4. 7. *candidiores fuerunt Naziræi ejus nive*. Marc. 9. 3. *candida nimis velut nix*. Num. 12. 10. *candens lepra quaſi nix*. Pſal. 50. 9. *ſupra nivem dealbabor*. In Græca ſcriptura eſt, *alba ſicut lux*: quam Syrus interpres expreſſit. Notatum tamen in uno exemplari eſſe ὡς ἡ χιὼν, ſicut nix. Ego qui lucem ſplendentem lego

Pro-

Proverb.4.18. candentem aut albam nondum legi. Quæramus ergo amplius.

18. Increpavit illum) ſpiritum an dæmonem? Sic mox, *non potuimus ejicere illum:* oratio ſenſu congrua, non voce. Nam præcedit τὸ δαιμόνιον, dæmonium. Quocirca in Græcis eſt αὐτὸ illud: ſed interpres noſter videtur legiſſe αὐτὸν, uſus forte an exemplari, in quo ita ſcriptum fuit. Nam αὐτῷ quod præcedit ambiguum eſt & referri poteſt tam ad puerum quam ad dæmonium. Nos ad ſpiritum referri non incommode poſſe judicavimus, qui eſt genus dæmonij. Sed fruatur quiſque judicio ſuo. Tantum excuſare volui hic interpretem, cui periculum erat a ferula Serarij Ieſuitæ, quoniam in pueriles grammaticorum regulas tam pueriliter peccavit: quaſi vero viri docti teneantur per omnia illis regulis, aut ſerviliter iis adſtricti ſint, ut non poſſint vel latum unguem ab iis diſcedere. Profecto poſſunt vel exemplo claſſicorum autorum, quales ſunt, Cato, Varro, Plautus, Cicero & alij.

24. Didrachma) in libris veteribus didrachmam, quod excuſari poſſet ex conſuetudine illius ævi, quo vixit interpres noſter. Nam eo tempore dicebant *paſcua* in numero ſingulari, unde *oves paſcua tua:* item chronica, chronicæ a plurali τὰ χρονικά. Sic biblia, bibliæ a plurali Græco τὰ βιβλία, cujus ſingulare τὸ βιβλίον. Eſt autem τὸ δίδραχμον dimidia pars ſicli ſacri, quæ בקע vocatur Exod. 38. 26. a findendo. Nam eſt ſicli fiſſi ſive fracti dimidium. Eum pendebant viritim ſive per capita nati annos viginti uſque ad quinquageſimum, quem poſtea Iudæa ſubacta Romani exegerunt. Dicitur & cenſus Matth. 22. 17. ubi Syrus, argentum ſive pecunia capitis. Porro dimidij ſicli mentio Gen. 24. 22. *dimidium ſicli pondus ejus.*

Matth. 18.

6. In profundo maris; in pelago maris. Nam Græce ἐν πελάγει τῆς θαλάσσης: quod Ebręi dicerent בפלגוס הים; vel, ut eſt apud Moſem a Gerunda Gen. 14. 7. בפלגוס של ים: Eſt autem pelagus medium aut profundum ſive altum maris. Sane Pſal. 46. ubi codices Ebræi *in corde maris*, Thargum habet, *in pelago maris*: Sic etiam Exod. 15. 8. niſi quod illic, *in medium pelagi maris magni*: Loquor de Thargum Ionathæ, quod extat in Moſem, & ab Elia citatur in Lexico Chaldaico, quod Methurgeman appellat. Hinc David Pomarius *pelagus* interpretatur dicens eſſe *cor maris*: Cor .i. medium, unde piſces pelagij opponuntur littoralibus. R. David Pſal. 107. 24. ad locum, *e profunditatibus maris*, annotat profunditatem maris eſſe ipſum pelagus: & ante, *Quum ſunt aquæ multæ*, inquit, *ut in pelago maris*. Id ſcribunt פלגוס vel פילגוס: & πελάγιοι pelagij vel pelagici piſces in alto degentes; aut, ſi placet, in medio mari: a quibus diverſi αἰγιαλῶδεις littorales, in littore degentes. Medium pelagi ſic dicitur ἐκ παραλλήλου, ut *terra pulveris, lutum cœni* & alia ejus generis.

15. In libro ſelectorum apophthegmatum, cap. 20. *Si te injuria ſocius tuus affecerit, reprehende illum inter te & ipſum ſolum. Quod ſi audiverit te, jam lucratus es eum: ſin, dicito ei coram uno atque altero, ut audiant eum. Quod ſi ne tunc quidem audiverit, habeto eum pro ſocio vili.* Habentur hæc pag. 66. apophthegmatum a me latinitate donatorum. Ibidem, *Amo eum qui mihi crimen meum indicat inter me & ipſum ſolum*: &, *Amicus qui tibi crimen tuum indicat inter ipſum & te ſolum, quo tempore obviam tibi fit; melior eſt quam ſi daret tibi denarium aureum.* Hic queri poteſt ſi quis aliquid ſcribat, quo privatim fratrem ſuum offen-

offendit, an frater ille teneatur privatim eum admonere priuſquam publicet aut ad alios deferat. Reſpondeo teneri & peccare graviter qui contra facit. Nam demus hæreſin eſſe quam in ipſius ſcriptis obſervavit, debet eum monere de illa hæreſi priuſquam pro hæretico habeat aut fugiat, juxta illud Apoſtoli, *Hæreticum poſt unam atque alteram admonitionem fuge.* Non eſt ergo fugiendus; niſi prius ſemel bis monitus fuerit. Quod ſi reſipuerit interea, tunc pro fratre habendus eſt, non fugiendus. ita mihi videtur.

17. Dic eccleſiæ) utrum collegio ſeniorum, an multitudini? illud Theodorus, hoc alij opinantur: pro quibus facit conſuetudo Iudæorum, qui talem pudefaciebant coram multis, ejuſque delictum publicabant: ipſum autem habebant pro ſocio vili, quales erant ethnici & publicani. Vide Præterita mea, pag. 40. ad, *Si peccaverit in te* &c.

18. In cœlo) ἐν τῷ οὐρανῷ. Codex antiquus ἐν τοῖς οὐρανοῖς, in cœlis. perinde eſt. Nam Ebræi dicerent בשמים numero duali, non plurali: niſi dicamus duplicem eſſe pluralem; duorum & plurium, ut pluralis duorum ſit is qui proprie dualis vocatur, qualis eſt nominis SAMAIM, quem tam ſingulariter quam pluraliter uſurpant. Sane שמים plurali numero dici non modo vir cla. Theodorus ad hunc locum, ſed etiam Haſcuni ſuper Deuteronomium & Hieronymus affirmant commentario ſuper Ieſaiam prophetam: quos per hanc noſtram obſervationem commode poteris excuſare ab imperitia ſermonis Ebraici. Vide ſis Eraſmum hoc loco.

23. Homini regi) ſatis erat, regi: ſed quia Deus κατ' ἐξοχὴν rex vocatur, ideo fortaſſe adjecit *homini*. Aut eſt locutio *homo rex*, ut *homo ſacerdos*, ut, *ſervus homo:*

quod obvium in Plauto. Sic *homo paterfamilias* infra 20. 1. Vide quæ notavimus ad eum locum. Sæpius dicunt *rex caro & ſanguis*, quod idem cum illo, *rex homo*, aut *homo rex*.

25. Iuſſit eum venundari) ut dominus, non ut creditor. Nam creditor non vendebat debitorem, quod ſciam. Dominus autem plenam poteſtatem habebat in ſervos ſuos, quos una cum uxore & liberis divendere poterat quoties vellet, nulla lege hoc vetante. Hæc ſcribo dubitans, ut ſoleo de iis quæ incerti ſunt juris. Nam de iis quæ certa ſunt, dubitare non debemus. Studia hæc conſtant varia lectione. Quod ſi quis probaverit debitorem a creditore vendi ſolere, mutabo ſententiam.

26. Orabat eum) imo adorabat civiliter ut ſupplices ſolent, qui ad pedes ejus quem offenderunt ſe proſternunt veniam delicti ſibique ignoſci petentes. Porro adorationem quandam civilem eſſe, ut cum Abraham adoraret populum terræ filios Heth Gen. 23. 7. jampridem diſcere potuiſti vel ex libris Obſervationum mearum, ad quos te remitto.

Matth. 19.

1. Venit in fines Iudeæ) לתחומי יהודה verti etiam poteſt, *in fines** *Iudæ:* & eſt ſenſus, *tribus Iudæ:* quo nomine ſtrictius accepto hic vocatur Iudæa. Vide quæ ſcripſimus Matth. 2. 1. יהודה pro ארץ יהודה terra Iudæ .i. Iudæa, notius eſt quam ut probari debeat.

* vel terminos.

5. Homo) .i. vir. Sic Latini autores utuntur hoc vocabulo. Plautus, *mi homo & mea mulier*. Arnobius, *fœminis hominibuſque* .i. viris. Iureconſulti quoque vocem hominis ad virum reſtringunt. Sic *ἄνθρωπος* eſt *ἀνὴρ*, & *γυνὴ* mulier vocatur ea quæ uxor eſt. Contra

vir,

vir, id eſt איש, hominem denotat, ut Pſal. 22. *Ego vermis & non vir*, & alibi paſſim. Sic Pſal. 1. 1. *Beatus vir qui non ivit*. Nam etiam comprehendit fœminam, quę beata eſt quando vitat conſortium improbarum, & in lege DOMINI meditatur interdiu &c.

5. In carne una) malim, *in carnem unam*. Nam in fonte *εἰς σάρκα μίαν*, quod Ebræi dicunt לבשר אחד. Id valet quaſi una caro. Caro autem pro corpore hic ſumitur. Auguſtinus mavult, *caro una* .i. homo unus. Vide ſis Eraſmum. Gen. 1. 27. *creavit Deus hominem*: & mox, *maſculum & fœminam creavit eos*. Igitur vir & mulier ſimul hominem faciunt. Sed prætulerim *corpus unum*. Tacitus de moribus Germanorum, *Sic unum accipiunt maritum quomodo unum corpus unamque vitam*. Iob. 12. 10. *omnis caro viri* .i. corpus. Manahem 14. 1: *caro hominis* .i. גוף corpus. Porro *in carne una* ita dicitur ut *erunt hoſtes in capite* pro *in caput*. Sic apud Salvianum, *in uſu collocare*. Qualia non pauca ſunt in Pandectis Florentinis dicta per ablativum quę per accuſativum uſitatius efferuntur, ſicut & vice verſa. Nota tamen aliquando ſimilitudinem notare, ut *fuit ei in uxorem* .i. uxoris loco, aut pro uxore: & aliquando rei veritatem, ut *ero eis in Deum* .i. Deus revera. Sic *fuit ei in uxorem* .i. vere uxor. Id obſervatum etiam de chaph Ebræorum, quod ideo vocant chaph *ἀληθινὸν*, ut, *vidimus gloriam ejus ὡς μονογενοῦς* .i. *ὄντως*.

3. Quavis ex cauſſa) non temere hoc quærunt. Nam videtur olim juris controverſi fuiſſe apud ſapientes Ebræos, qui recepta vulgo repudia improbabant: unde Ben Sira quærenti de uxore mala quam habebat, reſpondit, *Os quod cecidit in ſorte tua, rode illud*. Non dicit *repudia eam*, ſed fer ac tolera patienter. Nam ea mens illius,

rode illud. Iam vero legimus Deut. 24. 1. *& invenerit in ea nuditatem rei*, hoc eſt rem aliquam turpem ac fœdam, ſive, ut editio noſtra vulgata habet, *fœditatem aliquam.* Quid fœdum aut turpe in matrimonio aliud quam ſcortatio? Non ergo licebat ob quamvis cauſſam repudiare uxorem, ſed tantam ob fœditatem. Moſes quoque non tam præcepit dimittere conjugem, quam dimiſſæ dare libellum repudij; ſine quo repudium non erat ratum. Eum dabat maritus uxori, non uxor marito, niſi prava conſuetudine poſterioris ævi. Sane ſub Herode magno Salome ſoror ejus libellum dedit viro ſuo, cujus rei meminit accurate vir diligentiæ Ioſephus Matthiæ F.

6. Vna caro) ut una caro. Simile, *catulus leonis Iuda:* item *eram ei alumnus.* Sic in Latio, *nec excitatur claſſico miles gravi.* Nam ſenſus, *ut miles.*

7. Ad duritiam cordis veſtri) hic πρὸς ad reſpondet particulæ ל: quæ interdum propter ſignificat, ut ſit לקשות לבבכם propter duritiem cordis veſtri.

1. Permiſit) non juſſit, ſed permiſit, hoc eſt non punivit vos cum ob rem minime turpem aut fœdam dimitteretis uxores veſtras, dato libello diſceſſionis. Hinc eruimus licitum fuiſſe dimittere uxorem ob cauſſam μοιχείας, permiſſum & conceſſum ob alias leviores cauſſas.

Matth. 20.

Refer hæc in ſuum locum poſt cap. 19.

Homini patrifamilias) ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ: quod ita dicitur ut *ſervus homo* apud Plautum: *homo ſacerdos & mulier ancilla*, apud Salluſtium. Sic ἀνὴρ ἁλιεὺς apud Herodotum; & ἄνδρα βουληφόρον apud Homerum. Obvia hæc locutio Matth. 13. & 21: item 18. 23. Vide quæ notavimus ad hunc poſteriorem locum.

19. Tradent eum gentibus) hoc eſt Romanis. Pila-

tum

rum intelligit & milites ejus. Sic Pſal. 2. 1. *Quare tumultuatæ ſunt gentes & populi meditati ſunt inania?* Vide ſequentia.

26. Major fieri) .i. maximus. Quanquam in fonte Græco μέγας magnus. Fortaſſe interpres noſter uſus fuit codice, in quo ſcriptum erat μείζων, ut Matth. 23. 11. *Qui major eſt veſtrum ſit veſter minimus*, ubi ὁ μείζων in Græcis codicibus pro μέγιστος: comparativus pro ſuperlativo. Matth. 18. 1. *Major in regno cœlorum* .i. maximus. Sic verſ. 4. & 23. 11. *qui major eſt veſtrum*: ubi Græcus ὁ μείζων. Confer hunc locum cum iſto & fateberis eandem utrobique ſententiam eſſe. Rurſum Matth. 13. 32. μεῖζον τῶν λαχάνων, maximum olerum. Vide Marc. 4. 32. & Ioh. 10. 29. Apud Sirachidem 1. 4. προτέρα πάντων *prima omnium ſapientia*. Tamen in hoc loco Matthæi ut & 18. 1. non male *major* expones .i. magnus. Nam comparativus ſolet poni aliquandò pro poſitivo, ut ſenior pro ſene: unde *ſeniores populi*, qui Ebræis זקני העם *ſenes populi*.

Matth. 19.

10. Non expedit nubere) γαμῆσαι tam de viris dicitur quam de fœminis: unde ὁ γήμας qui uxorem duxit, נשוי. Sic etiam nubere uſurpatur in Latio. Pomponius, *nupſit frater meus dotatæ mulieri*. Vide ſis Eraſmum. Vulgo nubere dicitur vir qui ſeruit uxori. A verbo γαμέω ſunt γαμέτης maritus & γαμετὴ ſive γαμέτις uxor. Quidam hic legunt, *non expedit contrahere matrimonium*.

17. Niſi unus Deus) videtur hoc ita dici per appoſitionem, niſi unus nempe Deus. Nam inter epitheta Dei אחד εἷς .i. unus. Iob. 31. 15. in editione vulgata; *formavit me in vulva unus*. Liber Σαμβδελας 107. 2. *Deus*, [illegible] Aboth [illegible]

in ſermone unius .i. Dei benedicti qui eſt unus in mundo ſuo. Vide Galatinum de arcanis catholicæ veritatis 3. 20. & Ilmedenu ſive Ielammedenu 65. 2. Rurſum Iob. 14. 4. *non unus*. Thargum, *non Deus qui unus eſt*.

19. Diliges proximum tuum ut teipſum) Eraſmus ex euangelio ſecundum Ebræos, quod euangelium Naſaræorum olim dicebatur, adducit hæc verba, *dixit ad eum alter divitum, magiſter quid bonum faciens vivam? Dixit ei; Homo * leges & prophetas fac. Reſpondit ei, Feci. Dixit ei: Vade, vende omnia quæ poßides & divide pauperibus & veni ſequere me. Cœpit tunc dives ſcalpere caput ſuum, & non placuit ei. Tum ad eum DOMINVS, Quomodo dicis legem feci & prophetas, quoniam ſcriptum eſt in lege &c.* Vide ſodes.

* legem ſcriptas. Vide ſequentia.

Matth. 20.

25. Dominantur eorum) præcedit gentium. Debuiſſet ergo dicere potius *earum*: ſed eſt conſtructio ſenſu congrua, non voce: quam qui non admittit in oratione næ ille neſcit veteres dixiſſe *gentes quos*, ut notatum in editione Romana. Paullo poſt, *qui majores ſunt* dixit pro *qui magni ſunt*, comparativo uſus pro poſitivo, & *poteſtatem exercent in eis* pro in eos vel eas. Si legas *eos*, populi ſubintelligendi ſunt.

28. Pro multis) vide num exponi poſſit pro cunctis aut omnibus, ut Dan. 12. *multi e dormientibus in pulvere terræ expergiſcentur.* Nam reſurrectio eſt omnium, non multorum. Contra omnis quandoque ponitur pro multus. Sic dico multus & omnis ſe invicem explicant. Aut *expergiſcentur & euigilabunt ad vitam*. Quod proprium eſt juſtorum, unde dictitant, *Reſurrectio ad vitam* (vocant תחיה .i. *ἀναβίωσιν*, quaſi vivificationem dicas) *duntaxat eſt juſtorum*. Nam improbi reſurgent quidem,

ſed

ſed non ad vitam, ſed non in cœtu juſtorum. Ceterum οἱ πολλοὶ quandoque de vulgo uſurpatur ſive de multitudine: item de mortuis, qui & πλείονες dicuntur. Nam plures mortui ſunt quam viventes. Quanquam quidam ne eſſe quidem mortuos cenſent. Sunt & non ſunt. Sunt in rerum natura, non ſunt in vivis.

Matth. 21.

1. Ad montem oliveti) .i. ἐλαιῶνος. Nam ἐλαιὼν olivetum ſive oletum, locus oleis conſitus. Ceterum in fonte Græco eſt ἐλαιῶν, quod ſonat olearum ſive olivarum. Sic etiam vocatur hic mons Mar. 11. 1. & Luc. 19. 29. ut & Zach. 14. 4. הר הזיתים, ubi Thargum טור זיתיא mons olearum. Sed Act. 1. 12. ἐλαιῶνος oliveti, ut hic vulgatus noſter. Syrus habet טור הזיתא montem oleæ, & in Actis, *e monte qui dicitur domus ſive locus* oleæ .i. olivetum. Dicitur quoque טור משחא mons olei Cant. 8. in Thargum, & הר המשחה in Pheſictha 54. 1. *Mons*, inquit, *olei qui eſt κατέναντι* * *ex adverſo Ieruſalem, hic eſt mons olearum.* Aberat ab urbe itinere ſabbathi. Dictus ita ab ejus arboris copia, quæ in illo monte. Inter eum & Vrbem interjacebat vallis Ioſaphat.

* ante faciem.

5. Manſuetus) πραΰς. Recte ſic interpretatur nomen עני, quod hic ponitur pro ענו mitis, manſuetus: unde ענוה manſuetudo. Ita ſumitur Sophon. 3. 12. item Pſal. 18. 27. ubi LXX. ταπεινὸν, & Symmachus πρᾶον: nec non Pſal. 55. 16. ubi David ſcholiaſtes שפל ונכנע, in quibus ſenſus humilitatis. Alioqui עני in communi uſu denotat pauperem & afflictum: cujus pluralis עניים pauperes, ſæpe confunditur cum ענוים manſuetis, mitibus, variante lectione a ſcriptura. Nam qui pauperes & afflicti, etiam mites & manſueti ſunt.

5. Hoſanna) Oſanna quod in libris excuſari poteſt ex dialecto Syra ſive Chaldaica, quæ he in aleph mutare ſolet. Sonat autem *ſerva nunc*: pro quo perperam *ſerva nos* in libris Præteritorum, pag. 44. Sic variat ſcriptura in Hoſaias & Oſias. Vide Iohaſin, fol. 84. pag. 1. Quæ de Hoſanna hic ſcribit Eraſmus notanda ſunt iis qui ea quæ neſciunt aut non intelligunt, ex alto contemnunt, *Hodie magni quidam*, inquit, *ut ſibi videntur theologi, cum ne Latine quidem ſciant, omnis antiquæ bonæque literaturæ rudes & ob id hoſtes, nihil admiſcere volunt divinis literis niſi quod ab ipſis poſſit intelligi: Verum quemadmodum Ebrææ literæ ab Hilario neglectæ (nam is prodidit Oſianna ſonare redemptionem domus David) ſui contemptum ultæ ſunt in Oſanna: ita paſſim his temporibus ulciſcuntur ſui neglectum bonæ literæ, dum ſubinde impingunt, nuſquam non hærent; nuſquam non labuntur & eruditis viris de ſe vel riſum vel commiſerationem excitant.*) *Hæc nequaquam dicta ſunt in contumeliam ordinis theologici, ſed in quoſdam parum dignos hoc ordine.*

Ibid. In altiſſimis) במרומים Iob. 16. 19. hoc eſt in cœlis Marc. 11. 10. *in excelſis*. Vtrobique eſt ἐν ὑψίστοις. מרום proprie altitudo. De cœlo uſurpatur in utroque numero. Nam ut promiſcue cœlum & cœli dicimus, ſic altum & alta; vel, ſi placet, altiſſima: niſi majus *altiſſimi*, ut cœli ſubintelligantur. Notum illud, *germen ex alto*, ἐξ ὕψους .i. e cœlo.

11. Ex Nazareth Galilææ) propheta ex Nazareth, vel, ſi mavis, Naſareth .i. Naſarenus aut Nazarenus. Sed cur adddidit Galilææ? An alia fuit Nazareth, quæ non erat in Galilæa? ſicut Bethlehem alia erat in tribu Zabulon, & alia in tribu Iuda, quæ propterea Bethlehem Iuda dicitur. Ab hac Nazareth (melius Naſareth) ὁ σωτὴρ

dictus

dictus eſt Nazaræus & Galilæus, unde Iuliani dictum *viciſti Galilæe*: indeque Chriſtiani omnes olim Nazaræi & Galilæi vocabantur quaſi per contemptum. Nam Galilæi non optime audiebant apud Iudæos: unde Ioh. 1. 47. *a Nazareth poteſtne aliquid boni eſſe?* Suidas, Ἐν Ἀντιοχείᾳ μετωνομάσθησαν οἱ πάλαι λεγόμενοι Ναζωραῖοι καὶ Γαλιλαῖοι, χριστιανοί. Id factum eſt, eodem teſte, ἐπὶ Κλαυδίου βασιλέως ῥωμαίων, ſub Claudio imperatore Romanorum: Reperitur & Nazaret cum t, non aſpirata in fine: ſed eſt Nazara .i. נצרא, quod rectius Naſara ſcribas. Euſebius lib. 1. cap. 7. ἀπό τε Ναζάρων καὶ Χωχαβὰ κωμῶν Ἰουδαϊκῶν. Vrbem alij & alij vicum appellant. Aberat a Ieroſolyma trium dierum itinere, ſi non fallit nos David de Pomis ſive Pomarius Iudæus Italus. Nazara & Nazareth, ut Genneſara & Gennezareth. Subjacebat urbi Chapharnahum, non procul a monte celſo Thabor, imo ad radices ejus. Antea vos monui rectius ſcribi Naſara & Naſareth & Naſarenus: ſed nos conſuetudinem ſecuti ſumus ſævum tyrannum a quo recedere non audemus ſævitiam ejus metuentes. Quanquam, ut Tertullianus ait, conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt.

12. Numulariorum). qui & argentarij & trapezitæ, hoc eſt menſarij ſive menſularij, quos Elias שלחנים appellat, a ſingulari שלחני menſarius. Vocantur etiam collybiſtæ, quos tamen Hieronymus diſtinguit a numulariis in comment. ad hunc locum ita ſcribens, *Poſuerunt numularios qui mutuam ſub cautione darent pecuniam. Sed quia erat lege præceptum ut nemo uſuras acciperet, & prodeſſe non poterat pecunia fœnerata, quæ commodi nihil haberet & interdum ſortem perderet, excogitaverunt (ſacerdotes) aliam technam ut pro numulariis collybiſtas facerent, cujus verbi proprietatem Latina lingua non exprimit.*

nit. Collyba dicuntur apud eos, quæ nos appellamus tragemata vel vilia munuſcula. Verbi gratia, frixi ciceris uvarumque paſſarum & poma diverſi generis. Igitur quia uſuras accipere non poterant collybiſtæ, qui pecuniam fœnerati erant, pro uſuris accipiebant varias ſpecies, quod in numo non licebat in his rebus exigerent quæ numis coemuntur. Vide ſequentia: A Hieronymo diverſi abeunt qui κολλυβιςὰς numularios interpretantur. Heſychius, κολλυβιςὴς, τραπεζίτης, hoc eſt menſarius. Κόλλυβος, inquit Pollux, eſt ἀργυρίου ἀλλαγὴ argentei numi permutatio: quibus verbis videtur ſignificare minutos numos quibus argentum permutatur. Collybiſtæ igitur qui ex collybo .i. argenti permutatione quæſtum faciebant, quos argentarios vel numularios appellant. In libro præceptorum majore vocantur menſarij. ſedebant in ſanctuario vigeſima quinta menſis Adar, & cogebant omnes dare didrachmum. Cujacius de pactis, *Fuit olim in civitatibus certum corpus ſive σύςημα argentariorum, quorum erat publicum officium. Tabernas & menſas cum ære in foro poſitas habebant. Apud menſas pecuniæ deponebantur, permutabantur, emebantur, vendebantur, quod Latine eſt cambire, Græce ἀντικαταβάλλεσθαι &c. Eorum munia quæ varia ſunt, varijs quoque appellationibus deſignantur. Nam & menſarij dicuntur ſive menſularij, & numularij & argentarij & argentariæ monetæ executores & ἀργυροπράται ſive argenti diſtractores, collybiſtæ, cermatiſtæ, coactores ſive collectarij* &c.

Fol. 111. col. 2.

16. Perfeciſti laudem) veritas Ebraica *fundaſti robur.* Robur autem dicit firmam ac ſolidam laudem. Sic, *date DOMINO gloriam & robur.*

17. Bethaniam) לבית עניא. forte ab ovibus ſic appellata, quod in ejus territorio loca multa eſſent paſcendis ovibus. Nam צאן & עניא ovis, unde proverbium

עניא

עניא בתר עניא ovis ovem ſequitur, de quo in adagiis Rabbinicis. Vide, ſi placet.

19. Fici arborem unam) .i. quandam. Sic *vir unus* .i. quidam: & *arborem fici* .i. ficum. Genus loquendi, ut *herba lapathi*, *urbs Roma*, & ſi quæ alia grammatici obſervarunt. Sic *fluvius Euphratis*.

33. Foditque in ea torcular) lacum intelligit qui in terra foditur recipiendo vino e torculari, in quo exprimitur, & effluente. Ebraice יֶקֶב Num. 18. 27. ubi LXX. ἀπὸ ληνοῦ. R. Salomo יקב *eſt fovea quæ ante torcular, quod* גת *dicitur, in quam vinum deſcendit*. Etiam oleum recipit. Theſaurus Stephani ληνὸς, *lacus torcularij preli*. Sed confundi ſcias. Nam ſequitur, ὅπου σταφυλὴ πιέζεται, ubi uvæ prelo exprimuntur.

Matth. 22.

2. Homini regi) Theodorus explicat *cuidam regi* .i. מלך אחד regi uno. An etiam אדם homo ita uſurpatur? Quærendum videtur. *Homo rex* ita dicitur, ut *homo ſervus*, *homo ſacerdos*, *mulier ancilla*. Vide quæ notavimus Matth. 18. 23. & 20. 1.

16. Cum Herodianis) conferenda ſunt quæ ad hunc locum Eraſmus annotavit cum iis quæ nos ſcripſimus in Præteritis noſtris, ubi Hieronymum a ſe ipſo diſſentire & ſententiam noſtram autoritate Theophylacti comprobari deprehendes. Notabis etiam perperam ibi legi Iudas Galonites pro Gaulonites, cujus Ioſephus bis meminit: quem alium eſſe a Iuda Galilæo, cujus mentio Acto. 5. 37. docet Ioſephus Scaliger in De temporum emendatione, pag. 504. Vide Præterita mea, pag. 165. & 166.

24. Non habens filium) τέκνα eſt in fonte Græco .i. בנים, ut Gen. 30. 1. δός μοι τέκνα .i. filios. Sic alibi paſſim

 in e-

in editione Græca. Sic Proverb. 17. 6. τέκνα τέκνων ſunt filij filiorum, hoc eſt nepotes. Quod ſi dixeris τέκνα etiam filias comprehendere, ſcias hunc locum de filiabus non poſſe accipi, quoniam in iis nomen familiæ obliteratur. Quocirca נשים dictæ mulieres a verbo quod oblivisci ſignificat.

37. Ex toto corde tuo) In Græco codice eſt, ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου, in toto corde tuo. Sic etiam Ebræi loquuntur בכל לבך. Plautus Captiveis, *perſequarque corde & animo atque viribus.* Corde ἐν τῇ καρδίᾳ: animo, ἐν τῇ ψυχῇ:
Luc. 10. 27. (nam animum pro anima poſuit). *atque viribus*, Lucas dixit ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου, ex totis viribus tuis. Veritas Ebraica בכל מאודך in omnibus viribus tuis. Vnde liquet (in) non male reddi per ex in hoc quidem ſermone.

43. David in ſpiritu) Marc. 12. 36. *in ſpiritu ſancto.* Vide quæ ſcripſimus ad illum locum. Vide etiam quæ notata mihi Matth. 3. 17. ubi de quatuor propheticæ gradibus, quorum ſecundus eſt ſpiritus ſanctus: cujus inſpiratu David librum ſuum compoſuit, qui propterea inter hagiographos recenſetur, utpote ſcriptus ברוח הקדש per ſpiritum ſanctum. R. David præfat. in librum pſalmorum, *Dicunt in ſpiritu ſancto dictum eſſe hunc librum: ideo poſuerunt eum in ordine hagiographorum & non in ordine prophetarum. Nam non dicta ſunt verba ipſius, niſi per ſpiritum ſanctum.* Vide quæ ſequuntur.

44. Dixit Dominus Domino meo) prius ſcribi debet characteribꝰ majuſculis DOMINUS, & poſterius *domino meo* litera etiam principe minuſcula. Nam eſt hic nomen commune אדני Adoni, non cognomen אדני Adonai, quod ſcribi ſolet ab interpretibus Dominus. Etiam אדני quando (-) habet ſub nun commune nomen eſt & prophanum, quod vocant חול. Hoc argumentum Chriſti eludit

cludit R. David in reſponſionibus quibus reſpondit Chriſtianis ad hunc pſalmum. Quomodo? *Legunt*, inquit, אריי *cum* (ז) *ſub Nun*. falſum, falſum: & tu grammatice, niſi recutitus eſſes, ad hæc tam inepte non reſpondiſſes.

Matth. 23.

7. Rabbi) quod ſcribunt ῥαββὶ & ῥαββεὶ, ut ἐλωὶμ & ἐλωεὶμ Deus. Sic χερουβὶμ & χερουβεὶμ: σεραφὶμ & σεραφεὶμ: item ἠλὶ & ἠλεὶ, Deus mi. In nonnullis codicibus ῥαββὶ ῥαββὶ, quæ conduplicatio non caret emphaſi. Sic Marc. 14. 43. *Dicit ei Rabbi, Rabbi*. Sic, *non omnes qui dicunt mihi Domine, Domine*. Eraſmus exiſtimat honoris aliquid habere apud Ebræos: ego affectum ea exprimi putarim, ut cum legimus, *Abraham Abraham*, *Moſes Moſes*. Nunc pronuntiant Ribbi. Ita vocatur abſolute R. Iuda hannaſi princeps, qui Rabbenu haccados .i. magiſter noſter ſanctus nuncupatur. Interdum in Aboth R. Nathan, & in Medras eo nomine venit Rabban Iochanan Zachæi filius. Sed & Rabban Gamliel סתם, hoc eſt abſolute, vocatur Ribbi, Iucha. 26. 2. Ribbi, rabbi; ut Nimrod, Namrod. Sic dicebant bar & bir. Quid autem differant Rabbi & Rabban docet Salmanticenſis Iudæus in libro citato 20. 2. & 21. 1. Vide, ſi vacas.

8. Vnus eſt enim magiſter veſter) .i. διδάσκαλος ὑμῶν: quæ lectio melior eſt quam ea quæ nunc in codicibus Græcis καθηγητὴς ὑμῶν .i. doctor veſter, cum ſequatur, *ne vocemini doctores: unus enim eſt veſter doctor*, hoc eſt καθηγητὴς & καθηγεταὶ. Alioquin idem bis diceretur. Iohan. 1. 39. Rabbi, quod dicitur, ſi interpreteris, magiſter, διδάσκαλε. Syrus hic habet רבבון * magiſter veſter. Sic dictitant *Moſes* רבנו * magiſter noſter: item,

* rabbechon.

* rabbenu.

Docet nos magiſter noſter: unde titulus libri Thanhuma; qui vocatur ab Ebræis Ilmedenu, vel ſi mavis Ielammedenu .i. docet nos. Sic, *ſit honos* רבך *magiſtri tui* (alias *principis tui*) *tam cara quam honos cæli* .i. Dei.

10. Quia magiſter veſter) hic eſt καθηγητὴς in fonte, quod alij doctorem reddunt, & καθηγηταὶ doctores. Lex vetus, καθηγητὴς *præceptor*. proprie dux viæ, qui & καθηγεμὼν 2. Machab. 10. 28. καθηγεμόνα τῶν ἀγώνων, ducem certaminum. Exponitur etiam monitor, & qui inſtruit: item autor, ſuaſor, impulſor.

15. Duplo quam vos) deſideratur *magis*, ut in illo Plauti, *mulier tacita bona eſt quam loquax*: & Taciti, *claris majoribus quam vetuſtis*. Adhibe libellos meos.

Proſelytum) qui Syris גיורא, unde γιώρας & γειώρας. Euſebius hiſto. eccleſi. lib. 1. diſtinguere videtur inquiens, ἢ προσηλύτους τούς τε καλουμένους γειώρας τοὺς ἐπιμίκτους. Sed inſpiciendus locus. Dicitur & γίωρας, quod minus recte ſcriptum γίερας· γιώρα τὸν προσήλυτον ἐκάλεσεν giorain proſelytum appellavit. Suidas, Προσήλυτοι οἱ ἐξ ἐθνῶν προσελυθότες καὶ κατὰ τοὺς θείους πολιτευόμενοι νόμους: *proſelyti qui ex gentibus ad populum Iſrael aggregati ſecundum leges divinas vivunt*. Eucherius in libros Regum, pag. 11. *Proſelyti vocabantur Græce qui ex alijs nationibus progeniti in fidem & conſortium populi Dei, accepta circumciſione, tranſierunt*. Ipſum nomen Græcum, ut & Syriacum, aliquando late ſumitur pro quovis advena, qui Ebræis *advena portæ*, niſi me fallit augurium. Interdum accipitur pro eo qui legis jugum in ſe recepit, quem vocant advenam juſtitiæ, vel advenam filium fœderis. Advena portæ, quicumque portam urbis advena ingreditur.

16 Debet) ὀφείλει .i. peccat. purus putus Chaldaiſmus. Hinc *debita* peccata, & *debitores* peccatores. Ezec.

18. 7.

18. 7. חוב ὀφείλων debitor. In editionibus Chaldaicis חובא debitum, peccatum: חייב debitor, peccator, improbus. Nam eſt interpretamentum τῦ רשע, quod potius improbum, quam impium deſignat. Hinc eruimus pravam conſuetudinem illius ævi, quæ originem habuit ex falſa doctrina Phariſæorum. Nam qui per templum jurabat excuſabatur: qui per aurum templi culpabatur. Sic qui jurabat per donum altaris in culpa erat, cum ſine culpa juraret per ipſum altare.

18. In altari) per altare. Ebraiſmus eſt, quem ſæpius retinet interpres noſter, aliquando immutat, ut verſ. 16. *Quicunque juraverit per templum*, ubi Græci ἐν τῷ ναῷ, in templo. Ceterum lex non vetat jurare per nomen Dei, ut eſt apud Eraſmum; ſed per rem ullam creatam, qualia ſunt cœlum, templum & altare. Dico cœlum proprie ſumptum. Nam quando pro Deo ponitur licet jurare per illud. De juramento המעון הזה habitaculum iſtud, quo templum innuebant, diximus alibi: non libet repetere. Vide de tribus ſectis. Forte per המעון ſignificabant ipſum Deum in templo habitantem. Quo ſpectat illud, *Qui jurat per templum jurat per ipſum & per eum qui habitat in eo*. Sane Deus מעון nuncupatur Pſal. 90. 1. Figuram hanc grammatici metonymiam appellant continentis pro contento. Ita cœlum ponitur pro cœlicolis, ut in illo poetæ, *cælo gratiſſimus amnis*. Sic etiam Ebræi cœlum pro Deo uſurpant. Neſcio an huc reſpexerit ὁ σωτὴρ, cum ait, qui jurat *per cælum jurat per thronum Dei, & per eum qui ſedet ſuper ipſum*. Nam qui ſedet in throno Dei eſt ipſe Deus.

32. Menſuram) τὸ μέτρον. ita סאה interpretantur Gen. 18. 6. & 4. Reg. 7. 1. & 16. eſt autem סאה ſatum. Nam Chaldæi סאתא dicunt, unde ſatum. Thargum Iob 20.

22. [illegible] complebitur menſura ejus. Ea completa pœna de illo ſumetur.

35. Inter templum & altare) alibi eſt, inter atrium & altare: quod erat ſpatium viginti duorum cubitorum. Moſes de Kotsi libro mandatorum 208. 4. Inter atrium [illegible] & altare viginti duo cubiti erant.

Matth. 24.

1. Diſcipuli eius) explico, unus e diſcipulis. Sic Iob. 21. 32. [illegible] ad ſepulchra deducetur, ad unum e ſepulchris. Quod dicitur, [illegible]: ſepultus eſt in urbibus Galaad. Cognatum, latrones exprobraverunt ei: alter ex latronum. Sic [illegible] in latera navis, in alterum latus.

5. Ego ſum Chriſtus) i. Meſſias. Inter eos fuit Barchochebas (niſi legendum Barchochabas a Chochaba Galilææ vico, cujus meminit Euſebius) quem Iudæi poſtea vocarunt Barchoziba i. filium mendacij. Fuerunt alii multi quorum catalogum recenſere longum eſſet & fortaſſe ſupervacaneum. Barchochebas, ſi Latine interpreteris, valet filius ſtellæ: de quo exponebant locum illum, *Orietur ſtella ex Iacob*. Nam eum Meſſiam eſſe perſuadere conabatur inter alios R. Aquiba; qui etiam ejus armiger fuit. Dicebat enim omnia tempora Meſſiæ præteriiſſe. Quod veriverbium utinam Iudæi poſt tot annorum intervallum in aures admitterent.

13. Vſque in finem) malim *in finem*, vel *ad finem*. Nam in fonte εἰς τέλος: quod pro eo habendum ac ſi dixiſſet *in perpetuum*. Nam id valet Ebræis לנצח, cujus interpretamentum in editione Græca εἰς τέλος. Ad finem uſque potius diceretur עד נצח. Eſt ubi נצח reddunt νῖκος ſive νεῖκος .i. victoriam.

15. A Daniele propheta) propheta erat in ſecundo

gradu

gradu prophetiæ, quem ſpiritum ſanctum appellant, itidem ut David & alij qui hagiographi dicuntur, & Ebraice כתובים, quia ſcripti per ſpiritum ſanctum. Vt hoc intelligas, ſciendum eſt Ebræos partiri vetus inſtrumentum, hoc eſt libros viginti quatuor, ut ipſi loquuntur, in legem, prophetas & hagiographos: quibus annumerant Danielem. Peccant ergo qui eum ponunt in ordine prophetarum. Nam & David propheta fuit, & tamen ab ipſo Chriſto excluditur ex hoc ordine. Aliud eſt prophetam eſſe & aliud eſſe in ordine prophetarum: Moſes propheta fuit prophetarum, non tamen ponitur in illo ordine. Similiter Iob propheta fuit & tamen recenſetur in ordine hagiographorum. R. David præfatione in Pſalmos, *Licet Daniel viderit viſiones in ſomnis, tamen quum expergiſceretur non pervenit virtus ejus & ſcientia ejus ad illas viſiones juxta virtutem Ieſaiæ, Ezecielis & reliquorum prophetarum. Ideo non eſt ſcriptus liber ejus in ordine librorum propheticorum, ſed ſcriptus eſt in ordine librorum qui vocantur hagiographi, quia fuerunt ſcripti per ſpiritum ſanctum.* Vide Hieronymum in prologo galeato, ubi ſextus eſt in illo ordine.

20. Hyeme) per ſe clarum eſt nec eget explicationis, niſi quidam de hyeme acciperent ætatis, hoc eſt de ſenio, quod mihi non probatur.

Sabbatho) quæ Iudæi ſcribunt de itinere ſabbathi, Chriſtus hic probare videtur, licet mera ſit traditio. Non igitur omnes traditiones repudiandæ. Iudicio hic opus eſt. Traditio hæc orta putatur ex eo quod ſacrarium ſive ſanctuarium, cum in deſerto eſſent, diſtaret ab extremis caſtris intervallo ducentorum cubitorum: quod eſt iter ſabbathi vel terminus ſabbathi, & continebat quinque ſtadia majora, ut Ioſephus ait, vel ſeptem,

minora, ut eſt apud Syrum interpretem, hoc eſt miliare Italicum, quæ ſeptima pars eſt miliaris Germanici.

31. Cum tuba & voce magna) *μετὰ σάλπιγγος καὶ φωνῆς μεγάλης.* Syrus, *cum tuba magna*: quæ tuba ultima vocatur 1. Corinth. 15. 52. cujus mentio & 1. Theſſal. 4. *ipſe DOMINVS cum tuba veniet de cælo.* Feſtum erat in veteri ſynagoga, quod vocabant feſtum tubarum. Eo tubis clangebant ab ortu ſolis uſque ad occaſum ejus, vel potius ad noctem uſque. Clangor ille plures cauſſas habebat. Vna eſt ut recordatio ſubiret illius diei quo per tubam mortui excitandi erunt, quod fore credebant menſe Theſri, ſicut liberatio ex Ægypto fuit in Niſan.

Matth. 25.

41. Diabolo & angelis ejus) diabolus eſt calumniator, qui ſatan Ebræis. Simul iſta leguntur Apocal. 20. 2. *diabolus & ſatanas,* & eſt ſenſus, hoc eſt ſatanas. Quanquam ſatan ab adverſando. Quidam annotat diabolum ita differre a dæmonibus, ut Deus ab angelis: fallitur. Nam Deus, non eſt angelus. Diabolus & ſatan ſingulari numero ſemper dicuntur: dæmon & dæmonium non item. Nam ſæpius dicimus dæmonia & dæmones, qui ſunt angeli ſatanæ ſive diaboli.

Cap. 26.

Verſ. 2. poſt verba illa, *audient ac timebunt,* adde, ſi placet: Locus iſte habetur Deut. 17. 13. ad quem R. Salomo, *Hinc eſt quod exſpectant diem feſtum,* הרגל *dictum, & occidunt eum in illo feſto.*

8. Videntes autem diſcipuli) Iohannes evangeliſta hujus culpæ reum facit ſolum Iudam Iohan. 12. 4. Sic Ioſ. 7. 1, *prævaricati ſunt filij Iſrael* .i. unus eorum Achan. Vide quæ notavimus Matth. 24. ad primum verſum.

12. Ad

12. Ad ſepeliendum me fecit) imo *ad funerandum.* Nam in fonte πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με: quod funerare, non ſepelire ſignificat. Ebræi חנט dicunt cum aromatibus condiuntur corpora defunctorum. Quo ſignificatu & verbum Græcum ſepeliendi uſurpant: unde fortaſſe in ſymbolo Apoſtolorum ἐτάφη vertendum, *funeratus eſt.* Nam in eo quod ſequitur, *deſcendit ad inferos* vis eadem, teſte Rufino, atque in illo *ſepultus eſt.* Vide Annot. meas in Geneſin, capite ultimo.

27. Sanguis ejus) pœna ſanguinis .i. cædis. Nam ſanguis pro cæde ponitur in qua ſanguis effunditur. Sic Ioſ. 2. 19. *ſanguis ejus in caput ejus:* & mox, *in caput noſtrum* ſub. recidat. Quale illud, *quod tuo capiti ſit.* Ionathan ibi reddit, *culpa cædis ejus.*

26. Flagellatum) adſtringebant flagellandum ad columnam, de qua flagellatione Lipſius 2. 4. de cruce, & Taubmannus in Plautum 493. 2.

34. Vinum cum felle miſtum) In quibuſdam libris, *acetum cum felle miſtum* .i. ὄξος. Sic variant etiam codices Græci. Fel autem מְרֵרָה dicitur Iob. 16. 13. & 20. 14. χολῆς voce non tam fel intelligitur, quem amaror, cujuſmodi eſt myrrhæ genuinæ, leviter, inquit Plinius, amaræ.

51. Velum templi ſciſſum) mirum hoc omiſſum in Thalmud, tractatu Ioma fol. 39. pag. 2. ubi alia recenſentur quæ acciderunt circa hoc tempus, videlicet annis quadraginta ante deſtructionem templi, ut quod portæ templi ſponte patuerint, & quod lucerna veſpertina non arſerit, & alia quæ brevitatis cauſſa omitto.

Matth. 26.

30. Hymno dicto) qui hymnum magnum hic ſignificari putant, ajunt eum incipere ab pſalmo 113. cujus

initium

initium *Halleluia laudate ſervi DOMINI*, & deſinere in pſalmum 119. Sed Moſes Ægyptius, qui Rambam vocatur, autor incipere a pſalmo *Celebrate DOMINUM*, qui eſt 118. & durare uſque ad Canticum graduum, qui eſt vigeſimus ſupra centeſimum. Hanc pugnam, quia cõciliare non poſſum, aliis relinquo dirimendam, qui me ſunt doctiores & magis exercitati in ſcriptis Ebræorum.

I. DRVSII ANNOTATIONES IN MARCVM.

Marc. 1.

6. Pilis cameli) veſte e pilis cameli contexta, non pelle cameli, ut vulgo pingitur.

13. Credite euangelio) hoc Ebraiſmus dicit, *in euangelio*, vel *in euangelium*. Sic differunt *credere Deo* & *in Deum*. Sed ſciendum Senes aliquando literam ב per *κατὰ* reddidiſſe, ut Iob. 4. 8. & 15. 15. & 24. 22.

24. Sanctus Dei) ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ. Sic Luc. 4. 34. Forte quia pontifex erat. Sane Aharon vocatur *ſanctus DOMINI* Pſal. 106. 16. quia oleo ſacro inunctus, aut quia primogenitus. Primogeniti enim etiam ſancti dicebantur; unde *ſanctifica mihi omnem primogenitum*. Chriſtus erat primogenitus non tantum virginis Mariæ, ſed omnis creaturæ. Num. 15. 4. *Eſtote ſancti Deo veſtro.* Peculiariter autem ſancti dicebantur ſacerdotes .i. ἅγιοι, ut levitæ חסידים .i. ὅσιοι, pij, qui & ſancti vetuſta interpretatione.

Marc.

Marc. 3.

28. Amen dico vobis) Amen jurandi formulam eſſe teſtatur his verbis Hieronymus in comment. Ieſ. 25. *In veteri teſtamento juramentum Dei eſt, Vivo ego dicit DOMINVS: in novo autem Amen amen dico vobis.* Quod ſi multis hoc perſuaſit, non tamen omnibus. Quis enim ſolide doctus credat in amen juramentum eſſe? Rectius ergo Primaſius Vticenſis in Africa epiſcopus, *Amen a ſervatore ſemper aſſumitur ſua per illud verba firmante.* Nam amen idem quod ἀληθῶς .i. vere: unde idem Hieronymus, *amen amen dico vobis*, interpretatur vere vere dico vobis. Sunt qui opinantur eam eſſe mentem Hieronymi ut dicat amen parem vim habere ad veritatem firmandam in novo teſtamento, atque juramentum *Vivo ego dicit DOMINVS* in veteri.

Marc. 6.

Nonne hic eſt faber?) verbum e verbo, *non hic eſt faber?* quod pronuntiatione juvandum. Nam qui vertunt *nonne*, interpretantur οὐχὶ. Sic לא non ponitur pro הלא nonne, etiam cum copulans antecedit ולא, quod quandoque valet והלא *& nonne?* nota enim interrogationis hoc modo deſideratur cum alibi, tum Iob. 40. 20. *Trahes leviathan hamo?* quod plene diceretur, *nonne trahes?* Sic paullo poſt καὶ οὐκ εἰσὶν; *& non ſunt ſorores ejus apud nos?* ſenſus, nonne & ſorores ejus ſunt apud nos? Quod notandum duxi vel propter eos qui negant Vau copulam præponi unquam interrogationi.

22. Filia ipſius Herodiadis) Ioſephus Salomen appellat, quam Herodias ex Philippo marito ſuſtulerat.

Marc. 7.

9. Abrogatis Dei mandatum ut traditionem veſtram ſervetis) Sic Matth. 15. 6. In Tractatu Sanhedrin, capite

H Ellu

Ellu hen &c. *Plus eſt in verbis ſcribarum quam in verbis legis.* Per ſcribas intelligunt doctores & ſapientes, quorum verba pluris faciebant, quam verba Dei. Vide Porchetum, part. 2. cap. 15. ubi & illud, *Si dixerint ſcribæ dexteram eſſe ſiniſtram & ſiniſtram eſſe dexteram, audi eos.* Hæc improbamus, & tamen in eundem lapidem quotidie impingimus pluris facientes hujus aut illius dictum quam verbum Dei. Quis hodie admitteret laicum cum Scriptura loquentem contra totam ſynodum? Vnicum nomen Iehova de hac re teſtari poteſt. Nam cum ego monuiſſem quoſdam de corrupta lectione ſynodus contra decrevit me inaudito. Tantum poteſt autoritas quorundam & recepta ſemel opinio, licet falſa ſit.

26. Syrophœniſſa) a Matthæo vocatur Chananæa Matth. 15. 22. Nempe quia Phœnicia eadem eſt cum Chananæa proprie dicta: cujus incolæ mare accolunt. Sane Ioſ. 5. 1. ubi codex Ebræus *reges Chananæorum qui ad mare*, Senes habent *βασιλεῖς Φοινίκης*, reges Phœniciæ ſive Phœnices. Quocirca Procopius Gen. 15. *Chananei*, inquit, *ſunt Sidonij*. Rei firmandæ quod apud Euſebium præparationis euangelicæ lib. IX. ubi Chanaan appellat patrem Phœnicum. Scaliger arbitratur ejus cognomen fuiſſe פינחס, quod nunc legunt Phinechas, & antiquitus legebant Phinees: ſed Græci, inquit, dicunt Phœnix: unde Phœnice & Phœnicia. Ceterum Syrophœnix ita dicitur, ut *Syromacedo*, *Syro-damaſcenus*. Sic *Angloſaxo*, *Gallo-belga* &c.

Marc. 8.

12. Si dabitur ſignum) ad plenam orationem debet ſubaudiri aliquid, puta ſim vanus aut habear mendax, aut aliquid tale. Simile, *Si Davidi mentiar: ſi introibunt in requiem meam.* Sunt tamen qui in his *ſi* exponant *non*;

unde

unde regula illa, *Si in jurando vim habet negantis particula.* Prius verius, meo judicio.

27. Cæſarea Philippi) a Philippo Herodis magni filio ſic dicta, qui eam condidit.

Mar. 9.

44. Vbi vermis eorum) Sirach. 7.18. *ſupplicium impij eſt ignis & vermis.* Ignis Gehennæ, & vermis qui nunquam moritur, ſemper rodens conſcientiam. Vide Ieſ. 66. 24.

Marc. 10.

21. Qui pecunias habent) vel opes. Nam χρήματα in fonte. Capiendum autem de iis, qui fiduciam ponunt in opibus iiſq; ſerviunt, quos alibi vocant πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασι, & *ſervos divitiarum*: unde illud, nemo poteſt Deo ſervire & mamonæ. Sic dico non damnat poſſeſſionem facultatum, ſed impiam fiduciam. Nam ut *bibere vinum* dicitur aliquando qui ſe eo inebriat, ſic *habere opes* qui in iis fiduciam ponit.

45. Pro multis) pro omnibus. Sane quod hic ἀντὶ πολλῶν, Apoſtolus 1. Timoth. 2. interpretatur ὑπὲρ πάντων. Nam hæc duo vocabula ſe invicem explicant. Sic Rom. 5. *per unum hominem peccatores conſtituti ſunt multi* .i. omnes. Nam omnes ſumus filij iræ, ait idem apoſtolus Epheſ. 2. Similiter Dan. 12. 2. *Multi ex dormientibus terræ pulveris expergiſcentur.* Ieſa. 53. *Notitia ſui juſtificabit multos* .i. omnes credentes. Act. 13. *omnis qui credit juſtificabitur.* Vulgo aliter hæc loca conciliant. Nam pro multis exponunt quo ad efficaciam, hoc eſt pro credentibus. Sed hi multi non ſunt reſpectu aliorum. Pro omnibus autem exponunt, quoad ſufficientiam. Sufficit enim mors Chriſti ad omnes, ſi crederent, ſervandos, nullo excepto.

Marc. 11.

15. Cœpit ejicere) ſunt qui putant Chriſtum hoc plus ſemel feciſſe. Vide notas Iohan. 2. 14. & Matth. 21. 12. & Luc. 19. 45. Vide quoque doctiſſimum Iſahacum Caſaubonum adverſus Baronium, pag. 450.

Marc. 14.

8. Vngere caput meum ad ſepulturam): corpus non ungebatur in ſepultura, ſed in curatione funeris, quam funerationem appellant, & Græci ἐνταφιασμὸν, quæ vox nunc in textu Græco. Ideo melius alij reddunt, *in funerationem*. Vngebant autem caput, pedes & totum corpus. De hoc more adito ſis ad Caſaubonum, quem modo laudavi, contra Baronium pag. 336. & pag. 337.

Ibid. Alabaſtrum) Plinius lib. 13. cap. 2. *Vnguenta optime ſervantur in alabaſtris.* Ex hoc capite citatum invenio κρατοῦσιν αὐτὸν οἱ νεανίσκοι. Verſus additus erat 51. Concordantiæ a Paulo Stephano cuſæ an. DC. ejus rei fidem facient. Notavi autem quia νεανίσκοι ibi ſunt milites. Nam tales potiſſimum eligebantur ad militiam. Vnde in Ebraiſmo juvenes בחורים vocantur, a verbo quod eligo ſignificat. Sic νεανίσκων καταγραφὴ de conſcripta legione militum. Cap. 13. verſ. 44. adde ſis poſt verba illa ὅλον τὸν βίον αὐτῆς: ad verb. *totam vitam ſuam*. Quod firmabis dicto illo vulgari, *Vita & victus pari paſſu ambulant*. Vitam pro victu etiam Latini autores uſurpant. Terent. *cui opera vita erat*, vult dicere, qui ex opera ſua vivebat. Apuleius de aſino aureo, lib. IX. *fabriles operas præbendo vitam tenebat*. Sic βιὸς accipitur in illo verſiculo:

> Βιὸς βίου δεόμενος, οὐκ ἐστὶ βιός.
> Vita ſine vita non eſt vita.

21. Bonum erat homini illi ſi natus non fuiſſet): Iu-

dam

dam innuit, qui ſi natus nunquam fuiſſet, melius ei fuiſſet. Iudam dico proditorem. Nam ait, *per quem filius hominis proditur*, παραδίδοται .i. prodetur brevi. Idem dici poteſt de omnibus improbis, quibus melius eſſet ſi nunquam nati fuiſſent propter cruciatus ſupplicia, quæ illos manent in altera vita. De cunctis hominibus etiam dicitur propter miſeriam vitæ humanæ, quæ plus fellis quam mellis habet, ut ſatius ſit nunquam natum fuiſſe quam in tanta miſeria vitam traducere. Tale judicium olim fuit ſapientis Ebræi regis, Cohel. 4. 2. *Laudo ego mortuos qui antea mortui ſunt præ vivis qui vivunt adhuc. 3. Meliorque eſt utroque qui hucuſque non fuit, qui non vidit opus malum quod fit ſub ſole.* Notum illud, *non naſci optimum.* Narrant a Mida captum Silenum in venatione & interrogatum quid hic optimum eſſet, reſpondiſſe. *O ſemen non durabile quid me cogitis dicere quod neſcire vos melius eſſet. Nam vita ignara ſuæ miſeriæ minus habet doloris. Hominibus non naſci longe optimum eſt, ſecundum vero natum quam celerrime mori.*

Marc. 15.

40. Salome) שלומית Selomith eſt in hiſtoria Ebraica, ubi Ioſephus habet Salome Originum Iudaicarum lib. 14. cap. 12. Græce σαλώμη, cujus mentio & 16. 1. Hujus colloquium cum Chriſto invenies in Clemente Alexandrino, & nos alibi id annotavimus. Vide Apophthegmata Ebræorum & Arabum. Nam non vacat mihi nunc quærere. Si me non fallit memoria, Salome quærebat a Chriſto quando mors ceſſatura eſſet, reſpondit valde prudenter, *Quando mulieres parere ceſſabunt.*

25. Hora tertia) hoc eſt tertia diei pars, quæ continebat quatuor horas nonam, decimam, undecimam & duodecimam, ait Scindlerus. Neſcio quid velit. Nam

ſi diem divides in tres partes, hæc potius ſecunda erit quam tertia, quę incidit in pomeridianum tempus. Quomodo igitur iſta conciliabis cum loco Iohannis, *circiter horam ſextam?* Nam ea erat hora prandij, quæ nobis duodecima & incidit in meridiem. Igitur alij horas Iudæorum, quæ inæquales erant, ut hodieque Italorum, dividunt in majores & minores. Majoribus, inquiunt, actus fuit Chriſtus in crucem hora tertia, minoribus vero hora ſexta. Eſt enim eadem hora tertia major & ſexta minor. Ego ampliandum cenſeo. Nam & illi & hi non ſatis probarunt mihi dicta ſua. Nihil dicit qui non probat quod dicit. Ego experientia didici ſæpe deceptos eſſe qui nimium crediderunt viris doctis, etiam theologis, aliquid aſſerentibus ſine fide ſine teſte.

42. Paraſceve quæ eſt ante ſabbathum) vel, *proſabbathum*, hoc eſt, dies ſabbathum præcedens: quo parabant omnia neceſſaria ad ſabbathum. Vnde dictitant *Qui parat in veſpera ſabbathi veſcetur in ſabbatho*: & contra *Qui non parat in veſpera ſabbathi, non veſcetur in ſabbatho*. Vide ſis Adagia mea ſacra. Veſpera ſabbathi .i. ערב השבת, nihil aliud eſt quam anteſabbathum.

I. DRVSII
ANNOTATIONES
IN LVCAM.

Luc. 1.

1. Vlcis ſuæ) vel *ſortis ſuæ*. Sors Ebraice גורל & ſortes גורלות. Vide quæ ex Eucherio produximus

parte

parte prima. Vices habebant ſuos principes, qui vocantur רישי מטרת כהנים capita cuſtodiarum ſacerdotalium in Ionatha Ierem. 1. 1.

39. Abiit in montana) quæ & montana Iudeæ & montes Num. 13. 18. & mons Iudæ Ioſ. 11. 21. Senes τὸ ὄρος vocant .i. montem, & τὴν ὀρεινὴν montanam regionem. Vide notata Luc. 1. 65. ad Præterita mea. Pars erat Iudeæ proprie dictæ, quam appellant montem .i. ההר. Vir doctus ait fuiſſe ad meridiem Ieroſolymorum: poteſt ita eſſe. tamen legimus Ioſ. 10. 40. *percuſſit omnem montem, meridiem & planitiem.* Ecce mons .i. montana regio a meridie clare diſtinguitur. Sed Num. 13. 18. *Aſcendite hac in meridie & conſcendite montem.* In hoc monte ſita erat Hebron urbs Iudæ, cujus terminus in meridie. Vide Annotationes Num. 13. & Ioſ. 20. 7.

34. Virum non cognoſco), ſum adhuc pudica virgo, cujus pudicitiam nemo delibavit. Tales vocantur a Latinis autoribus virgines intactæ & ſignatæ & inviolatæ & illæſæ & integræ a viro. In Ebraiſmo etiam invenitur *virgo incognita.* Aliud *pudica matrona.* Nota verbum *cognoſco* tam de fœmina dici quam de viro. Nam cognoſcit virum qui notitiam viri habet, ut fœminam, qui fœminæ.

11. Altaris incenſi) aut ſuffitus vel thymiamatis; quod & altare aureum quoniam auro obductum erat, & altare interius, quia erat intra ſanctum ante velum quod ſancto ſanctorum obtendebatur, in quo arca erat. Nam quod extra ſanctum erat, vocatur altare exterius & quoniam in eo holocauſta offerebantur, dicitur communiter altare holocauſti. De his alias. Vide nunc quæ ſcripſimus de interiori Apocal. 9. 13.

15. Siceram) R. Eleazar Caphar interpretatur יין חי *vinum vivum*.i. purum putum, non mixtum aut dilutum aqua. Merum Latini ſcriptores appellant, Græci ἄκρατον. Ionathan & Oncelos reddunt *vinum vetus* .i. temetum. Lexicon vetus, Temetum, οἶνος παλαιός. Vide notas meas Num. 6. 3. Dicimus autem τὸ σίκερα, quaſi eſſet generis neutrius Ieſ. 25. 9. πικρὸν ἐγένετο τὸ σίκερα τοῖς πίνουσιν. Nam eſt nomen barbarum. Eſt ubi reperiatur οἶνον καὶ σίκεραν, tanquam a recto σίκερα. Temetum qui vertit male hic reprehenditur. Nam vinum eſſe ſechar Ebræi plerique omnes fatentur. Certe præter eos, quos ſupra nominavi, Ieroſolymitanus quoque reddit, *vinum vetus*. Ergo vinum erat. Accedit μέθυ; quod vinum denotat, cum μέθη ſit ebrietas: שֵׁכָר autem, unde ſicera, ſignificationem habet inebriandi.

37. Omne verbum) ullum verbum q. d. nihil dicit quod non poſſit facere. Nam omnia ei δύνατα. Quamobrem omnipotens vocatur. Iob. 42. 2. ἀδυνατεῖ δέ σοι οὐδὲν, ubi in fonte, non probibetur a te cogitatio. Etiam quæ cogitat facit·

53. Inanes) Quod in fonte רֵיקָם, id interpretes reddunt inanes aut vacuas .i. κενὰς, cum potius vim adverbij habeat reddique debeat κενῶς .i. vacue. Sic Iob. 22. 9. *viduas dimiſiſti vacue* .i. κενὰς, ut habent LXX. Luc. 20. 10. *dimiſerunt eum* κενὸν .i. inanem, & 11. *Hunc etiam dimiſerunt inanem*. Ruth. 1. *vacue reduxit me DOMINUS*, abſque liberis & marito.

54. Puerum ſuum) בערו. Siquidem נַעַר puer nomen eſt non tam ætatis quam miniſterij. Nam ita vocatur miniſter cujuſcunque ætatis. Abenmelech Exod. 33. נער *puer vocatur qui eſt minorennis, & quia tales communiter miniſtrant ſenibus, vocatur miniſter etiam* נער

puer,

puer, licet ſit majorennis. In jure Iudaico בערה vocatur minorennis, quæ nondum attigit annum vigeſimum, ut cum dicunt, *Vir deſponſat filiam ſuam dum adhuc eſt puera ſive puella.* Vſurpatur de Roboamo annum agente 41. Notat Gerundenſis Gen. 37. 3. de Abſalomo, *An eſt pax puero Abſalom?* de Ioſepho annum trigeſimum agente, & de Ioſua cum annum ageret LV. Vide More fol. 112. pag. 1. In Thanhuma ponuntur hoc ordine בחורים juvenes, נערים pueri, קטנים parvuli, יונקים lactantes, fol. 23. col. 3. De puero recens nato legimus, *vocavit puerum Ichabod.* In libro præceptorum, נערה vocatur ab anno duodecimo die uno & ultra: קטנה a quo nata eſt uſque ad annum duodecimum, fol. 134. col. 2.

65. In tota montana regione Iudææ) Interpres vetus, *in montana Iudaea.* Ebræi הר vocant locum montibus contentum. Montana regio ἡ ὀρεινή. Montana ſub. loca, quæ הרים .i. montes vocant Ebræi.

Luc. 2.

7. Pannis eum involvit) imo *faſcijs.* Faſcia pannus eſt oblongus, in quo infans involvitur: Græce σπάργανον, unde ἐσπαργάνωσαν Iob. 38. 9. in LXX. ubi codex Ebræus חתלה, & editio Chaldaica, quam Thargum appellant, ליסופות: unde verba ſunt חתל faſciis involvo, & מלפלת faſciis involvens, σπαργανῶν. Vide notas noſtras ad eum locum.

8. Excubantes) prius erat *vigilantes.* Aliud vigilare & aliud ἀγραυλεῖν. Nam vigilat etiam qui in lecto inſomnem noctem ducit: ἀγραυλεῖν proprie ſub dio agere, ἐν ἀγροῖς αὐλίζεσθαι, non vigilare.

Luc. 2.

35. Tuam ipſius animam pertranſibit gladius) quaſi gladius. Nam ut gladius corpus vulnerat, ſic dolores a-

nimam ſauciant. Videtur ſimilis ſententia eſſe in illo, *tu tranſibis per gladium.* Quæ locutio obvia Iob. 33. 8. & 36. 12. Paullo aliter legimus Pſal. 105. 18. *ferrum venit in animam ejus.* Nam ſenſus eſt, in corpus ejus, & *ferrum* .i. compedes ferrei. Hieronymus autor Mariam, quia in parte impaſſibili paſſa eſt, pluſquam martyrem fuiſſe.

21. Priuſquam in utero conciperetur) Theologi veteres quatuor numerant ex veteri pacto quibus nomina impoſita fuerunt ante nativitatem. Sunt autem Iſmael, Iſahac, Salomo, Ioſias. Vide Albinum in Geneſin, pag. 458. & Eucherium, pag. 271. His addi poſſet Cyrus ab Ieſaia nominatus diu antequam natus eſſet. In novo fœdere ſunt Iohannes Luc. 1. 13. & Ieſus ante conceptionem ſic ab angelo vocatus.

29. Dimittis) ἀπολύεις. Sic שלח uſurpatur Iob. 14. 20. *dimittis eum*, nempe ex hac vita nunquam rediturum. Nam veteres ita loquebantur, *ivit & non redibit*, mortuum ſignificantes. Dicebant etiam *ivit & revertetur*, reſurrectionem innuentes.

23. Adaperiens vulvam) ſic loquendo ſignificat primogenitum, qui vulvam aperire dicitur quia primus naſcitur : unde & primogenitus vocatur nulla habita ratione ordinis. Sed primogenitus Ebraice בכור, & διανοίγων μήτραν פטר רחם, ubi forte פֶטֶר eſt nomen adjectivum formæ אָרֵךְ longus, כָּבֵד gravis : & ſimpliciter פֶּטֶר, quod Senes πρωτότοκον interpretantur Exod. 34. 19. & 20. Simul iſta leguntur Num. 3. 12. πρωτότοκος διανοίγων μήτραν, primogenitus adaperiens vulvam.

30. Salutare tuum) τὸ σωτήριόν σου, tuum illum ſalutis autorem; i. Ieſum qui omnibus ſalutem * dedit; quem propterea σωτῆρα vocant. Pſal. 13. 6. *exultabit cor meum in ſa-*

* aut peperit.

in ſalutari tuo. Ebraice, *in ſalute tua.* Sic infra, *Videbit omnis caro ſalutare Dei.* Vide quæ notavimus ad hunc locum.

36. Ex tribu Aſer) nam decem tribus ſparſæ erant inter Iudæos a captivitate Babylonica reverſos: unde Ierem. 50. 4. *Venient filij Iſrael & filij Iuda ſimul.* Videndus R. David ad hunc locum. Theodoretus in Ezeciclem, nemo dicat ædificationem Ieruſalem ad Iſrael non pertinuiſſe cum jampridem a tribu Iuda diviſus eſſet. Nam poſt reditum non manſit illa diviſio &c. Contra cenſet Sulpicius Severus lib. 2. & Sigonius pag. 848.

44. In comitatu) mater putabat eum eſſe in comitatu virorum, & pater in comitatu fœminarum. Videatur Lira 1. Sam. 1. 19. Supra verſ. 35. ῥομφαία eſt gladius, framea, enſis. Lexicon Græco-Latinum vetus, ῥομφαία, framea, gladium: & Latino Græcum, Framea, ῥομφαία.

Luc. 3.

6. Salutare Dei) idem cum illo, *ſalutem Dei.* Nam τὸ σωτήριον idem quod σωτηρία; ſicut τὸ εὐηθὲς ſimplicitas, τὸ ξῆρον terra, unde ξηρόβατον. Sane ישועה ſalus a LXX. redditur τὸ σωτήριον Pſal. 12. 6. & 14. 7. & alibi. Lexicon vetus, σωτήριος, *ſalutaris:* unde σωτήριον ſalutare. Nota Chriſtum ita paſſim vocari quod Deus pater per eum ſalutem dederit mundo. Quo ſpectat illud angeli, *Ipſe ſalvum faciet populum ſuum a peccatis ſuis.* Nam propterea etiam Ieſus dictus fuit. Ieſus .i. σωτὴρ. Sed & ישע dicitur .i. ſalus. Nam ſi ſalus eſt Dei, etiam recte ſalus vocatur. Sane Ieſa. 45. 8. ubi in fonte *ſalus* .i. ישע, Hiero. habet *ſalvatorem*, nomen abſtractum in concreto reddens: niſi ſane olim, cum puncta vocalia abeſſent, legit ישוע .i. Ieſum. *Germinet ergo terra Ieſum, ego DOMINVS creavi .i. genui, eum.* Hic genui accipio in pro-

pria ſignificatione, genui ex mea ſubſtantia. Quid hic heterodoxi? Nam creo pro gigno uſitatum non modo in lingua Latina, ubi plurima exempla ſunt ejus notionis, ſed etiam in Chaldaica, Ebraica & Helleniſtica. Helleniſticam voco, qua uſi olim Iudæi qui Græce loquebantur aut ſcribebant: ut apoſtoli & euangeliſtæ, LXX. interpretes, Ieſus Sirachi nepos, Iaſo Cyrenæus & alij.

20. Cum complicuiſſet librum) πτύξας. paullo ante *ἀναπτύξας, explicans librum.* Nam olim libros complicabant in cylindri morem, unde מגלה volumen. Sic hodie legem deſcriptam habent in volumine, quod explicant, cum eam populo prælegunt. Cylindrum a κυλίνδειν, quod voluere ſignificat, ut מגלה volumen a גלל voluo.

38. Qui fuit Dei) ſub. *filius.* Quomodo filius Dei? An quia formatus a Deo ex luto terræ? Syrus habet, *qui fuit a Deo.* ſub. factus aut conditus. Aut *filius Dei* propter animam, quæ ei divinitus inſpirata. Sed hoc ei commune cum aliis hominibus. Ideo Deus vocatur pater animarum vel ſpirituum. Dicunt etiam Ebræi tres concurrere ad creationem hominis, Deum, patrem & matrem, & a Deo eſſe animam, a parentibus vero corpus. Vt ut ſit, filius Dei eſt qui ex ſubſtantia ejus genitus, ut Meſſias: & qui a Deo factus, ut Adam.

Luc. 4.

18. Vnxit me) ut prophetam: Infra 7. 46. *unxit pedes meos.* 12. 3. *unxit pedes Ieſu.* Cur unxit? An teſtandæ reverentiæ ſicut Iacob lapidi, quo erat uſus pro cervicali, oleum ſuperfudit: aut unxit ad pollincturam ſeu funerationem, ut habetur Marc. 14. 8. Aut unxit ex conſuetudine illius ævi. Nam unctio poſt lotionem facit ad obſtruenda corporis ſpiramenta. Qua de re alibi plura notavimus.

23. Me-

23. Medice cura teipſum) nam ſi medicus non poteſt ſeipſum curare quomodo curabit alios? Hoc eſt quod Arabes dictitant, non poteſt ſeipſum curare, quomodo curabit alios? Vide librum ſelectarum gemmarum, cap. 38. de viſitandis ægrotis. Turpe ſi dicatur, Medice cura teipſum. Nam qui ſe curare nequit, ægre curabit alios: & tamen ſunt quibus hoc vere dicitur. Nam ſe curare non poſſunt aut propter imperitiam artis, aut quia eorum morbi ſunt incurabiles.

Luc. 5.

20. Remittuntur tibi peccata) propter quæ hic tuus morbus. Sublata ergo cauſſa tollitur effectus. Fontibus obturatis rivuli cito fiunt ἄνυδροι. Si non eſſent peccata, non eſſent flagella. Non flagellatur qui non peccat. Nam e peccatis flagella & caſtigationes. Quanquam ſunt caſtigationes quædam amoris, quibus pij probantur, ut olim Iob.

39. Vetus melius eſt) Plautus Caſina, *Qui utuntur vino vetere ſapientes puto.* Sirachides, *Vinum novum, amicus novus, ſi veteraverint, dulceſcent.*

Luc. 6.

5. Dominus eſt filius hominis etiam ſabbathi) Huc refer Ebræorum illud, *Qui fecit ſabbathum etiam eſt dominus ſabbathi.*

12. In oratione Dei) ad Deum ſenſus, quæ ad Deum dirigebatur ſive quam habebat ad Deum. Quid ſi *pernoctabat in proſeucha Dei?* ut Dei nomen redundet, aut proſeucha Dei veri ad differentiam aliarum proſeucharum, in quibus Dij falſi adorabantur. Proſeucha alias domus orationis dicitur, & erat extra urbem. Vide Act. 16. 13. & notata ad illum locum.

17. Ἀπὸ τῆς παραλίου) ſub. χώρας aut γῆς. Deut. 1. 7.

παραλία γῆ χαναάν. Ioſ. 9. 2. ἐν πάσῃ τῇ παραλίᾳ τῆς θαλάσσης τῆς μεγάλης. Gen. 49. 29. παράλιον maritimus .i. παραθαλάσσιος.

30. Omni petenti a te) enarrant de generibus, non de individuis q. d. ſive fuerit amicus ſive inimicus.

36. Sicut pater veſter miſericors eſt) qui propterea convenienti epitheto רחמנא vocatur, ut cum dicunt רחמנא לבא בעי miſericors cor requirit.

40. Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum) Quamdiu diſcipulus eſt, non debet ſe præferre magiſtro. Satis ſi ei par ſit. Vide adagia mea ſacra. Si tamen contigat ut ad altiorem doctrinæ gradum perveniat, non eſt culpandum: imo laudi dandum ſi ſuperet magiſtrum. Quod ſi raro accidit, tamen accidere aliquando docet hic verſiculus Græcus Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες τῶν διδασκάλων. Qua ratione autem hoc fieri poſſit, docebunt te hi verſus vulgares,

Multa rogare, rogata tenere, retenta docere
Hæc tria diſcipulum faciunt ſuperare magiſtrum.

Vt ut ſit, perfectus eſt diſcipulus, ſi æquet magiſtrum, dum diſcipulus eſt.

Luc. 7.

44. Lachrymis rigavit pedes meos) Sunt qui exiſtimant in hoc ſermone, *lavare pedes aqua*, nomen aqua redundare. Non redundat. Nam ut demus lachrymas aquam eſſe, etiam vino lavabant pedes: unde ποδονιπτῆρες οἴνου δὲ ἀρωμάτων apud Athenæum, lib. 14.

Luc. 8.

8. Fecit fructum centuplum) cum centeſima fruge fructum reddidit. Summus gradus ubertatis & fertilitatis. Gen. 26. *ſeminavit Iſahac in terra illa & invenit eo anno centuplum.*

24. Ma-

24. Magiſter, magiſter) ἐπιστάτα, ἐπιστάτα. repetitio non caret emphaſi ut, Rabbi, Rabbi: Abraham, Abraham: Moſes, Moſes.

31. Vt in abyſſum irent) accipio ut ibi, *angelus abyſſi*, ut ipſum tartarum deſignet. Quidam de mari enarrant ut Gen. 7. *rupti ſunt omnes fontes abyſſi* .i. aquarum infrà & ſupra terram.

41. Iairus nomen Græce declinatum ex Ebræo יאיר, quod eſt viri proprium Num. 32. 42. Deut. 3. 14. Iud. 10. 1. Eſth. 2. 5. Quod noto quia non nemo hoc refert ad יער, quod favum mellis interpretatur. Cave ſequaris.

Matth. 9.

27. Non guſtabunt mortem) Dicunt etiam *guſtare guſtum mortis* pro mori: ut *guſtare guſtum peccati*, pro peccare. 1. Sam. 13. 1. *filius anni erat Saul.* Doctores explicant, *non guſtavit guſtum peccati*. ſenſus, non peccavit ut filius unius anni. Meminit R. Salomo. Teſtes qui non guſtant guſtum mortis ſunt cœlum ac terra. Nam non moriuntur ut homines, qui ſunt teſtes guſtantes guſtum mortis.

Luc. 10.

Neminem in una ſalutaveritis) ex diſciplina ſapientum qui docent neminem ſalutandum eſſe in viis aut in pontibus aut in locis pollutis, ſi modo ידים ibi ſunt loca. Vide librum Muſar 135. 2. Alioqui dictitant, *Saluta prior quemvis hominem.* Dictum eſt Matthiæ filij Haras. Primaſius in ſecundam ad Corinth. explicat, *nemini verbum ſalutis tranſitorie prædicaveritis.* Salutandi formulæ ſunt יומא טבא dies bonus, צפרא טבא bonum mane, שנה טובה annus bonus .i. felix. לילא טבא bona nox, יערב שנתך dulceſcat ſomnus tuus, שלום לך pax tibi: ירבא שלומך augeatur pax tua: יברך אותך יהוה benedicat tibi Do-

DOMINUS: ברכת יהוה אליכם benedictio DOMINI ſuper vos. Vide commentarium ſuper Aboth. 49. 2. Porro ſalutare dicunt *interrogare de pace*. Vide Iud. 18. 15. & notas ad eum locum.

30. Incidit in latrones) In notis Præteritorum ad hunc locum pro *Gal adomim* legendum *Maale adomim* .i. מעלת aſcenſus vel aſcenſio, & *adomim* .i. ruforum. Clivus aut collis erat ita dictus quod ſanguine viatorum ruberet. Hujus mentio Ioſ. 15. 7.

Luc. 11.

Digito Dei) .i. virtute aut potentia Dei, ut Exod. 8. 19. *Digitus Dei eſt*. Matth. 14. legimus *per ſpiritum Dei*. Nam ſpiritus vocatur etiam digitus Dei. Eſt enim virtus ac potentia Dei.

Luc. 12.

24. Conſiderate corvos) Iob. 38. 4. *Quis dat corvo eſcam, quum nati ejus ad Deum clamant, errant abſque cibo?* q. d. nemo alius quam Deus: *qui dat jumento panem ſuum, filijs corvi quum clamant*, Pſal. 147. 9. Albertus magnus in hiſtoria animalium narrat pullos corvorum deſeri a parentibus immani ἀστοργίᾳ. In tanta omnium rerum inopia vermiculos quoſdam ait ex ſtercoribus enatos ſua ſponte ſe ingerere in roſtra hiantia pullorum, & hoc modo mirabiliter eos ali. Conſimilia his ſcribit Chryſoſtomus, inquiens: *Corvi oderunt pullos ſuos ingenita crudelitate, vel quod albi ſint: ſed Deus eos enutrit dum hiando & crocitando animalcula ex aere venantur in cibum*. R. David autor pullos corvorum candidos eſſe ac proinde non agnoſci a matribus: item Deum paſcere illos muſcis. Vide ſcholia ejus ad pſalmum citatum. Fabula inſignis de corvis habetur in Thanchuma 87. 1. Deus parat muſcas ex ſtercore corvino, quas pulli edunt.

Nam

Nam a patribus negliguntur, qui fœminas ſuſpectas habent adulterij. Vide & Iuchaſin 82. 1. Corvi albi hodie reperiuntur in India loco qui vocatur Trilinagos. Doctores autem dicunt duo genera talium eſſe. Iuchaſin fol. 82. Corvi vallium. ibid.

58. Cum adverſario tuo) ἀντίδικος propriè adverſarius in lite, pars adverſa litigans tecum, qui Ebræis איש ריבך vir litis tuæ, ut Ieſ. 41. 11. *Viri litis tuæ, οἱ ἀντίδικοί σου*: aut מריבך contendens tecum, ut 1. Sam. 2. 10. מריביו *οἱ ἀντίδικοι αὐτοῦ, contendentes aut litigantes cum eo.* Interdum quemvis hoſtem ita vocant, ut 1. Petr. 5.

Luc. 13.

4. Turris in Siloe) aquarum Siloe meminit Ieſaias 8. 6. *rejecit populus aquas Siloe*, & ædificij juxta fontem illarum extructi Benjamin in Itinerario ſuo, *In deſerto magno populorum eſt fons magnus aquarum Siloa, in torrentem Cedron defluentium, & juxta fontem magnum ædificium à majorum noſtrorum diebus.*

6. Arborem fici) locutio eſt ut *urbs Roma*. Sic *lapides Sohami* Exod. 25. 7. *fluvius Euphratis* Ierem. 46. *herba lapithi*, apud Horatium: *Lex Poſthumia magiſtra* apud Catullum.

32. Dicite vulpi illi) *τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ*. Sic appellat Herodem ob verſutiam & calliditatem. Baſilius homil. in Pſal. 44. *ὁ δολερὸς ἀλώπεκι παρεικάζεται, ὡς Ἡρώδης.* Auguſtinus Pſal. 88. *Scriptura vulpes appellat doloſas ac timidos, quos terret virtus aliena.*

Luc. 14.

12. Ne quando & ipſi te reinvitent) vel *revocent* i. iterum vocent ad cœnam aut ad prandium. Hunc locum in mente habuit Lactantius, cum ſcriberet lib. 6. cap. 12. *Item Deus præcepit ut ſi quando cœnam paraverimus,*

rimus, eos in convictum adhibeamus qui revocare non poſſunt & vicem reddere. Nonius, *Revocare eſt per vices mutuo vocare.* Reſpondet tanquam e regione vocandi verbo & ſignificat eum, apud quem convivio acceptus fueris, *reinvitare*, hoc eſt viciſſim ad te invitare.

26. Non odit patrem ſuum &c.) Non odiſſe hic non ſignificat amare, ſed nimium amare, ita ut eos quos amas Deo præferas. Alibi odiſſe dicitur uxorem qui minus amat eam: unde *uxor exoſa* .i. minus amata.

18. Ἀπὸ μιᾶς) Hic στόματος ſubaudiri non poteſt. Quocirca non optime vertunt qui vertunt, *uno ore*; quod Ebræi dicunt בפה אחד ἐξ ἑνὸς στόματος. Quid igitur? ſubaudiri debet γνώμης aut βουλῆς, *una ſententia* vel *uno conſilio*: vel certe ψυχῆς, ut dicat *uno animo*, unanimiter. Sic Act. 4. 32. *cor unum et anima una. Vno animo* legitur apud interpretem noſtrum Act. 18. 12. & 19. 29. ubi in fonte ὁμοθυμαδὸν unanimiter. Syrus hic habet מן חד כולהון *ab uno omnes*: vulgatus noſter *ſimul omnes*, ἅμα πάντες. Nicolaus Fullerus Anglus mavult ſubaudire ὥρας, una hora: quod exponit ſubito, confeſtim, illico. אחת una pro פעם אחת vice una, ſemel, obvium Iob. 33. 14.

Luc. 15.

8. Drachmam unam) זוז אחד. Nam זוז drachma .i. quarta pars ſicli. 1. Sam. 9. ubi רבע in fonte, Thargum habet זוזא חד drachma una. Siclus enim tetradrachmus erat. De ſacro loquor, quia communis & vulgaris tantum erat didrachmus. Mat. 17. ſolvit δίδραχμα, Syrus חרין זוזין duas drachmas.

16. De ſiliqua Strabo, *Multum hac cognita Nicaa & maris Liguſtici accolis, ubi eam eſitant pueri, etiamque porci.* Pro חרוב Moſes Ægyptius ſcribit קרטונא κεράτιον, ſiliqua. Arabes

Arabes ſcribunt חרוב cum puncto ſupra heth. Nam Heth punctatum & Chaph raphe Ebręorum poteſtatem habent unam eandemque. Arabes etiam חרובא dicunt.

Luc. 16.

9. De Mammona iniquitatis) ſunt divitiæ quæ de vetito ſive de malo parantur. Ovidius, *Sed jam de vetito parabat opes*. Sic, *æs de malo habere*, hoc eſt ex furtis, latrociniis fraudibuſque partum. Dicunt etiam divitias facere à malo. Quod Chriſtus non jubet, ſed ſi feceris, inquit, para tibi inde amicos, qui te recipiant in æterna tabernacula.

29. Habent Moſen & prophetas) Moſen dicit legem, ſcriptorem uſurpans pro libro ejus: & prophetarum nomine complectitur etiam hagiographos. In hoc ſenſu late nomen prophetæ accipitur, ut etiam Davidem, Salomonem, Iobum & Danielem comprehendat; qui prophetæ quidem fuerunt, ſed non in eo gradu in quo Ieſaias, Ezeciel & reliqui; qui minus lata ſignificatione prophetæ vocantur, ut cum vetus inſtrumentum partiuntur in legem, prophetas & hagiographos. Hæc ſi catechiſtæ hactenus ignorarunt, tamen vera ſunt. Vincat ergo veritas & cedat illi arrogans & ſuperbum ſupercilium.

Luc. 18.

5. Ne ad extremum veniens) *μὴ εἰς τέλος* videtur hic potius denotare, *ne tandem veniens*: Sed expende. Nam placet magis quod antea notavi, *ne ſemper veniens*. Prius enim illam obtunſerat & ſugillaverat. *εἰς τέλος* i. נצח in perpetuum, ſemper.

14. Iuſtificatus ab illo) malim *præ illo*. In fonte ἢ ἐκεῖνος, & μᾶλλον ſubintelligitur i. magis aut potius quam ille. Simile apud Homerum βούλομ' ἐγὼ λαὸν σῶν ἔμμεναι

ἢ ἀπολέσθαι .i. potius quam perire, *μᾶλλον ἢ ἀπολέσθαι*. Plautus Menæchmis, *Quin vidua vivam quam tuos mores perferam* .i. potius quam. Ellipſis Græcanica, imo etiam Ebraica. Sane [illegible] ſonat ad verbum *ab illo*: quod Latine diceretur *quam ille*. Terentius, *Si quiſquam eſt qui placere ſe ſtudeat bonis* (potius) *quam plurimis*. Rurſum Plautus Caſina, *Vt quid vir velit facias quam adverſeris contra*. Sic alibi, *Certum eſt moriri quam hunc pati leonem in me graſſari*.

Luc. 19.

41. Doctores Ebræi angelum fleviſſe ſcribunt, & ratio hoc ſuadere videtur. Nam quia victus, ideo flevit & deprecatus eſt Iacobum ut ſe dimitteret. Cur Iacobus victor fleret? cauſſa nulla eſt. Lira tamen & alij de Iacobo locum enarrant.

Luc. 20.

42. Ipſe David dicit in libro pſalmorum) Locus eſt Pſal. 110. quem a Melchiſedec dictum exiſtimant: meo judicio, non recte. Nam in titulo eſt לדוד Davidis, & Chriſtus hic ait *David dicit*, non *Melchiſedec dicit*. Notatum hoc in Baba bathra, & a Davide Camio præfatione in pſalmos. Vide, ſi placet, & Act. 1. 20. Nam quod ex hoc loco colligunt Hieronymus & Hilarius, firmum non eſt.

Luc. 21.

24. Donec impleantur tempora gentium) Hoc alius diceret, *donec impleatur menſura gentium*. Dubito an hic donec excludat ſequens tempus, ut ibi, *donec peperiſſet primogenitum*.

38. Manicabat ad eum) libri alij, *manitabat* .i. mane ibat ad eum. Verbum a mane deductum, ut שִׁחֵר a nomine שַׁחַר aurora. Sic *ὀρθρίζειν*. Dicunt etiam הִשְׁכִּים

eodem

eodem ſignificatu. Porro manicandi verbo uſus fuit interpres vetus Iuvenalis. Sed & Auguſtinus in libro Iudicum & in epiſtola quadam.

Luc. 22.

1. Dies feſtus azymorum qui dicitur Paſcha) Tria olim feſta erant apud Iudæos anniverſaria, quæ רגלים vocantur, videlicet *feſtum azymorum* .i. חג המצות, & feſtum tabernaculorum חג הסכות, & feſtum hebdomadarum, חג השבעות. Primum vocatur Paſcha, ſecundum Scenopegia, tertium Pentecoſte. Item a menſibus, in quibus celebrabantur, nomen acceperunt feſta Niſan, Theſri & Sivan. Vide Medras mechiltha 20. 1. De his tribus feſtivitatibus vide ſis Hiero. in comment. Zach. 1. 1. pag. edit. Plant. 232.

Luc. 23.

3. Tu dicis) q. d. nihil opus eſt me dicere quod ſim rex Iudæorum, cum tu ipſe dicas. Simile in Plauto Ciſtellaria, *pro me reſponſas tibi.*

22. Corripiam eum) malim caſtigabo. Nam in fonte Græco παιδεύσω. Corripimus verbis, caſtigamus flagris, & verberibus. Sic ver. 16. ubi noſter habet *emendatum*, prætulerim *caſtigatum*. Nam non emendatur niſi qui malus eſt. Hinc παιδεία caſtigatio.

Luc. 24.

4. Duo viri) Sic angeli vocantur Act. 1. 10. Gen. 18. 2. & 19. 5. item Iob. 5. 13. Sed quomodo viri, ſi angeli? angeli erant revera & viri in ſpecie. Nam in veritate angeli non ſunt viri. Quia tamen in ſpecie virorum apparent hominibus, ideo viri vocantur. Sic angelus apud Tobiam ſe dicit eſſe Azariam filium Ananiæ. Nam in forma Azariæ apparuit. Vnde canon ille, *Species rerum appellantur de nominibus ipſarum rerum.* Extat apud Auguſtinum.

44. In prophetis & pſalmis) hic excludit Davidem e numero prophetarum, licet inſignis propheta fuerit. Idem fecit Ioſephus. Quapropter? res certi juris eſt. In partitione veteris inſtrumenti, hoc eſt librorum 24. annumeratur hagiographis & non prophetis una cum Daniele. Neuter ſane obiit munus propheticum, ut Ieſaias & reliqui qui prophetæ vocantur tam priores quam poſteriores. Sed cur pſalmos ſolos memorat, & non etiam alios libros ejuſdem ordinis? An quoniam alij pauca de Chriſto (Danielem excipio) prophetarunt? aut *κατὰ συνεκδοχὴν* partem poſuit pro toto. Quod eo credibilius mihi videtur, quoniam in nonnullis codicibus pſalmi primum locum obtinent in hoc ordine, etiam ante Iobum. Quod recte an ſecus fiat, aliis diſcutiendum relinquo: mihi nunc properandum ad alia.

49. Sedete) manete, ut Gen. 22. Sed Ioſ. 1. 14. Cicero, *Si venti eſſent, nos hic Corcyræ non ſederemus.* In Vrbe autem .i. Ieroſolymæ, quæ *κατ᾽ ἐξοχὴν* העיר vocatur .i. *ἡ πόλις*, Vrbs: ac tum ſcribitur fere nomen Vrbs charactere majuſculo. Sic Vrbs de Roma.

30. Accepit panem & benedixit) vocatur ab Ebræis benedictio panis .i. ברכת הלחם. Nam poſt calicis benedictionem pater familias aut honoratior aliquis inter convivas frangit panem & benedicit ſuper eo paullulumque edit: poſt bucceam diſtribuit ſingulis menſæ accumbẽtibus. Hunc panem ſcindunt non abſcindunt, poſtea recitant hanc benedictionem & frangunt: quo facto reliquis epulis manus injiciunt. Benedictionis formula.

באי א״מה המוציא לחם מן הארץ:

Benedictus tu DOMINE Deus noſter rex ſeculi qui educis panem e terra. Hoc dicto, inquiunt, *ſcindit panem & benedicit ſuper illum.* Quod abbreviaturas attinet, eæ valent

ברוך

ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם:

Benedictus tu DOMINE Deus noſter rex ſeculi vel hujus mundi. Nam utrumque עולם ſignificat apud magiſtros.

I. DRUSII
ANNOTATIONES
IN IOHANNEM.

Iohan. 1.

1. IN principio erat ſermo) Amelius philoſophus Platonicus lecto hoc principio queſtus eſt Iohannem euangeliſtam in ſuum librum tranſtuliſſe magiſtri ſui myſteria, & quæ erant Platonis arcana ſua propriaque feciſſe, *Per Iovem*, inquiens, *barbarus iſte cum noſtro Platone ſentit, verbum Dei in ordine principij eſſe conſtitutum.*

Sermo) aut verbum. Mahumediſtæ verbum Dei vocant כַּלְמַת אֱלָהּ, quod natum fatentur ex virgine Maria ſine patre in terris. כלמה verbum, ſermo, ut cum dicunt עֲשָׂרָה כַּלְמָאת decem verba, decalogus.

10. Mundus eum non cognovit) οὐκ ἔγνω, non novit, non approbavit. Sic alibi, *nunquam novi vos: & malum quod facio non cognoſco*, non probo. Sic Pſal. 1. 6. *Deus novit viam juſtorum.* Quidam *non recepit*, quod mox dicit οὐ παρέλαβε.

13. Non ex ſanguinibus) ſunt qui reponant, *non ex cruoribus.* Virgilius Æneid. 4. *ſiccabat veſte cruores*: quod Servius tanquam novum dictum annotavit, cum neque ſangui-

ſanguines dicamus neque cruores. Tamen in Lexico Lat. Græco vereri, ſanguinum, *αἱμάτων*.

14. Ad illud, *Quiſquis enim vulvam aperit*, *πρωτότοκος audit*: adde, *matris*, *non patris*. Nam ubi plures uxores, primogenitus patris eſt qui primus ei naſcitur. Sic Ruben ſolus erat primogenitus Iacobi, licet Dan aperiret matricem Balæ, & Gad Zelphæ, & Ioſeph Rachelis: qui poſtea primogenitus fuit, excidente iure ſuo Rubene.

21. Iohannes negat ſe Eliam eſſe, ut revera non erat is quem Iudæi expectabant. Sed Elias erat quia in virtute Eliæ apparuit. Sic

Atque iterum ad Troiam alter mittetur Achilles,

qui Achilli ſimilis ſit.

17. Gratia & veritas) *ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια.* Gratia hic non eſt חֵן, ſed חסד benignitas, hoc eſt gratuitus Dei favor. חסד autem *χάρις* redditur a Symmacho Pſal. 40. 11. Chaldaice חִנָּא, unde [illegible] חסדא caprea gratiæ.

28. Dicta Bethabara a tranſitu Iſraelitarum, Maſius in Ioſuam 3. 16. & 17. Nam per eam Iordanis partem populus trajecerat. Iud. 7. 14. uſque ad Bethabara. Hiero. Bothbera, quod LXX. ſcribunt *Βαιθβηρά*, ſed in libris *Βαιθηρά* Tremellius, *quæ Bethabara Ioh. 1, 28.*

51. Amen amen). cum geminatur magis intendit aſſeverationem, ut ſæpe in hoc evangeliſta. Reliqui ſemel tantum habent amen. Id ſonat *ἀληθῶς* vere. Geminatur etiam Num. 5. 22. & Ezræ 8. 6. *ἀμὴν καὶ* ita dicitur ut *Abba pater*, *Adonai domine*. prius Ebraicum eſt, poſterius Græcum, videlicet *καὶ*, quod Ebræi enunciant אָמֵן. Hieronymus in comment. Eſai. 65. & Ezech. 16. videtur iurandi formulam agnoſcere in Amen: ſed idem

rectius

rectius de hac re ſentit in comment. ſuper epiſtolam ad Galatas, cap. 6.

Ioh. 2.

1. Cana major erat in Galilæa ſuperiore, minor vero in Galilæa inferiore, in tribu zabulon. Maſius in Ioſuam, *Minor in tribu zabulon erat, ubi DOMINUS aquam in vinum commutavit.*

4. Quid mihi & tibi mulier?) quid mihi tecum rei aut negotij eſt? q. d. nihil. purus putus Ebraiſmus. Ioſ. 22. 24. *Quid vobis & DOMINO?* Etiam Helleniſmus eſt. Quod alias probatũ ex Anacreonte & Demoſthene. Matth. 8. 29. *Quid nobis & tibi Ieſu?* Hieronymus epiſt. 22. cap. 7. *Quid mihi & voluptati quæ brevi perit?*

14. Invenit vendentes &c.) eadem habentur Matth. 21. 12. Sed & Mar. 11. 15. & Luc. 19. 45. Chryſoſtomus in Matthæum *Hoc & Iohannes ſcribit, ſed ille quidem in principio evangelij, & Matthæus ad finem: unde ſit veriſimile bis idem eſſe factum & diverſis occaſionibus, quod apparet ex ipſis temporibus* & *ex ipſa ſcriptione.* Quanti autem fecerit Hieronymus hoc factum Chriſti, diſces ex commentario ejus in Matthæum. Vide & Cl. Caſaubonum contra Baronium, pag. 450.

23. Crediderunt in nomine ipſius) ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. Sed in fonte, εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, in nomen ejus. Hic duo notanda: primum *in nomine* dici pro *in nomen*. Sic alibi, οὐκ ἐπίστευσε ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ, non credidit in ſanctis ſuis: ἐν pro εἰς. Deinde *in nomine ejus* pro in eo. Nam ipſe eſt nomen ſuum, & nomen ejus ipſe eſt. Veteres promiſcue & indifferenter dicebant credere in Deum, & in Deo & credere Deo. Sic dicebant, *eſſe in capite* pro in caput: & *eſſe in carne una* pro in carnem unam.

10. Magiſter in Iſrael) .i. Iſraelitarum. Sic Iud. 5. 7. *Mater in Iſrael* .i. Iſraelis. Nam optime de Iſraele merita erat. Sic *pater patriæ*.

15. Omnis qui credit in ipſum) lectio varians, *in ipſo*. eodem recidit. Nam veteres tam Græci quam Latini promiſcue & indifferenter dicebant πιϛεύειν εἰς τὸν θεὸν καὶ ἐν τῷ θεῷ, *credere in Deum & in Deo*: cujus & ſupra memini. Sed quia hæc ignorata vulgo, ſæpius iteranda ſunt.

23. In Aenon) Iſahaeus Caſaubonus vir doctiſſimus & optime de his literis meritus contra Baronium diſputans docet Aenon & Aenan loca ſeparata eſſe, quæ Baronius confuderat. Nempe in mente habuit αἰνὰν quod in LXX. Gen. 38. 14. ubi בעינים in fonte: qui locus abſque dubio alius eſt ab eo qui hic in euangelio Iohannis αἰνὼν vocatur. Non tamen expeditus nodus. Nam Ezec. 47. 17. עינן legitur & in LXX. αἰνὰν. Quis hæc loca eadem eſſe negabit? ne Carneades quidem, qui tamen de omnibus dubitare ſolitus eſt. Enon ſive αἰνὼν, & o in a verſa ex dialecto Chaldaica αἰνὰν, locus erat prope Iordanem, de quo videndi ſunt Euſebius & Hieronymus in locis Ebraicis. Quærendum etiam an hic ſit locus ille de quo Ezeciel. Nam mihi nunc non vacat.

14. Sicut Moſes exaltavit ſerpentem) Nam poſuit eum in baculo oblongo, ſive in longa pertica, ut eminus ab omnibus conſpici poſſet. Perticam illam vocant נס ſignum, & בלוטא & פורקא furcam. Sic R. Salomo nuncupat.

23. Iuxta Salim) mentio terræ Salim 1. Sam. 9. 4. in qua Saul aſinas patris quæſivit nec invenit. Hujus regionis opidum putant eſſe Salim Tremel. & Iunius, cujus

cujus hic meminit Iohannes: ſed male. Nam Salim ibi eſt שלחים, quod Senes reddunt σεγαλὶμ, & Ionathan vocat *terram* מתברא *Mathbera.*

Iohan. 4.

7. Mulier de Samaria) .i. Samaritana, ut *vir de Benjamin* 1. Sam. 9. 1. *vir de Bethlehem* Ruth. 1. 1. ἄνθρωπος ἀπὸ Ἀριμαθείας Matth. 27. 57. Sic איש מאנטוירפיא *vir de Antuerpia*, Antuerpianus. Quidam ſcribunt Samariam regionis nomen eſſe, non urbis. Samaria enim diſtabat a Sichem duo milliaria, vel, ut alij, duas leucas. Caſaubonus annotat in hac hiſtoria Samaritanum ſæpius pro Sichemita dici.

20. In monte hoc adoraverunt) ubi templum extructum erat Alexandri ævo, cum Sanaballat Samaritanis præeſſet: quod dirutum fuit a Iohanne Hyrcano ethnarcha. In Præteritis ὄρος τὸ ἀργάζον ita dicitur κατὰ πλεονασμὸν, ut οἶκος βηθὴλ domus Bethel, & οἶκος βηθβάαλ domus Bethbaal in libro Iudicum.

22. Salus ex Iudæis eſt) .i. doctrina ſalutis quæ verum Deum docet, qui ſolus adorandus eſt. Hoc oraculum Chriſti hodie non intelligunt, qui res & literas Iudæorum tantopere contemnunt, imo deteſtantur. Qui fons eſt multorum errorum & falſarum opinionum, quibus adhuc Chriſtianiſmus (utinam vanus ſim) hodie ſcatet.

46. Regulus) In Græco textu eſt βασιλικὸς, quod aulicum vel regium miniſtrum denotat, unde βασιλικὴ ipſa aula, quæ & βασιλικὸς οἶκος. Hieronymus Ieſ. 65. *Regulus qui Græce dicitur* βασιλικὸς (imo βασιλίσκος) *quem nos de regia aula rectius interpretari poſſimus palatinum.* Vide nunc Caſaubonum noſtrum pag. 289. adverſus Baronium.

47. Vt *deſcenderet*) Capharnahum erat in monte ſita: dicendum ergo erat, *ut aſcenderet*. Forte aulicus ille in declíviore loco montis habitabat. Aut aliter ſolvendus hic nodus. Nam legimus Iud. 15. 11. *deſcenderunt in ſummitatem petræ*. Contra Ioſ. 7. 24. *Aſcendere fecerunt eos in vallem Achor*. Nam in vallem ex monte deſcenditur. Sed & ex alio loco depreſſiore aſcenditur in eam. Xenophon autor Græcus ὑπάγω dixit pro ἀπάγω, ſubduco pro abduco.

Iohan. 5.

2. Probatica) piſcina erat Ieroſolymæ, in qua lavabantur oves in templo immolandæ: cujus meminit Benjamin in Itinerario per hæc verba, *Ibi conſpicitur in hanc uſque diem piſcina in qua mactabant victimas ſuas: ibi omnes Iudæi ſcribunt nomina ſua in pariete.* Quidam a porta nomen habere putant, quæ Neh. 3. 1. & 12. 39. *porta ovium* dicitur .i. προβάτων. Ebraice שער הצאן.

27. Pater meus operatur adhuc) Samuel ſapiens quidam Ebræus cum interrogaretur a matrona quadam quid nunc Deus ageret? reſpondiſſe fertur, *Sedet & ſcalas parat, per quas hunc aſcendentem, illum deſcendentem facit.* Quadrat cum illo Æſopi qui Iovem dicebat τὰ ὑψηλὰ ταπεινοῦν καὶ τὰ ταπεινὰ ὑψοῦν: *alta humiliare & humilia extollere.*

24. In judicium non venit) .i. non condemnatur. Nam *judicare* condemnare, & *judicium* condemnatio: unde mox verſ. 29. *reſurrectio judicij* .i. condemnationis, cui opponitur *reſurrectio vitæ*, quæ proprie juſtorum eſt.

43. Si alius venerit in nomine ſuo illum recipietis) R. Aquiba, teſte Porcheto, recepit Barchozibam pro Meſſia anno ætatis ſuæ octogeſimo. Vixit autem annis

centum

centum viginti. Primis quadraginta annis mercator fuit: deinde aliis quadraginta diſcipulus fuit diſcipulorum Hellelis: poſtea factus fuit Rabbi in Bitther, ubi & Barchoziba regnavit; quem ipſe Barchochebam nominabat, & de illo exponebat textum illum, *Orietur ſtella ex Iacob*. Sunt qui opinantur verum nomen fuiſſe Barchochaba a vico quodam Galilææ, Euſebio memorato, quaſi *filius Chochabæ*, ſicut dicimus *filius Ieruſalem*. Porchetus appellatum cenſet a כזיב opido Barchoziba ſive Benchoziba. Idem duos recenſet hoc nomine, quorum alter vixerit Veſpaſiani & Titi temporibus. Non perſuadet. Meſſias iſte ſuſcipiebat lapides machinæ in uno de genibus ſuis, quos jaciebat & ſpargebat ſuper exercitum Adriani, interficiebatque animas plurimas. Monetam cudebat quæ dicebatur Chozabia: unde מעות כוזביא oboli Chozabiæ. Tribus annis cum dimidio obſedit eum Adrianus in Bitther. Qua capta occiderunt eum, & adduxerunt caput ejus coram Adriano, qui dixit, Quis occidit eum? Dixit miles quidam, Ego occidi eum. Cui Adrianus, Vade & adfer ad me truncum ejus. Allato trunco invenit ſerpentem involutum collo ejus. Tum Adrianus, Niſi Deus ejus occidiſſet eum quis potuiſſet reſiſtere illi? Vide Porchetum in victoria ſua contra Iudæos, cap. 10. ubi plura de hoc ἠλειμμένῳ & omnino lege totum caput illud.

Iohan. 6.

9. Duos piſces) δύο ὀψάρια. Græca vox videtur potius denotare piſciculos. Nam piſcis τὸ ὄψος vel ὄψον dicitur: unde Num. 11. 22. in editione Græca καὶ πᾶν τὸ ὄψος (alias ὄψον) τῆς θαλάσσης, omnes piſces maris. ſ. Auguſtinus ad verb. *omnis piſcis*: ſed in Ebræo, *omnes piſces*, כל דגי. Medicina hinc Lexico veteri, ὀψάριον, ci-

culum. Nam legendum, *piſciculum*. Iohan. 21. 9. in vulgata noſtra piſcis legitur pro eo quod in editione Græca ὀψάριον. Vide Cl. Theodorum.

44. Traxerit eum) Trahere משך dicitur & eſt occulto impetu aliquem impellere quo velis. Sic Deus traxit Siſaram ad torrentem Ciſon Iud. 4. 7. Interdum ſignificat verbis atque rationibus aliquem trahere in partes tuas aut quo libet. Sic Barac traxit Naphthalitas & Zabulonitas ad montem Thabor, ut ibi communi conſilio deliberarent de bello Siſaræ inferendo.

Ioh. 7.

37. In noviſſimo die magno feſtivitatis) hoc eſt octavo die feſti tabernaculorum, qui עצרת dicebatur, & æque feſtus erat ac primus. Hoc die poſt meridiem e tabernaculis exibant & domum repedebant. Supra 14. *feſto autem jam medio* .i. circiter diem quartum. Nam ſeptem dies durabat hoc feſtum, quibus addebatur octavus, de quo jam nunc dictum eſt.

38. De ventre ipſius) hic ventrem dixit pro corde, ut Iob. 15. 35. *venter eorum parat dolum* .i. cor eorum concinnat dolum. Sic Pſal. 39. 9. *legem tuam in medio ventris mei*. Habac. 3. 16. *commotus eſt venter meus*. Nam cor in ventre: ſynecdoche. Vide Theophylactum & Sirach. 51. 30.

Iohan. 8.

13. Teſtimonium tuum non eſt verum) i, ratum, firmum, ſtabile, ut infra 16. *judicium meum verum eſt*: & 17. *verum erit omne verbum*. Vide quæ notavimus ad hunc poſtremum locum & Parallela mea. Deut. 13. 14. & 17. 4. אמת נכון הדבר *veritas, certa res eſt*. LXX. ἀληθὲς σαφῶς ὁ λόγος. Sed נכון verum, unde & אמת veritas. Sig. etiam fidum. Nam אמונה fides. אמת veritas

pro

pro אמנת. Deſideratur ergo Nun. Nam radix אמן. Quod indicat ſtatus conſtructus cum affixis אֲמִתּוֹ veritas ejus &c.

Iohan. 9.

2. Quæ ad hunc verſum annotavi, confer; ſi placet, cum iis quæ ſcripſi Matth. 16. 14. Quibus adde Pythagoram hanc μετεμψύχωσιν accepiſſe ab Ægyptiis, quam poſtea Druydę receperunt: de qua poeta neſcio quis,

Morte carent animæ ſemperque priore relicta
Sede novis domibus vivunt &c. Et

Muta ferarum
Cogit vincla pati, truculentos ingerit urſis,
Prædoneſque lupis, fallaces vulpibus addit.
Atque ubi per varios annos per mille figuras
Egit, lethæo purgatos flumine tandem
Rurſus ad humanæ revocat primordia formæ.

7. In natatoria Siloe.) mentio hujus Nehem. 3. ubi vocatur בְּרֵכַת הַשֶּׁלַח. *Sed & murum piſcinæ Siloe juxta hortum regis ædificavit.* In hac ſacerdotes abluebant oves immolandas, unde προβατική dicta. In Siloam addita μ, ut in Silom pro Silo. σηλώμ eſt Iud. 18. 31. in editione Græca.

Iohan. 10.

22. Ad verba illa, *Nam dedicatio templi ſic vocabatur*, adde, Templum quater dedicatum fuit. De tertia hic ſermo eſt, quæ fiebat Iudæ Machabæi ævo, cujus meminit etiam Ioſeph Abben-Gorion. Quarta fiebat ab Herode magno ante Chriſtum natum anno ſeptimo.

29. Major omnium.) .i. maximus omnium. comparativus pro ſuperlativo μείζων pro μέγιστος, ut Matth. 18. 1. & 23. 11. Sic Matth. 13. 32. μεῖζον τῶν λαχάνων, maximum olerum. Vide & Marc. 4. 32.

Iohan.

Iohan. 11.

11. Dormit) Iob. 14. 12. *Vir dormit nec ſurgit*. שָׁכַב cubat in pulvere terræ ſive in ſepulchro. LXX. ἄνθρωπος κοιμηθεὶς οὐ μὴν ἀναστῇ: *homo cum dormierit non utique reſurget*. Surgere pro reſurgere, ut Pſal 1. *non reſurgent improbi in judicio*, לא יקומו. Senſus eſt, non reſurgent naturaliter. Nam reſurrectio Dei opus eſt non naturæ. Siquidem contra naturam homines reſurgent ſive ad vitam, ſive ad judicium .i. condemnationem. Reſurrectio ad vitam, proprie dicitur Ebræis תחיה, & Græcis ἀνάστασις: unde intelliges quid ſit *Reſurrectio* (תחיה) *non eſt niſi juſtorum*. Nam improbi reſurgent ad judicium.

9. Nonne duodecim horæ ſunt diei?) י״ב שעות ביום. Dies dividebatur, inquit vir doctus, in tres horas primam, ſecundam & tertiam. Singulæ rurſum quatuor horas complectebantur. Prima complectabatur 1. 2. 3. & 4. Secunda 5. 6. 7. & 8. Tertia 9. 10. 11. & 12. Quæ aliis dijudicanda relinquo. Nam probare aut improbare temere non eſt meum. Et alij & ego etiam homo ſum. Tam ego quam illi errare poſſunt. Nam humanum eſt errare. Vt horæ diei ſunt, ita noctis vigiliæ, quæ antiquitus tres erant, poſterior ætas quatuor memorat. Erant autem horæ inæquales, hyeme breviores & æſtate longiores.

Ibid. E ſomno ſuo) explico de ſomno mortis, qui Ierem. 51. 39. vocatur ſomnus ſeculi aut æternus. Sic Iob. 14. 14. *evigilabunt e ſomno ſuo*: ubi Thargum, *e domo dormitionis ſuæ*, hoc eſt e ſepulchro ſuo. Dicitur tam de morte improborum quam juſtorum. Quanquam commentarius in Proverbia Salomonis qui Cabvenaki vocatur Pro. 3. 14. *mors juſtorum vocatur ſomnus propter ſimilitudinem quæ eſt inter ſomnum & mortem*. Vide ſequentia.

quenſiæ. Huc pertinet illud,

Stulte quid eſt ſomnus gelidæ niſi mortis imago?

Cæterum poetæ mortem νυκτὰ vocant. i. noctem, & χάλκεον ὕπνον.

19. Vt conſolarentur eas) Ebræi hoc dicerent, *ut loquerentur ſuper cor earum*: quod interpretes reddunt ad cor. Vide Obſervationes meas. Syrus hic habet, *ut loquerentur in corde earum*: niſi mavis, *cum corde*. Nam ב ita ſæpe ſignificat. Sed loqui cum corde ſuo potius eſt loqui apud ſe vel ſecum, ut Cohel. 11.16. *locutus ſum cum corde meo* .i. mecum.

35. Locus Hoſeæ ambiguus eſt. Nam etiam de Iacobo intelligi poteſt. Ebræi tamen verba illa, *& flevit* de angelo enarrant, qui victus a Iacobo tenebatur & flens ſe dimitti poſtulabat. Vide lectiones noſtras in Hoſeam.

Iohan. 12.

3. Maria ergo) aſſentior iis qui hanc Mariam aliam eſſe cenſent ab ea quæ pedes Ieſu unxit Luc. 7. 38. Nam illa peccatrix ibi vocatur, hæc paſſim commendatur a pietate, ſoror Marthæ & Lazari, quos DOMINUS diligebat.

Ibid. Vnxit pedes Ieſu) prius lavit, deinde unxit. Nam poſt lotionem unctiones adhibebantur ad obſtruendos corporis poros. Notavit hoc Euſtathius Iliad. Χ. Aut unxit ad pollincturam, ut Mar. 16. 8. Infra, *ſine illam ut in diem ſepulturæ ſervet illud*. Aut quia ſupra hominem eum agnoſcebat; unxit honoris & reverentiæ cauſſa, ut Iacob lapidem quo uſus fuerat pro cervicali Gen. 28. 18.

Ioh. 13.

8. Pars in David & in filio Iſraelita dicitur ut Ioſ. 22.

11. Dormit) Iob. 14. 12. *Vir dormit nec ſurgit.* שָׁכַב cubat in pulvere terræ ſive in ſepulchro. LXX. *ἄνθρωπος κοιμηθεὶς οὐ μὴν ἀναστῇ* : *homo cum dormierit non utique reſurget.* Surgere pro reſurgere, ut Pſal 1. *non reſurgent improbi in judicio,* לא יקומו. Senſus eſt, non reſurgent naturaliter. Nam reſurrectio Dei opus eſt non naturæ. Siquidem contra naturam homines reſurgent ſive ad vitam, ſive ad judicium .i. condemnationem. Reſurrectio ad vitam, proprie dicitur Ebræis תחיה, & Græcis *ἀναβίωσις* : unde intelliges quid ſit *Reſurrectio* (תחיה) *non eſt niſi juſtorum.* Nam improbi reſurgent ad judicium.

9. Nonne duodecim horæ ſunt diei?) י״ב שעות ביום. Dies dividebatur, inquit vir doctus, in tres horas primam, ſecundam & tertiam. Singulæ rurſum quatuor horas complectebantur. Prima complectabatur 1. 2. 3. & 4. Secunda 5. 6. 7. & 8. Tertia 9. 10. 11. & 12. Quæ aliis dijudicanda relinquo. Nam probare aut improbare temere non eſt meum. Et alij & ego etiam homo ſum. Tam ego quam illi errare poſſunt. Nam humanum eſt errare. Vt horæ diei ſunt, ita noctis vigiliæ, quæ antiquitus tres erant, poſterior ætas quatuor memorat. Erant autem horæ inæquales, hyeme breviores & æſtate longiores.

Ibid. E ſomno ſuo) explico de ſomno mortis, qui Ierem. 51. 39. vocatur ſomnus ſeculi aut æternus. Sic Iob. 14. 14. *evigilabunt e ſomno ſuo:* ubi Thargum, *e domo dormitionis ſuæ,* hoc eſt e ſepulchro ſuo. Dicitur tam de morte improborum quam juſtorum. Quanquam commentarius in Proverbia Salomonis qui Cabvenaki vocatur Pro. 3. 14. *mors juſtorum vocatur ſomnus propter ſimilitudinem quæ eſt inter ſomnum & mortem.* Vide ſequentia.

quentia. Huc pertinet illud,

Stulte quid eſt ſomnus gelida niſi mortis imago?

Cæterum poetæ mortem νυκτα vocant, i. noctem, & χάλκεον ὕπνον.

19. Vt conſolarentur eas) Ebræi hoc dicerent, *ut loquerentur ſuper cor earum*: quod interpretes reddunt ad cor. Vide Obſervationes meas. Syrus hic habet, *ut loquerentur in corde earum*: niſi mavis, *cum corde*. Nam ב ita ſæpe ſignificat. Sed loqui cum corde ſuo potius eſt loqui apud ſe vel ſecum, ut Cohel. 11. 16. *locutus ſum cum corde meo*. i. mecum.

35. Locus Hoſeæ ambiguus eſt. Nam etiam de Iacobo intelligi poteſt. Ebræi tamen verba illa, *& flevit* de angelo enarrant, qui victus a Iacobo tenebatur & flens ſe dimitti poſtulabat. Vide lectiones noſtras in Hoſeam.

Iohan. 12.

3. Maria ergo) aſſentior iis qui hanc Mariam aliam eſſe cenſent ab ea quæ pedes Ieſu unxit Luc. 7. 38. Nam illa peccatrix ibi vocatur, hæc paſſim commendatur a pietate, ſoror Marthæ & Lazari, quos Dominus diligebat.

Ibid. Vnxit pedes Ieſu) prius lavit, deinde unxit. Nam poſt lotionem unctiones adhibebantur ad obſtruendos corporis poros. Notavit hoc Euſtathius Iliad. χ. Aut unxit ad pollincturam, ut Mar. 16. 8. Infra, *ſine illam ut in diem ſepulturæ ſervet illud*. Aut quia ſupra hominem eum agnoſcebat; unxit honoris & reverentiæ cauſſa, ut Iacob lapidem quo uſus fuerat pro cervicali Gen. 28. 18.

Ioh. 13.

8. Pars in David & in filio Iſai ita dicitur ut Ioſ. 22.

25. *Non erit vobis pars in DOMINO:* quod explicant, non eritis populus DOMINI, aut in eorum numero qui theſaurum benignitatis ejus ut heredes participent. ita Maſius in Ioſuam 324.

Iohan. 14.

16. Iob. 16. 20. in Thargum פרקליטי παράκλητοί μου, advocati mei. In fonte מְלִיצַי oratores aut rhetores mei.

Iohan. 17.

17. Sanctifica eos in veritate) .i. vere. Si electi vere ſancti ſunt, ergo eorum ſanctitas plus eſt quam inchoata, etſi non perfecta. Nam ſi ſanctitas inchoata, quæ non eſt perfecta, tunc fatendum eſt omnem ſanctitatem in hac vita inchoatam eſſe. Sed cui hoc perſuadebimus? Sic Exod. 19. 6. *Eſtote ſancti quia ego ſanctus ſum.* Deus non eſt inchoate ſanctus. Ezec. 20. 41. *ſanctificabor in vobis.* Inchoata ſanctitas non poteſt Deum ſanctificare. Rom. 8. 30. *Quos vocat, hos & juſtificat.* ego addo, *hos & ſanctificat.* Eſt tamen quando pii inchoant ſanctitatem, *Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc* Apocalyp. 22. 11. ubi &, *Qui juſtus eſt juſtificetur adhuc.* Si is qui ſanctus eſt, poteſt adhuc ſanctificari, ergo in hac vita ſanctus dici poteſt qui plus eſt quam inchoate ſanctus. Ceterum Græci codices hic habent, ἐν τῇ ἀληθείᾳ σου in veritate tua. Quod alium ſenſum habet. Nam veritas Dei eſt conſtantia in ſervandis iis quæ promiſit.

Iohan. 19.

1. Flagellavit) flagellandum curavit aut juſſit flagellari, nempe quia crucifigendus erat. Hieronymus in commentariis Matth. 17. *Romanis legibus ſancitum eſt ut qui crucifigeretur prius flagellis verberaretur.* Zacharias

in u-

in unum ex quatuor hæc verba deſcripſit. Vide Matth. 27. 26. & 20. 19.

31. Vt frangerentur eorum crura) vel diffringerentur, ut cum Plauto loquar. Crurifragium ſive crurifrangium, ut crux ipſa, ſervorum peculiare quaſi ſupplicium fuit. Græce dicitur σκελοκοπία. Ratio & modus frangendi crura talis erat, ut incus cum malleo vel vecte ferreo inferretur, ac tibias incudi imponerent validis ictibus ſic frangendas. Vide Lipſium de cruce lib. 2. cap. 14.

31. Magnus ille dies ſabbathi) qui vocatur *ſabbathum* magnum ſive majus, & diem Paſchatis proxime antecedit. Sic Chryſoſtomus eam hebdomadam, quæ Paſchatis feſtum præcedit, vocat hebdomadam magnam.

40. Sicut mos eſt Iudæis ſepelire) ἐνταφιάζειν eſt in Græcis, quod potius denotat funerare aut aromatibus condire. Id Ebræi verbo חנט enuntiant. Interdum ἐτάφη ponitur hoc ſenſu. Quo accommodant locum illum ſymboli, *ſepultus eſt, deſcendit ad inferos*. Vide Matth. 26. 12.

Iohan. 20.

27. Sed fidelis) imo *credulus*. Nam ſi ἄπιστος eſt incredulus, cur πιστὸς non poteſt reddi *credulus*? Stephanus in Theſauro ſuo docet πιστὸν ſignificare illum qui fidem adhibet. Vide ſis Nicolaum Fullerum, Miſcel. lib. 1. cap. 19.

Iohan. 21.

2. Qui erat a cana Galilææ) cum duplex fuerit Galilæa, ſuperior, inferior, non ſine cauſſa quæritur de qua Galilæa hic locus intelligendus ſit. Et Euſebius intelligit de Galilæa gentium, quæ & Galilæa ſuperior, ubi & Chriſtus aquam in vinum convertit, Iohan. 2. Maſius autem in Ioſuam 294. ſcribit aquam in vinum

conversam esse in Gallicam inferiorem. Non decido hanc [illegible] hoc tempore. [illegible] Quæ de clavis diximus, iis adde quaternos fuisse, qui per singulas manus & singulos pedes singuli adigebantur: ita venis ac nervis abruptis. effluebat ingenti copia sanguinis incredibili cruciatu * [illegible] horas aliquot mori necesse erat. Quod si serius fieret, effringebantur crura eis ad accelerandam mortem. Meminerunt horum clavorum Apuleius & Plinius. Plautus Mostellaria, *Ego dabo ei talentum primus qui in crucem excucurrerit. Sed ea lege ut offigantur bis pedes bis brachia.* Brachia dixit & non manus. Nam etsi duræ & nervosæ illæ partes & lentæ frangi, quia tamen toti corporis moli, gravioris præsertim, non fuerunt interdum ferendæ, non in media semper manus vola clavi fixi, sed superius paullo qua cum brachio coit .i. circa carpum. Hæc fere Taubmannus in Plautum, quæ produximus quia lucem aliquam adferunt huic historiæ. Supplicium enim illud mere Romanum erat, unde a Romanis mutuanda quæ ad illud illustrandum faciunt. Qui aliter sentit, næ ille in magno errore versatur.

I. DRUSII ANNOTATIONES

In Acta Apostolorum.

Act. 1.

1. QVæ cœpit Iesus & facere & docere, sensus est, quæ Iesus fecit & docuit. Sic Plautus dixit; *inscitus* [illegible]

ire cœpit pro inficiatus eſt: & Petronius, *curſim Aſcylton perſequi cœpi*, pro perſecutus ſum. Idem *per medium lupanar fugere cœpi* .i. fugi. Ezras aliquoties ita locutus eſt.

14. Et fratribus ejus) Ieſu videlicet, hoc eſt cognatis & conſanguineis, Iudæi enim appellant tales fratres, ut Iud. 9. 3. *frater noſter eſt*. Auguſtinus contra Fauſtum lib. 22. cap. 35. *fratres DOMINI vocantur in evangelio non utique quos Maria virgo pepererat, ſed ex ejus conſanguinitate omnes propinqui.* Beda & ex eo Zacharias Chryſopolitanus epiſcopus, *Fratres DOMINI intelligere debemus conſobrinos ejus, ſcilicet liberos materteræ ejus .i. matris Iacobi minoris & Ioſeph & Iudæ. Quidam ſequentes deliramenta apocryphorum ſuſpicantur fratres DOMINI foris ſtantes eſſe filios Ioſeph de quadam muliercula.* Anſelmus Matth. 13. *Fratres apud Iudæos ſolent dici cognati, non ſolum ex gradu cognationis, ſicut fratrum & ſororum, qui etiam uſitatiſſime apud nos fratres dicuntur, ſed etiam avunculus & ſororis filius, ſicut erant Iacob & Laban, fratres appellari inveniuntur.* Ruſſum Auguſtinus in primo locutionum, *Quia homines fratres nos ſumus dixit Abraham ad Lot. Unde intelligitur morem eſſe Scripturæ ita loqui ut fratres appellentur unius cognationis, etiamſi gradu ſanguinis differant, ut alter ſit in ſuperiore, alter in inferiore, ſicut hoc loco. Nam patruus erat Abraham.* Alius recentior, *Fratres DOMINI ſunt cognati, [illegible] alterius Mariæ filii quatuor, nempe Iacobus, Ioſes, Simon & Iudas, de quibus Matth. 13. 53. & Marc. [illegible] nisi [illegible] unum fuiſſe ex undecim, [illegible] filius dicitur [illegible] qui tamen non [illegible] Iacobum fratrem DOMINI [illegible] diſtinguant [illegible]*

19. Agro Haceldema adjacebat mons, qui a vicinitate Haceldama vocatur. Vide Maſium in Ioſuam, pag. 283.

20. In libro pſalmorum) hinc Hilarius & Hieronymus colligunt unum tantum eſſe librum pſalmorum. Debile argumentum. Nam ab Ebræis nuncupatur liber laudum, & tamen tribuitur in libros quinque. Id Hieronymus quidem negat, ſed audiendus non eſt. Vide Luc. 20. 42. & Quæſtiones noſtras lib. 2. quæſt. 57.

Actor. 3.

25. Omnes familiæ terræ) πατριαὶ familiæ. Sic interpretantur LXX. Exod. 6. 15. item 1. Sam. 9. 21. Pſal. 21. 30. & alibi. Tob. 5. 13. φυλὴν καὶ πατριὰν, tribum & familiam. Non eſt ἐξήγησις. Nam in una tribu plures familiæ. Ioſ. 7. 14. Sic Levit. 15. 10. εἰς τὴν πατριὰν αὐτοῦ: alias πατρίδα. Nam etiam πατρὶς redditur familia 1. Paralip. 5. 7. Scire licet quædam exemplaria habere πᾶσαι αἱ φυλαὶ, *omnes tribus*. Nam ponitur familia .i. משפחה, etiam pro tribu Ioſ. 7. 14. Hinc domus πατριῶν patriarum .i. familiarum. Nam in quaque familia plures erant domus patrum, quæ ſimpliciter domus vocantur Ioſ. 7. Heſychius πατριὰ, φυλή. Exod. 12. 3. κατ' οἴκους πατριῶν, hoc eſt interprete Cypriano lib. 2. adverſus Iudæos, *per domos tribuum*. Auguſtinus in libris Locutionum, *Quas dicat patrias non facile eſt intelligere: utrum civitates in quibus commanebant? an potius numeroſas familias cujuſque veluti paternitate propagatas? hoc enim magis in Græco ſignificari perhibetur*. Ceterum πατριὰς vocat Ioſephus familias viginti quatuor ſacerdotum, quarum principes πατριάρχαι dicebantur. Hoc ſenſu fortaſſe ſumitur, quum Huillus Iudæus, qui tempore Origenis vixit, vocatur patriarcha: aut ſignificat

ibi

ibi principem ſynagogæ. Nam & hi quandoque ita nuncupantur.

Act. 4.

25. Spiritu ſancto per os David pueri tui dixiſti) Sic Marc. 12. 36. *Dixit David in ſpiritu ſancto:* & Matth. 22. 43. *in ſpiritu vocavit eum DOMINVM.* Vide quæ ſcripſimus ad hunc locum. Sed & Mar. 12. 36. Sed quid? an non alij etiam in ſpiritu locuti ſunt? hoc peculiariter dicitur de Hagiographis, qui כתובים appellantur, quia ſcripti ſunt ברוח הקדש in ſpiritu ſancto. Nam prophetæ in excellentiore gradu fuerunt, licet etiam in ſpiritu ſua ſcripſerint.

36. Filius conſolationis) hoc Syrus dicit בַּר־ארבוּיאא, quod a verbo Syriaco בְּיָא deducunt. Id ſignificat conſolatus eſt. Sed ab eo non poteſt eſſe Barnabas, niſi admodum coacte.

Act. 5.

2. Fraudavit de pretio) alius *intervertit*. Sic Ioſ. 7. 1. ἐνοσφίσαντο ἀπὸ τοῦ ἀναθέματος, clam uſurparunt de anathemate, ſurripuerunt vel ſuffurati ſunt & clam ſubduxerunt inque uſum ſuum converterunt. Verbum factum ex νόσφι ſive νόσφιν, quod ſeorſim vel ſeorſum denotat. Reperitur cum alibi tum in epiſtola ad Titum, cap. 1. μὴ νοσφιζομένους, nihil intervertentes & 2. Machab. 4. νοσφισάμενος χρυσώματα, aurea vaſa ſuffuratus.

29. Huc refer illud Herodoti, *Ea quæ Dei ſunt ſive quæ ad Deum pertinent, debere nobis eſſe antiquiora quam quæ ſunt hominum.*

Act. 7.

2. In Meſopotamia) hoc eſt in Chaldæa. Ebraice ארם נהרים, quæ vox late interdum ſumitur & per abuſionem pro Aſſyria, quæ Chaldæam & Meſopotamiam ſuperio-

periorem continet, ponitur. Hoc alias probabo: nunc non vacat mihi. Omnia uno tempore dici non poſſunt.

16. Abraham) Sunt qui opinantur bis hunc agrum emptum fuiſſe, primum ab Abrahamo, deinde cum alienatus eſſet a Iacobo. Sed placet conjectura mea Abraham pro Iſraele, ut cum legimus *ſervus Abraha* Iohan. 8. 33. i. Iacobi aut Iſraelis. Sic Amos 7. 9. *excelſa Iſahac* .i. Iſraelis. לִבְנֵי אַהֲרֹן *filij Abaronis.* לְמֹשֶׁה Pſal. 90. 1. *filij Moſis*, qui cantores erant in domo ſanctuarij. Sic Saadias enarrat. Vide Davidem Camium, quem vulgo Cimchi vocant.

58. Depoſuerunt veſtimenta ſua) nam ab iis primi lapides projiciebantur, juxta illud Deut. 13. 9. *Sit primum manus tua ſuper eum, & poſt te omnis populus mittat manum.* Vide & Deut. 17. 7.

60. Ne ſtatuas illis hoc peccatum) condones & remittas eis. Inſtitutum erat veterum piorum, qui primi ſive priores appellantur, ut dicerent, *Remitte & condona ijs qui vexant & affligunt nos.* Pios voco, qui & Haſidæi, quos Ebræi חסידים appellant.

Act. 8.

23. Fel Ebræis מְרֵרָה dicitur Iob. 16. 13. & מְרוֹרָה 20. 14. ab amaritudine qua inter humores exuperat: unde adagium, πικρότερον τῆς χολῆς felle amarius, ſicut vulgo dicimus **bitter dan galle**. Alexius Comicus apud Athenæum ταῦτ' οὐχὶ πικρότερ' ἐστὶ αὐτῆς τῆς χολῆς; Sane Latini autores fellea vocant amara. & Plautus dixit, *Corda in felle ſunt ſita aut acerbo aceto.* Hinc fel pro animi amaritudine ponitur, & Plato τὸ θυμικὸν in felle collocabat Hieronymus in comment. Matth. 13. *putat ille philoſophus rationabile noſtrum in cerebro, iram in felle, deſiderium in jecore commorari.* Lactantius de opificio hominis.

Felſis

Fellis amariſſimus liquor eſt: unde quidam putant affectum iracundiæ in felle conſtitutum. Gloſſæ veteres in Perſium, *Phyſici tradunt homines ſplene ridere, felle iraſci, jecore amare, corde ſapere, pulmone jactari.* Proprie χολῆς voce non fel intelligitur, ſed amaror cujuſmodi eſt myrrhæ genuinæ, leniter, inquit Plinius, amaræ.

27. Qualis pleonaſmus in *vir Iudæus*, talis eſt in *vir Iſrael*, qui etiam *Iſrael* vocatur diciturque & de uno ſingulari & de pluribus. Nam & Iſraelitam ſignificat & Iſraelitas. Sic *vir Abiezer*, Abiezritæ.

32. Non aperuit os ſuum) aperire os dicitur qui loquitur, & loqui qui cauſſam ſuam agit aut defendit in judicio. Sic paſſim loqui ſumitur, ut Iob. 37. 28. *An narrabitur ei quum loquar?* & alibi. Sic in libro hymnorum Davidicorum, *Vt juſtus ſis cum loqueris* .i. quum cauſſam tuam ages in judicio ſive per te ſive per alium. Chriſtus certe aperuit os & locutus eſt in judicio, ſed reliquit cauſſam ſuam indefenſam, non defendit ſe.

36. Venerunt ad quandam aquam) quænam fuerit hæc aqua incertum. Si Fullero credendum, fons erat juxta Bethſoron ad radices montis ebulliens, qui ab eadem, in qua gignitur, abſorbetur humo. Paullo aliter Borchardus. Vide Fulleri Miſcellanea lib. 2. cap. 8.

Act. 13.

8. Arabice עָאלִם & עָלִים & עַלָּאם ſapiens, doctus, ſciens, prudens, literatus. אלה עָלִים Deus novit aut ſcit.

Act. 13.

19. Septem gentes in terra Chanaan) quæ propterea terra ſeptem gentium vocatur: gentes autem illæ memorantur Ioſ. 3. 10. & alibi aliter. Nam eſt ubi una ex ſeptem omittitur vel quia minima vel quia minus potens. Verſ. 17. *brachium* uſurpat pro robore ac potentia, ut

Iob. 40. 4. *Si brachium ſicut Deo tibi?* ſenſus, An tam potens es quam Deus? Ig[illegible] *in brachio excelſo*, ſive ut alibi *extento*, hoc eſt in potentia magna. Nam qui valide aliquem ferire vult, brachium extollit in altum.

34. Sancta David fidelia, hoc quovis ænigmate obſcurius illuſtrandum nobis eſt. חסיד vetuſta interpretatione ſanctus .i. ὅσιος: unde חסדי דוד τὰ ὅσια Δαβίδ .i. ſancta David, cum potius denotet benignitates David .i. Davidi factas aut promiſſas. Πιστὰ .i. βέβαια, interprete Heſychio, firma robuſta. Ebraice נאמנים fida, rata. Quo ſignificatu & ἀληθὴς uſurpatur in illo, *teſtimonium meum verum eſt: & in ore duorum aut trium teſtium verum erit omne verbum.*

Act. 16.

12. Quæ prima partis Macedoniæ civitas) .i. regionis Macedoniæ. Pars pro regione notius eſt quam ut probari debeat. Sic Matth. 15. 21. Sic *in partibus Tyri.* Interpres vetus Perſij *Herodes apud Iudæos regnavit in partibus Syriæ.* Cicero, *Sine te non eſſe nobis illas partes tenendas propter Antonium.* Vbi tamen aliam ſignificationem habere poteſt. Nam tenemus partes illas quas ſequimur, ubi populus in partes diviſus.

13. Proſeucharum meminit Ioſephus in vita ſua his verbis, *Sequenti ergo die populus convenit in proſeucham, quam vocant precationis domum.* Item *Eo* (Tiberiadem videlicet) *veniens offendi congregatum populum in proſeucha.* Et, *In proſeucham ad precandum conveni.* Et infra, *Factum eſt autem euntibus nobis in proſeucham.* Luc. 6. 12. *erat pernoctans in proſeucha Dei.* Vide quæ notavimus ad hunc locum.

16. Spiritum Pythonis) .i. Pythonicum. Tales πυθόμαντεις dicuntur. In Syro eſt, *ſpiritum divinationis.*

Nam

Nam divinabant per Pythonem, unde legimus, *divina mihi* באוב *per Pythonem.* Non tamen omnis divinatio per Pythonem fiebat: unde Moſes Deut. 18. 10. & 11. Divinum ſive divinatorem diſtinguit ab eo quem vocat שואל אוב interrogantem Pythonem, qui בעל אוב doctoribus. Senes ἐγγαστρίμυθον appellant. Nam ex ventre reſponſa reddebat. Sequitur in Syro, *divinationibus quas divinabat.* Divinare divinationes legitur apud Ebræos Deut. 18. 10. & 2. Reg. 17. quod ita dicitur ut *pugnare pugnam, gaudere gaudium*, & alia ejus generis. Voce πυθὼν, qui dæmon erat cujus afflatu prędicebant futura, utuntur etiam Ebræi, una littera immutata. Nam dicunt פיתום Phithom, cum (m) in fine. Python, Phithom. ut Πανεας Phameas .i. פמיאס. Sic Hiſpania & Iſphamia. Quibus adde, ſi vis, Noph & Moph, Madian & Madiam, Satan & Satam, adverſor. Nam in Madiam poteſt mendum eſſe librariorum, quale in Εδὲμ pro Eden.

Act. 17.

21. Ad dicendum aut audiendum aliquid novi.) hanc levitatem ſuis civibus ſæpenumero exprobat Demoſthenes. Plutarchus quoque illam notavit.

Act. 18.

18. Totonderat in Cenchris caput) ex voto, quale olim Naziræi vovebant, de quo Num. 6. 18. Vide infra 21. 24.

Act. 19.

1. Peragratis ſuperioribus partibus) quæ *ſuperiores regiones* appellantur 1. Machab. 3. 37. & 7. 20. & *loca ſuperiora* 2. Machab. 9. 23. Iud. 1. 46. & *ſuperiora regna* 2. Machab. 9. 29.

38. Conventus forenſes aguntur) Beza emendat *agitur forum.* In fonte ἀγοραῖοι, ἄγονται, & ſubintelligitur ἡμέραι.

converſam eſſe in Galilæa inferiore. Non decido hanc litem hoc tempore. Alias id faciam. Quæ de clavis diximus, iis adde quaternos fuiſſe, qui per ſingulas manus & ſingulos pedes ſinguli adigebantur: ita venis ac nervis abruptis, defluente ingenti copia ſanguinis incredibili cruciatu * eos intra horas aliquot mori neceſſe erat. Quod ſi ſerius fieret, effringebantur crura eis ad accelerandam mortem. Meminerunt horum clavorum Apulejus & Plinius. Plautus Moſtellaria, *Ego dabo ei talentum primus qui in crucem excucurrerit. Sed ea lege ut offigantur bis pedes bis brachia.* Brachia dixit & non manus. Nam etſi duſæ & nervoſæ illæ partes & lentæ frangi, quia tamen toti corporis moli, gravioris præſertim, non fuerunt interdum ferendæ, non in media ſemper manus vola clavi fixi, ſed ſuperius paullo qua cum brachio coit .i. circa carpum. Hæc fere Taubmannus in Plautum, quæ produximus quia lucem aliquam adferunt huic hiſtoriæ. Supplicium enim illud mere Romanum erat, unde a Romanis mutuanda quæ ad illud illuſtrandum faciunt. Qui aliter ſentit, næ ille in magno errore verſatur.

*cruciarios.

I. DRUSII ANNOTATIONES In Acta Apoſtolorum.

Act. I.

1\. QVæ cœpit Ieſus & facere & docere] ſenſus eſt, quæ Ieſus fecit & docuit. Sic Plautus dixit: *anteceſſere*

ire cœpit pro inficiatus eſt: & Petronius, *curſim Aſcylton perſequi cœpi*, pro perſequutus ſum. Idem *per medium lupanar fugere cœpi* .i. fugi. Ezras aliquoties ita locutus eſt.

14. Et fratribus ejus) Ieſu videlicet, hoc eſt cognatis & conſanguineis, Iudæi enim appellant tales fratres, ut Iud. 9. 3. *frater noſter eſt*. Auguſtinus contra Fauſtum lib. 22. cap. 35. *fratres DOMINI vocantur in evangelio non utique quos Maria virgo pepererat, ſed ex ejus conſanguinitate omnes propinqui.* Beda & ex eo Zacharias Chryſopolitanus epiſcopus, *Fratres DOMINI intelligere debemus conſobrinos ejus, ſcilicet liberos materteræ ejus .i. matris Iacobi minoris & Ioſeph & Iudæ. Quidam ſequentes deliramenta apocryphorum ſuſpicantur fratres DOMINI foris ſtantes eſſe filios Ioſeph de quadam muliercula.* Anſelmus Matth. 13. *Fratres apud Iudæos ſolent dici cognati, non ſolum ex gradu cognationis, ſicut fratrum & ſororum, qui etiam uſitatiſſime apud nos fratres dicuntur, ſed etiam avunculus & ſororis filius, ſicut erant Iacob & Laban, fratres appellari inveniuntur.* Rurſum Auguſtinus in primo locutionum, *Quia homines fratres nos ſumus dixit Abraham ad Lot. Unde intelligitur morem eſſe Scripturæ ita loqui, ut fratres appellentur unius cognationis, etiam ſi gradu ſanguinis differant, ut alter ſit in ſuperiore, alter in inferiore, ſicut hoc loco. Nam patruus erat Abraham.* Alias recentior, *Fratres DOMINI ſunt cognati [illegible] Mariæ filii quatuor, nempe Iacobus, Ioſes, Simon & Iudas, de quibus Matth. 13. 55. & Marc. 15. 40. [illegible] unum fuiſſe ex undecim, [illegible] filius [illegible] qui tamen non [illegible] Iacobum fratrem DOMINI [illegible] diſtinguant.*

19. Agro Haceldema adjacebat mons, qui a vicinitate Haceldama vocatur. Vide Maſium in Ioſuam, pag. 283.

20. In libro pſalmorum) hinc Hilarius & Hieronymus colligunt unum tantum eſſe librum pſalmorum. Debile argumentum. Nam ab Ebræis nuncupatur liber laudum, & tamen tribuitur in libros quinque. Id Hieronymus quidem negat, ſed audiendus non eſt. Vide Luc. 20. 42. & Quæſtiones noſtras lib. 2. quæſt. 57.

Actor. 3.

25. Omnes familiæ terræ) πατριαὶ familiæ. Sic interpretantur LXX. Exod. 6. 15. item 1. Sam. 9. 21. Pſal. 21. 30. & alibi. Tob. 5. 13. φυλὴν καὶ πατριὰν, tribum & familiam. Non eſt ἐξήγησις. Nam in una tribu plures familiæ. Ioſ. 7. 14. Sic Levit. 15. 10. εἰς τὴν πατριὰν αὐτοῦ: alias πατρίδα. Nam etiam πατρὶς redditur familia 1. Paralip. 5. 7. Scire licet quædam exemplaria habere πᾶσαι αἱ φυλαὶ, *omnes tribus*. Nam ponitur familia .i. משפחה, etiam pro tribu Ioſ. 7. 14. Hinc domus πατριῶν patriarum .i. familiarum. Nam in quaque familia plures erant domus patrum quæ ſimpliciter domus vocantur Ioſ. 7. Heſychius πατριαὶ, φυλή. Exod. 12. 3. κατ' οἴκους πατριῶν, hoc eſt interprete Cypriano lib. 2. adverſus Iudæos, *per domos tribuum*. Auguſtinus in libris Locutionum, *Quas dicat patrias non facile eſt intelligere: utrum civitates in quibus commanebant? an potius numeroſas familias cujuſque veluti paternitate propagatas? hoc enim magis in Græco ſignificari perhibetur.* Ceterum πατριὰς vocat Ioſephus familias viginti quatuor ſacerdotum, quarum principes πατριάρχαι dicebantur. Hoc ſenſu fortaſſe ſumitur quum Huillus Iudæus, qui tempore Origenis vixit, vocatur patriarcha: aut ſignificet ibi

ibi principem ſynagogæ. Nam & hi quandoque ita nuncupantur.

Act. 4.

25. Spiritu ſancto per os David pueri tui dixiſti) Sic Marc. 12. 36. *Dixit David in ſpiritu ſancto:* & Matth. 22. 43. *in ſpiritu vocavit eum DOMINUM.* Vide quæ ſcripſimus ad hunc locum. Sed & Mar. 12. 36. Sed quid? an non alij etiam in ſpiritu locuti ſunt? hoc peculiariter dicitur de Hagiographis, qui כתובים appellantur, quia ſcripti ſunt ברוח הקדש in ſpiritu ſancto. Nam prophetæ in excellentiore gradu fuerunt, licet etiam in ſpiritu ſua ſcripſerint.

36. Filius conſolationis) hoc Syrus dicit בַּר־אַרְבַּרְיָא, quod a verbo Syriaco בְּיָא deducunt. Id ſignificat conſolatus eſt. Sed ab eo non poteſt eſſe Barnabas, niſi admodum coacte.

Act. 5.

2. Fraudavit de pretio) alius *intervertit*. Sic Ioſ. 7. 1. ἐνοσφίσαντο ἀπὸ τοῦ ἀναθέματος, clam uſurparunt de anathemate, ſurripuerunt vel ſuffurati ſunt & clam ſubduxerunt inque uſum ſuum converterunt. Verbum factum ex νόσφι ſive νόσφιν, quod ſeorſim vel ſeorſum denotat. Reperitur cum alibi tum in epiſtola ad Titum, cap. 2. μὴ νοσφιζομένους, nihil intervertentes & 2. Machab. 4. νοσφισάμενος χρυσώματα, aurea vaſa ſuffuratus.

29. Huc refer illud Herodoti, *Ea quæ Dei ſunt ſive quæ ad Deum pertinent, debere nobis eſſe antiquiora quam quæ ſunt hominum.*

Act. 7.

2. In Meſopotamia) hoc eſt in Chaldæa. Ebraice פַּדַּן אֲרָם, quæ vox late interdum ſumitur & per abuſionem pro Aſſyria, quæ Chaldæam & Meſopotamiam ſuperio-

pſorum ſit inquirere diligenter in verbum Dei: ſed de ſapientibus hujus ſeculi, quos phyſicos Græci appellant, & Hieronymus vocat ſcrutatores rerum naturalium auſim certare in omnes fortunas meas Cl. Theodorum hanc ſententiam approbando rem acu tetigiſſe, & ipſum a ſcopo penitus aberraſſe. Quod teſtimonia quæ produximus clare demonſtrant ut dubitare de eo nemo jam debeat. Iudicent qui valent judicio.

1. Corinth. 3.

2. Lac vobis potum dedi) lactis potu vos alui. Sic Iob. 22. 7. *οὐδὲ ὕδωρ διψῶντας ἐπότισας, aquam ſitientibus potandam non dediſti.*

19. Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum) Reſpexit ad locum Iob. 13. *Qui ſapientes in aſtutia eorum.*

1. Corinth. 7.

18. Ne attrahat præputium) de hac attrahendi pelliculam ratione vide Maſium in Ioſuam 5. 2. pag. 82. ubi refert Barchozibam omnes eos qui præputium attraxiſſent, iterum circumcidi mandaſſe, eoſque qui a Iudæis ad Samaritanos defecerant, novo præputio comparato nova circumſicione imitari ſolere: inter quos Symmachus interpres ſub Severo Imperatore, qui ad Iudæos defecerat a Samaritanis, quorum religionem amplexus fuerat.

1. Corinth. 8.

4. Nihil eſt idolum in mundo) ideo Thohu vocatur 1. Sam. 12. 21. & apud interpretem Chaldæum לקא .i. nihil quaſi לאקא nequicquam. Verba Ionathæ, *ne colito idola, qua nihil ſunt, nec eſt in eis utilitas, nec liberant, quia nihil ſunt.* Ceterum nihil eſſe idola dicuntur, quia nihil ſunt eorum quæ homines ea eſſe arbitrantur, hoc eſt

non

non ſunt Dij. Quamobrem etiam אלילים appellantur q. Dij nihili.

1. Corinth. 10.

5. Mulier debebat eſſe tecto capite. Nam detectum caput ſummum dedecus erat. Unde ignominiæ cauſſa caput mulieris, quæ ſuſpecta erat marito de ſcortatione, nudabatur antequam aquam potarit. Num. 5. 18.

1. Corinth. 14.

16. Qui ſupplet locum idiotæ) qui ſedet inter idiotas .i. inter indoctos. Sic *implet locum patrum ſuorum*, pervenit ad dignitatem patrum ſuorum.

1. Corinth. 15.

29. Aliud eſt baptizari pro mortuis, *ὑπὲρ τῶν νεκρῶν*, & aliud baptizari *ἀπὸ τοῦ νεκροῦ*, quod invenies Sirach. 34. 26. Nam hoc ſignificat poſt tactum cadaver ſe lavare.

54. In victoria) malim, *ad victoriam*, quod Ebræi dicunt לנצח, & interpretantur *in perpetuum*. Sed quia נצח vinco ſignificat, ideo Græci reddunt εἰς νῖκος. Vide quæ notavimus Iob. 36. 7.

2. Corinth. 4.

6. Dixit e tenebris lucem ſplendeſcere) .i. juſſit. Reſpexit ad hiſtoriam creationis. Nam Deus e tenebris lucem eduxit, dicendo, *Sit lux* Gen. 1. 2. Siquidem dicere eſt jubere, præcipere, ut Iob. 9. 6. *qui dixit ſoli* .i. interprete Hieronymo, *præcepit*. Hinc intelliges quid ſit, *juxta verbum regis*. Sic decem verba, δεκάλογος .i. præcepta.

4. Qui eſt imago Dei) εἰκὼν τοῦ θεοῦ. Alibi eſt εἰκὼν τοῦ θεοῦ ἀοράτου, imago Dei inviſibilis, videlicet in epiſtola ad Coloſſen. cap. 1. & in libro Sapientiæ ἔσοπτρον καὶ εἰκών. Autor epiſtolæ ad Ebræos eum vocat χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *characterem ſubſiſtentiæ ipſius* .i. perſonæ.

Hinc eruimus perſonam eſſe aliquid ſubſiſtens. Tertullianus olim *ſubſtantia ipſius:* quod nunc nemo toleraret. Si tamen mentem ejus recte percipimus, ſubſtantiam vocat ſubſiſtentiam, quam Latini theologi perſonam dicunt. Sic idem Chriſtum factum & creatum dixit .i. genitum: verbum gigno accipiendo in propria ſignificatione, & facio vel creo in impropria, videlicet pro gigno. Aliter Arius qui Chriſtum dicebat creatum proprie & genitum improprie. Nam *omnis creatio inquiebat in Deo generatio eſt*. Quod ſi verum, Chriſtus non eſſet unigenitus. Phui τῆς θεολογίας ταύτης. Nam ſi creatus, creatus fuit ex ſubſtantia patris .i. genitus. Quæ eſt impropria verbi ſignificatio, ut recte Athanaſius obſervavit Orat. 3. adverſus Arrianos. Qui hoc neſcit, neſcit quod doctis theologis notiſſimum. Ab Athanaſio in eo diſſentio quod creandi verbum retulerit ad humanam naturam, ut etiam Hieronymus, qui non veretur Chriſtum creaturam dicere. Quippe ſcio creare & facere pro gignere uſitatum eſſe in quatuor præcipuis linguis Ebraica, Chaldaica, Græca & Latina. Scitum illud, *Quæritur uxor liberis creandis*. Item, *Sunt liberi humandi, rurſum creandi*. Ciceronis eſt. Sunt plura exempla, quæ nunc mihi non occurrunt. alias producam.

2. Corinth. 5.

1. Corpus vocatur non ſolum *domus tabernaculi noſtri*, aut *tabernaculum domus noſtra:* ſed *domus lutea*, quoniam ex luto pulveris extractum: unde fundamentum dicitur eſſe pulvis. Iob. 4. 19. *Qui habitant domus luteas, quorum in pulvere fundamentum eſt*. Vide ſis Annotationes.

2. Corinth. 6.

14. Ἑτεροζυγοῦντες Maſius a libra deducit cujus lanx altera

altera propendeat in unam partem, quæ ϛαθμὸς ἑτερόζυ-γος dicatur. Vide illum in Ioſuam, pag. 329.

15. Quæ pars fideli cum infideli) .i. communio vel ſocietas q. d. nihil inter ſe commune habent. Ita Chriſtus ad Petrum Iohan. 13. 8. non erit tibi pars me-cum. Vide Deut. 14. 27. & 18. 1. Dicunt etiam non erit vobis pars in DOMINO: quod invenies Ioſ. 22. 25. & 27.

2. Corinth. 10.

24. Quadraginta una minus) de his triginta novem plagis fuſe Buxtorfius in epiſtola dedicatoria ad Pleſſæum libro de Abbreviaturis Ebraicis במספר ארבעים poteſt exponi; circiter numerum quadraginta, hoc eſt numero qui ad quadrageſimum proxime accedit. Eſt autem tri-geſimus nonus, quem ſequitur quadrageſimus. Porro Mahumedes ſtatuit pœnam quadraginta ictuum ebrie-tati, ut Arabes natura calidos a potatione arceret & fa-cilius in officio retineret. Idem quoque uſum vini ſuis interdixit. Ajunt præterea pœnam blaſphemiæ apud Turcas eſſe quinquaginta ictus fuſtium. Sed hæc aliena. Sunt qui exiſtimant unam plagam remiſſam fuiſſe in ſignificationem miſericordiæ. Alij ſcribunt flagellum conſtitiſſe ex tribus loris (quorum quod in medio tam longum fuerit, ut potuerit totum corpus circum-dare) e corio vitulino. Plagæ igitur ter decies verbe-rando infligebantur triginta novem. Quod ſi miniſter iterum verberaſſet fuiſſent plagæ quadraginta duæ.

2. Corinth. 11.

8. ὀψώνιον) אסבביא uſus fuit hoc vocabulo R. Salo. Deut. 17. 17. Haſcuni exponit הוצאה ſumptus, impenſæ. Sic etiam David Pomarius. Baal Aruch, *In lingua Græca vocant impenſas* אסבביא *ὀψώνιον*. In Lexico Munſteri

minus recte צרח, quod potius viaticum ſignificat חאצוח etiam ſtipendium notat, quod rex ſolvit militibus ſuis. Sane ὀψώνιον hic redditur ſtipendium... Rurſum Baal Aruch, חחוצאח *ſtipendium quod dat rex exercitibus ſuis de menſe in menſem* .i. ſingulis menſibus.

Epheſ. 2.

2. Ioſeph Caſtilienſis in porta lucis, *A terra uſque ad expanſum non eſt locus vacuus, ſed omnia plena ſunt ὄχλοις .i. turbis. Ex ijs quidam ſunt puri, & ex ijs capaces benignitatis & miſerationum, & ſunt infra multæ creaturæ pollutæ lædentes & accuſantes, & omnes ſtant volantque in aere, nec eſt a terra uſque ad firmamentum locus vacuus* &c. Vide Cabbalam Renchlini, pag. 883. Vide etiam quæ annotavimus ex libro Aboth Epheſ. 6. 12.

Epheſ. 5.

3. Ne nominetur inter vos) nam ſenſus afficiunt quę ſæpe nominantur. Ideo David ait de idolis loquens, *non uſurpabo nomina eorum labijs meis:* & Ioſ. 23.7. *nomina deorum illarum* (gentium) *non memorabitis*. Quocirca Deus apud Hoſeam non vult vocari baali .i. marite mi, ſed אישי vir mi. Nam baal commune nomen cum idolis. Baal, Iupiter: baal Phegor, *Iupiter Phegorius*, ſicut dicimus *Iupiter Olympius:* Erat enim Phegor nomen montis: Ob eandem cauſſam Iudæi non nominant porcum apud pueros ſuos. Nam cum porcus חזיר dicatur, ſi ejus mentio incidat apud pueros, dicunt דבר אחר res alia. Vide Quæſtiones meas.

Epheſ. 6.

13. Rectores tenebrarum) nam eorum imperium in regiones mediam & ſupremam aeris, quæ lumine carent, quod eouſque radij ſolis non regerantur. Sed expende. Nam Ioſeph Caſtilienſis de his turbis, quas אובליבין .i.

ὄχλους

ὄχλους vocat, loquens, ait eas verſari in habitaculo inferiore, in quo nos ſumus.

Philip. 1.

22. Ignoro) ὀυ γνωρίζω, non cognoſco, non novi. Sic Iob. 34. 25. in editione τῶν ἑβδομήκοντα .i. LXX. interpretum, ὁ γνωρίζων ἀυτῶν τὰ ἔργα: interpres Romanus, *qui cognoſcit eorum opera:* & vulgatus noſter, *novit enim eorum opera.* Ebraice יַכִּיר cognoſcit. Sed Thargum מודע notum facit aut reddit. Id γνωρίζω ſæpius denotat. Vt γνωρίζω cognoſco, γνωρίζομαι, cognoſcor, innoteſco Exod. 21. 36. Sic Ruth. 3. 3. μὴ γνωρισθῇς τῷ ἀνδρὶ, ne innoteſcas viro.

Philip. 2.

21. Omnes quæ ſua ſunt quærunt) voluerat dicere *multi*, ſed augendi gratia dixit *omnes*. Sic Plautus Ciſtellaria, *ita mihi omnia ingenia ſunt* .i. multa. Contra *multi* .i. omnes. Dan. 12. *multi e pulvere terræ evigilabunt.* Aut vertendum *plures* .i. mortui. Nam ſic olim mortuos vocabant, quia plures ſunt mortui, quam viventes. Probarem valde, ſi רבים idem ſignificaret.

Philip. 4.

10. Vehementer) μεγάλως, magnopere, ut Iob. 4. 14. μεγάλως μου τὰ ὀςᾶ διέσεισε, magnopere oſſa mea concuſſit. Interpres Romanus *valde* σφόδρα.

15. Primogenitus omnis creaturæ) quidam explicant, dominus omnis creaturæ. Nam בכור princeps, dux, dominus, præcipuus, præſtans, excellens: quia primogenitus princeps erat inter fratres & dux familiæ. Sic Pſal. 89. 28. *Ego primogenitum ponam eum, excelſum ſuper omnes reges terræ.* Iob 18. 13. *primogenitus mortis*, Thargum *angelus mortis.* Ieſ. 14. 30. *primogeniti tenuium*, homines extreme tenues, pauperrimi.

1. Theſſal. 4.

4. Vas ſuum) corpus ſuum, ut 1. Sam. 21. *vaſa puerorum ſancta* .i. corpora per tralationem. Nam corpus eſt quaſi vas animæ.

2. Theſſal. 3.

20. ואי לא poteſt reddi, *Quod ſi non*. Nam אין & contracte אי ſi. Sed ſi eſt negatio אין non, tunc Helleniſmus erit, qui & in latio reperitur. Plautus Epidico, *Neque ille haud objiciet*. Bacchid. *Neque ego haud committam*. Vide particulas Rabbinicas.

1. Timoth. 1.

5. Finis præcepti charitas) omnia enim præcepta referuntur ad charitatem. Tria prima pertinent ad dilectionem Dei, reliqua ſeptem ad dilectionem proximi. Non ſolum finis eſt legis charitas, ſed etiam principium. Nam *in agilibus*, inquit Nicolaus, *finis habet rationem principij*. Vide ſis eum Deut. 6. 5.

1. Timoth. 2.

4. Qui omnes homines vult ſalvos fieri) voluntate non abſoluta (nam ſi abſolute vellet, omnes ſalvi fierent) ſed, ut ita loquar, conditionata, hoc eſt cum hac conditione, Si credant. Sic voluit everſam Ninivem niſi reſipuiſſent. Contra *non vult iniquitatem* approbando eam. Nam ſi abſolute nollet, non fieret iniquitas. Non vult ergo .i. non approbat, non delectatur ea.

1. Timoth. 4.

5. Sanctificatur per ſermonem Dei & orationem) Innuit benedictionem quam recitant initio convivij quando ſuper vino, pane aliiſque eſculentis Deo benedicunt: quarum benedictionum formulas invenies in libro precum edito Venetiis a Daniele Bomberga Antverpiano.

1. Ti-

1. Timoth. 5.

6. Mortua eſt Deo) aut in peccatis. Vulgo vivens mortuus aut inter vivos mortuus dicitur qui pecunia eget. Nam vulgus putat pecuniam eſſe expultricem angorum curarumque,& pro oraculo habet verſus hoſce.

Τ' ἀργύριον ἐςὶν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς
Ος ις δὲ μὴ ἔχει τοῦτο μηδὲ κτήσατο
Ουτ۞ μετὰ ζώντων τεθνηκὼς περιπάτει.

Sane ſine pecunia vitam ſuſtentare ægre poſſumus. Nam ea omnia comparantur.

Vnde vita talis mors eſt, non vita.

Scitum illud.

Βί۞ βίου δεόμεν۞ οὐκ ἐςι βί۞.

Vita quæ vita .i. victu diſtituitur non eſt vita.

2. Timoth. 2.

19. Novit DOMINUS qui ſunt ejus) alius, *qui ſui ſint*. Sumptum ex editione Græca Num. 16. 5. ubi in LXX. ἔγνω Κύριος (יהוה quanquam in edit. Romana ὁ Θεὸς) τοὺς ὄντας αὐτῦ. Lectio varians ἐπέγνω. Vide Annot. noſtras.

Ibid. Qui nominas nomen DOMINI) .i. DOMINUM. Alibi eſt *nomen Chriſti*. Sic in Latio *nomen agelli* pro agello : &, *vitandum ducas inimicum nomen amici* .i. inimicum amicum, qui amicus videtur & eſt inimicus. Talis φίλος ἄφιλ۞ a Græcis vocatur.

2. Timoth. 3.

6. Qui penetrant domos) .i. penitus intrant. Græce οἱ ἐνδύνοντες, quod idem cum καταδύνοντες, qui ſe penitus immergunt. Syrus habet דמחלדין, de quo vide Tullerum Miſcel. lib. 3. cap. 14.

8. Iamnes & Mamres) Liber erat in veteri eccleſia apocryphus hoc titulo Iannes & Mamres, in quo hæc de Moſe

de Moſe referuntur. Vide Originem in Matthæum & de quæſitis per epiſtolam; epiſt. cv. Aut fortaſſis hæc ſumpta ſunt ex alio libro qui vocatur דברי הימים של משה. Verba dierum Moſis: cujus meminerunt Haſcuni Num. 12. 1. commentatores ſuper Aboth & Abenezra Exod. 4. 20. Ceterum horum magorum meminit etiam Ionathan Exod. 6. 11. *Ianis & Iambres incantatores ſeu magi qui in Aegypto*: ubi Iambres pro Mamres.

Tit. 3.

1. Dicto obedire) non tantum debemus obedire principibus, ſed etiam pro iis orare. In libro Aboth cap. 2. R. Hanina vicarius pontificis, *Eſto precans pro pace regni. Niſi enim eſſet metus alter alterum vivum devoraret.* Quod extendunt ad regna gentium & Nationum mundi. *Niſi eſſet metus*, regni videlicet. Nam autoritas regia continet omnes in officio.

Ebræo. 3.

17. Quorum cadavera) κῶλα interpretatur cadavera, quæ Ebræi vocant פגרים. Eſt enim certe פגר corpus anima caſſum. Sic Græci interpretantur eam vocem Num. 14. 29. & 33. Levit. 26. 30. Ieſ. 66. 24. & 1. Reg. 17. 46. Vide Annotationes noſtras in numeros.

18. Iuravit) hoc eſt quod Deus dicit apud Moſem, *levavi manum meam* Num. 14. 30. Nam jurantes manum levabant. Vide Annotationes

Ebræo. 6.

Et tribulos) καὶ τριβόλους. Herba eſt inimica frugibus, quæ à Plinio inter terræ peſtes numeratur. Reſpexit autem ad locum Gen. 3. 18. *Spinas ac tribulos germinabit tibi*. Præcedit autem, *maledicta terra propter te.*

Ebræo. 6.

20. Hic leges in præteritis pro *pridie feſti Chipphurim*, ipſo

ipſo die feſti Chipphurim. Lapſus memoriæ meæ, de quo me admonuit reverendus & doctiſſimus vir Moſes Cartaldus eccleſiaſta Diepenſis in Gallia. Vtinam ad hoc exemplum alij ſimiliter facerent. Fatale eſt ordini noſtro, ut inviſi ſimus iis de quibus optime meremur. Id fit non culpa noſtra, ſed culpa eorum qui ægre ferunt ſi alij ſciant quod ipſi neſciunt. Talia ſunt tempora. Ceterum non aliam fuiſſe mentem meam liquet ex iis quæ in Præteritis notata ad verſum ſeptimum capitis noni. Scitum illud, *nonnunquam bonus dormitat Homerus*. Poſtridie diei illius pontifex faciebat diem bonum fratribus ſuis ſacerdotibus, hoc eſt convivio eos excipiebat. Vide Theſbitem Eliæ in יום טוב.

Ebræo. 8.

8. Teſtamentum novum) .i. fœdus novum. διαθήκη pro συνθήκη vox eſt linguæ Helleniſticæ. Dicit autem novum fœdus, & non novam legem. Nam Chriſtus non venit ſolvere legem, ſed adimplere. Quo ſenſu verum eſſe poteſt quod in precibus Iudaicis Pragæ impreſſis, *Ego credo quod hæc lex non mutabitur, & quod non erit lex alia a creatore, cujus nomen ſit benedictum.*

Ebræo. 9.

3. Ἀνάκτορον Symmachus interpretatur quod in fonte מעון habitaculum. Dicitur autem de templo. Non igitur male interpretatur. Nam ἀνάκτορον templum: item palatium & regia domus. Pro adyto templi nondum legi. Quocirca judicio hic opus eſt. Sanctum ſanctorum vocatur ſanctum intra velum, & ſacrarium ſacroſanctum & ſanctum ſimpliciter. Fallor, ſi non hunc locum innuunt Ebræi, cum dicunt לפני לפנים coram interius.

4. In qua urna aurea) In urbe natus eſſe dicitur &

 qui

qui natus ad eam hoc eſt in territorio ejus. Sic in Iericho Ioſ. 10. 10. valet ad Iericho: *in Gabaon* prope Gabaon: *in Gariathiarim* Iud. 18. 12. Sic forte *In qua urna aurea &c.* Vt dicat urnam auream manna continentem fuiſſe prope arcam, & tabulas fœderis in arca proprie loquendo. Hoc pono, non ſtatuo. Quod autem ex Philone produximus, id habetur in antiquitatibus Biblicis ſub ipſius nomine editis: unde ſumpſit Tertullianus contra Marcionem libro quarto *duodecim*, inquit, *lapides ab Ieſu de Iordane lectos & in arcam teſtamenti conditos deprehendo.*

7. Semel in anno) אחת בשנה *una in anno.* ſub. vice .i. ſemel. Non dicit *ſemel in die*, ſed *in anno*: & tamen qui quater uno die ingreditur, videtur etiam quater in anno ingredi. Hoc Apoſtolus negat, non Moſes. Ideo Ebræi ſcribunt eum ipſo die Kipphurim quater ingreſſum eſſe. Scribit hoc præter Moſem de Kotſi autor more Nebuchim fol. 172. pag. 1. Apud Moſem legimus pontificem ſemel in anno expiaſſe populum a peccatis. Levit. 16. 34. Dies iſte ordinarius erat & regularis, quo ſolus pontifex intrabat: reliquis diebus intrabant Caathitæ, qui arcam involutam portabant quum movenda eſſent caſtra. Vide Nicolaum Levit. 16. Id fiebat ex neceſſaria cauſſa, non ordinarie. Quater Ebræi enuntiant ארבעה פעמים quatuor vicibus.

Ebræ. 11.

9. In caſulis habitando) emendant, *in tabernaculis*: malim, *in tentoriis*. Nam Iſraelitarum vita olim erat ſub pellibus vel in tentoriis. Tentorium autem אהל dicitur, cum tabernaculum ſit משכן, unde σκηνή. Sed Ohel etiam οἶκος redditur, quod in eo habitaretur ut in domo. Hoc tantum intererat. Qui habitabant in tento-

tentoriis ſubinde mutabant ſedem, nec ullum ſtabile aut fixum domicilium habebant. Quo reſpexit ſane hoc loco Apoſtolus. Arabes Scenitæ nomen acceperunt ab eo quod in tentoriis habitarent. Nam σκηνὴ tam tentorium quam tabernaculum. Promiſcue namque ita reddunt interpretes Græci.

13. Mortui ſunt omnes iſti) ergo etiam Henoch mortuus fuit. Quomodo mortuus, ſi non vidit mortem? Videt mortem & is cujus ingenium mutatur per improbitatem. Vide Henochum meum. Si aliter eſt, tunc excuſabis Apoſtolum, quoniam interdum ſub majore numero comprehenduntur qui ad eum non pertinent, ut Gen. 35. *Hi ſunt filij Iacob qui nati ei ſunt in Meſopotamia*, licet Benjamin natus eſſet in terra Chanaan. Similiter Gen. 42. *Duodecim fratres uno patre geniti ſumus*, cum poſt dicat Ioſephum non eſſe. Iud. 9. *interfecit fratres ſuos ſeptuaginta viros*, licet unus non fuerit occiſus. 1. Corinth. 15. *apparuit illis duodecim*. Non erant duodecim ſed undecim tantum. Nam Iudas tunc mortuus erat.

37. Lapidati ſunt, ſecti ſunt) Vnus Ieremias memoratur lapidatus fuiſſe, & Ieſaias ſerra diſſectus. Quomodo igitur dicit *lapidati*, *ſecti*? Forte plures eo genere mortis perierunt: aut eſt locutio, ut *mortui ſunt qui quærebant animam tuam*, de Pharaone: & *animam pueri* de Herode in Euangelio. Origenes epiſtola ad Iulium Africanum, *Ebræi quæ potuerunt omnia expunxerunt ex ſacra ſcriptura, quæ profeſſerent aut ſeniorum aut principum aut judicum crimina, ne manibus vulgi tererentur & apud plebem haberentur deſpicatui. Quorum quædam ſervantur in Apocryphis, ut illud de Ieſaia, qui ſerra fuit diſſectus: unde illud Pauli, lapidati ſunt, ſecti ſunt, more apud Ebræos & Græcos obſervato, qui pluralem uſurpant de uno ſingulari.*

Ebræo. 12.

1. Livius, *peditum equitumque nubes.* Epiphanius, *nubes muſcarum.* Hieronymus, *nubes locuſtarum* .i. multitudo. Statius 4. Thebaidos *armorum nubes.* Virgilius 10. Æneid. *belli nubes.*

18. Et turbinem) καὶ γνόφῳ magis ſonat *& caliginem.* Sed interpretes uſi videntur pro turbine. Nam Iob. 9. 17. בשערה interpretantur γνόφῳ & Iob. 27. 20. סופה turbo iiſdem γνόφος. Lex. vet. γνόφος, nimbus.

Ebræo. 7.

11. Sacerdos alius) ut, *rex alius*: pro quo Exod. 1. 18. *rex novus* .i. καινὸς. Sed in LXX. ἕτερος. Sic ætas vel generatio alia. Ebraice דור אחר γενεὰ ἑτέρα Exod. 1. 6. & Iud. 2. 10. Quod autem ait, *ſurrexit*, id valet extitit, exortus eſt. notavi alias.

Ebræo. 11.

37. Secti ſunt) hujus ſupplicij mentio 1. Paralip. 20. 5: his verbis, *populum vero qui erat in urbe ſerravit ſerris:* & 2. Sam. 12. 31. *Serris ferreis.* Tradunt Ieſaiam, cum Manaſſem fugeret, in arborem quandam ſe abdidiſſe ſeu incluſiſſe, & hanc Manaſſem ſerra diſſecandam curaſſe. Iudicent eruditi. Nam ſi erat certum & uſitatum genus ſupplicij, non videtur verum eſſe.

Iacob. 1.

8. Vir duplex animo) qui corde & corde loquitur, hoc eſt duplici corde, ut habetur 1. Paralip. 12. 33. *Væ duplici corde*, Sirach. 2. 14. *ne acceſſeris ad illum duplici corde* 1. 26. Hinc hypocrita corde ſeu cordis Iob. 36. 13. qui & hypocrita oris: unde ore hypocrita Proverb. 11. 9. Infra, purificate corda duplices animo Iac. 4. 8.

Iacob. 3.

6. Mundus iniquitatis) Hieronymus epiſtola ad

Pau-

Paulinum preſbyterum, *credenti totus mundus divitiarum eſt, infidelis autem etiam obolo indiget*.

Iacob. 4.

15. Si Deus voluerit) vel, *ſi Deus vult, ſi Deo placet, Deo juvante* aut *permittente*. Formulæ uſitatæ etiam in Latio.

Iacob. 5.

25. Rachab meretrix) *ἡ πόρνη* .i. זונה *παρὰ τὸ* זנה ſcortor. Sic ſenes vertunt Ioſ. 2. 1. Sed Oncelos פונדקיתא *πανδοχεύτρια* caupona tabernaria, *παρὰ τὸ* זון cibavit: unde non poteſt eſſe זונה. Sic variant ijdem interpretes Iud. 11. 1. ſed & 1. Reg 3. 17. Caupona potius זוּנָה diceretur.

1. Petr. 1.

7. Probatio) *τὸ δοκίμιον* probatio, ut *τὸ σωτήριον* ſalus. Alibi dicitur *tentatio* Tob. 12. *neceſſe fuit ut tentatio probaret te*. Nam tentare, probare ſignificat. Sapien. 3. *Deus tentavit eos & invenit eos dignos ſe, tanquam aurum in fornace probavit eos*. Sirach. 27. *Vaſa figuli probat fornax, & viros juſtos tentatio tribulationis*. Hinc *tenta me Domine & proba me*. Pſal. 65. 9. *Quia probaſti nos Deus, igne nos examinaſti ſicut examinatur aurum*.

1. Petr. 2.

25. Epiſcopum animarum veſtrarum (.i. Deum qui eſt inſpector animarum. Videt enim animam & cor, quod dei proprium nec commune cum alijs. Deus epiſcopus vocatur & Iob. 20. 29. In editione Græca. Nam ubi textus מֵאֵל a Deo, ibi LXX. habent *παρὰ τοῦ ἐπισκόπου*, quia inſpector animorum. Auguſtinus quandoque ſuperintendentem appellat, qui nunc Epiſcopus.

2. Petr. 2.

14. Iob. 31. 1. *fœdus pepigi cum oculis meis, & cur contemplarer virginem?* Vult dicere, fœdus pepigi ne contemplarer. Nam cur id facerem? Scitum illud *ἐκ τοῦ ὁρᾷν ἐρᾷν*. Vide notas. Nam in oculis mira vis concupiſcendi: Vnde peccandi occaſionem præbent, ex quo illud, *oculus & cor conciliatores vel proxenetæ peccati.* Nam homines ad peccandum inducunt. Ideo Deus, *Si dederis mihi cor & oculos tuos, meus eris.* Ceterum oculos habent plenos adulterij, qui contemplantur fœminam ad adulterandam eam, idque ſæpius, non ſemel aut bis.

16. Subjugale mutum) aſina muta. Sic enim certe ὑποζύγιον ſignificat in lingua helleniſtica. Vide Matth. 21. 5. Quæritur utrum Balaam vectus fuerit aſino an aſina. Nam אתון potius aſinum denotare videtur, cum aſina potius אתונה dicatur. Sed conſtructio eſt ut aſina potius intelligenda ſit. Conſule textum originalem Ebræum.

2. Petr. 2.

22. Canis ad vomitum redit, qui redit ad id quod primi reformatores nunc evomuerunt. Ea eſt Theologia ſcholaſtica quam qui ſectantur, veram negligunt, hoc eſt verbum Dei: Vnde omnis veritas Chriſtiana & ea ipſa, quam ſcholaſticam appellant, mixta fermento humano, ſic ut tam pura & ſincera non ſit quam eſſe debeat. Quando tandem hæc reformabuntur? Nam ante non erit pax in Eccleſia. Vtinam qui ad divina aluntur aliter ſtudia ſua inſtituerent, & ſpretis his tricis ſerio ſe darent ad ſtudium linguarum præcipuarum & ad lectionem textus ſacri. Quod ſi fieret, haberemus Theologos quales optare magis quam ſpera-

ſperare debemus. Vſque adeo verbum Dei ſordet in oculis vulgi. Multi quod enarrant populo e ſuggeſtu, non intelligunt. Tantum ex commentario ſapiunt, quo nihil miſerius, aut magis fugiendum ei qui verum pabulum animæ quærit, non facultates aut divitias.

1. Iohan. 3.

17. Vitam mundi) חיי העולם. Videtur hic amplius quid ſignificare quam victum mundi. Ideo vetus interpres, *ſubſtantiam mundi*, & Syrus interpres *poſſeſſionem mundi, τὴν κτῆσιν*. Alioqui חיים eſt victus, unde vita ſuſtentatur Proverb. 27. 24. & *vita puellis tuis*. Terentius *cui opera vita eſt*, qui ex opera ſua vivebat. Scitum illud, *vita & victus pari paſſu ambulant*. Nam vita non eſt ſine victu, nec victus ſine vita. Forte ſenſus, qui habuerit unde vivat in hoc mundo, debet fratrem ſuum egenum adjuvare.

Iud. 6.

In judicium magni diei) idem cum illo, in diem judicij magni, quod Chaldæi dicunt ליום דינא רבא, ut Pſal. 1. 5. *Non reſurgent improbi in die judicij magni*, ſic loquendo intelligunt extremum judicium, vel potius diem illius judicij, quando Deus judicabit vivos & mortuos. Sed quid? an tunc a vinculis æternis liberabuntur? Forte ad torquendum eos qui damnabuntur ad mortem æternam. Nam dum in vinculis ſunt non poſſunt alios torquere.

7. Poſt carnem aliam) quidam carnem hic dici putant id quo viri ſumus, ut ibi, *caro aſinorum caro eorum* .i. membrum virile. Vide proverbia mea. Sic *magnæ carne* .i. mentulati aut mutoniati.

Iud. 9.

Aſcenſio Moſis) alibi eſt *obitus Moſis. Ebraice* פטירת משה

משה migratio aut diſſolutio Moſis. Puto eundem librum eſſe. Si aliter eſt, non pudebit errorem fateri. Nam homo ſum, humani a me nihil alienum exiſtimo.

Apocalyp. 1.

7. Videbit eum omnis oculus) oculus videt & cor videt, quæ intelligit. Luc. 2. 30. *quia viderunt oculi mei.* Idem cum illo, *quia vidi oculis meis.* Non eſt pleonaſmus. Nam etiam cor videt, ut diximus. 1. Corinth. 2. 9. *quæ oculus non vidit.* Iob. 10. 18. *oculus non vidiſſet me.* Similiter 13. 1. 28. 10. & 42. 3.

8. Alpha & omega) Ebræi dicerent את .i. aleph, thau: Quod ita uſurpatum reperitur in zohar libro pervetuſto, porta lucis, & in libro Bahir: Item in libro qui vocatur שערי צדק portæ juſtitiæ.

12. Vt viderem vocem) .i. eum qui mecum loquebatur, cujus vocem audiebam. aut *viderem* .i. audirem, ut Exod. 20. 18. & *populus videbat voces* .i. audiebat tonitrua quæ audiuntur, non videntur. Huc referas, *patientiam Iob vidiſtis* Gen. 42. 1. *Vidit Iacob frumentum eſſe in Ægypto* .i. audivit aut intellexit.

Apocalyp. 2.

14. Qui docebat Balac &c.) qui hoc conſilij dederat Balac regi Moabitarum ut ad caſtra Iſraelitarum mitteret pulcherrimas mulieres, quæ ipſos ad libidinem & idololatriam pellicerent. Vide Num. 25. 1. Sic 33. 16. *Nonne iſtæ ſunt quæ deceperunt filios Iſrael ad ſuggeſtionem Balaam &c.*

Apocalyp. 6.

8. Et morte) Levit. 26. 25. דֶּבֶר peſtilentia, a LXX. redditur θάνατος .i. mors: ubi in Oncelo & Ionatha מותנא. Dicitur & מותא in Pheſitha 34. 2. Sic Exod. 9. 3. peſti-

peſtilentia θάνατος appellatur, ut & 2. Sam. 24. 13. Gallice *mortalité*.

13. Sicut ficus emittit groſſos ſuos &c.) Groſſi ſunt ficus immaturæ & intempeſtivæ, quæ a vento vehementiore concuſſæ decidunt: Vnde ſequitur, *cum a vento magno concutitur*. Nam tempeſtivæ ac maturæ cadunt ſi tantum leviter agitentur. Hinc Nah. 3. *Omnes munitiones tuæ ficus cum primitivis*. Vult dicere, tam facile venient in manus hoſtium; quam facile ficus cadunt in os comedentis. Ceterum tempeſtiva ficus carica proprie vocatur.

Apocalyp. 9.

13. Altaris aurei quod ante oculos Dei) quod in conſpectu arcæ. Nam collocatum erat intra ſanctum proxime velum quod ſancto ſanctorum obtendebatur, in quo arca fœderis. Ideo vocabatur etiam altare interius. Erat autem ara ſuffitus ſive Thymiamatis aut incenſi (ſic interpres noſter appellat) in quo odora incendebantur quotidie mane ac veſperi. Aureum vero dicebatur quoniam aſſeres ejus ex lignis Setim laminis aureis erant obtecti.

Apocalyp. 13.

18. Numerus hominis eſt.) an qui ab homine facile dinumerari poteſt? .i. paucus & exiguus, nec adeo multus. Sane ſcriptores Ebræi paucitatem indicaturi dicunt *numerus ſunt*: & *viri numeri* vocantur viri pauci. Sic *dies numeri*, & *populus numeri* .i. paucus. Theocritus quoque ἀριθματοὺς pro paucis uſurpat, qui Horatio *numerabiles*, & aliis εὐαρίθμητοι dicuntur. Apud Ieſaiam *vel puer numeret*: quod dici ſolet de numero denario, vel qui infra eum. Nam pueri ad decem fere numerare poſſunt.

Apocalyp. 18.

3. Iob 5. 5. hauriet ſiticuloſus חילם *τὴν δύναμιν αὐτῶν* opulentiam eorum .i. opes & facultates.

Apocalyp. 20.

8. Paulus Venetus lib. 1. cap. 64. *In Tartaria ſunt regiones Gog & Magog, quas illi nominant Iug ſive Gug & Mungug.*

4. Vixerunt) vivere hic eſt reviviſcere, ut Iob. 14. 15. *Si morietur vir an vivet?* .i. reviviſcet, iterum vivet. q. d. minime. Nam id *κατὰ φύσιν* fieri non poteſt.

Additamentum.

Matth. 27.

45. SI vult eum) eſt cur malim, *ſi vult ei.* Nam velle alicui eſt bene velle & favere, unde & voluntas pro favore. Terentius, *Voluntas veſtra ſi ad poetam acceſſerit.* Orat. Metelli, *Di immortales plurimum poſſunt, nec tamen plus velle nobis debent quam parentes.* In fonte eſt *εἰ θέλει αὐτὸν*, ſi vult eum: quod non nemo exponit *φιλεῖ* .i. amat, ut Gen. 34. 19. *Quia volebat filiam Iacob* .i. amabat eam valde: & 1. Sam. 19. *Ionathan* חפץ בדוד *amabat Davidem.* Significant etiam delectari aliqua re, unde *non Deus volens iniquitatem tu es*, qui delecteris iniquitate. Contra *ἀγαπᾶν*, quod amare ſignificat, ponitur pro delectari aliqua re. Nam quam rem aut perſonam amamus, ea delectamur quoque.

65. Habetis cuſtodiam) .i. cuſtodes. Sic Virgilius, *noſtrum cuſtodia ducit inſomnem.* *Κουστωδία* Latinum nomen eſt. Sacerdotes cuſtodias habebant in tribus locis,

locis; quæ memorantur in libro mandatorum, qui per ſigla סמ״ג nuncupatur, 210. 4.

Matth. 28.

1. Quæ luceſcit) conſtructio ſenſu congrua, non voce. Nam præcedit *veſper*, & conſtructio eſt ac ſi eſſet *veſpera*. Vtrumque enim recte dicitur. Dormis Serari & hæc non audis? Diſce ſaltem ab interprete veſtro quem tanti feciſtis.

Marc. 1.

5. In Iordanis flumine) *flumen Iordanis*, ut *fluvius Euphratis*. Sic *arbor fici*, *herba lapathi*, *urbs Roma*. Scio aliter eſſe in fonte Græco, ſed ego elegantem explico locutionem, quæ uſitata in Latio. Hoc ideo, ne quis hic damnet interpretem aut inſimulet ſolœciſmi. Quod ſæpe factum a theologis. Caveant in poſterum.

Marc. 2.

1. Poſt dies) *aliquot*, poſt aliquantum temporis. Sic exponunt vulgo. Dubito an bene. Nam *dies* pro dies aliquot nondum mihi lectum. Scio Gen. 40. 4. ימים *dies* quoſdam exponere *aliquot dies*. Sed alij malunt, *poſt decem* (menſes,) *aut annum*. Nam ימים annus; unde, *diebus erit redemptio ejus* .i. anno. Sunt exemplaria, in quibus legitur, *poſt dies octo*. Sic Gen. 46. 23. ויהי לשבעת הימים *poſt dies ſeptem*; quod paullo poſt dicimus לשבעת ימים *poſt ſeptem dies*. Ergo ל poſt .i. μετὰ. An etiam *διὰ*? Marc. 14. 18. *διὰ τριῶν ἡμερῶν*. Actor. 1. 3. *δι' ἡμερῶν τεσσαράκοντα*: & 17. 24. *δι' ἐτῶν πολλῶν*. Galat. 2. 1. *διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν*. Ebræo. 13. 22. *διὰ βραχέων*, brevibus. 1. Petr. 1. 12. *δι' ὀλίγων* paucis. Nunc ad rem. Quid ſi *ὀλίγων* ſubaudiamus? diebus paucis interjectis, quod Ebræi dicerent ימים מעטים dies paucos. Spe

rus hic habet אחרי post dies. Quod argumento est lectionem hanc perantiquam esse.

Marc. 5.

9. Legio mihi nomen est, quia multi sumus.) Nam לגיון multitudo, unde *legio olearum*. Moſchopulus, λεγεὼν· πλῆθός τις στρατιώτης ἀγγέλων ἢ δαιμόνων. Baal Aruch *castra* interpretatur. Dicunt autem לגיון לגיונים legio, legiones, & לגיונא לגיונות genere fœminino. Vide Quæſtiones meas. Legio apud Romanos, teſte Heſychio, complectebatur milites 6666. Compoſitor hiſtoriæ Ebraicæ duabus legionibus contineri ait milites 12000. Igitur legio ſex millium erat. Ex Livio apparet legionem complexam fuiſſe tantum quinque millia peditum & trecentos equites. Nam ait lib. 8. Dec. 1. *Scribebantur quatuor fere legiones quinis millibus peditum, equitibus in ſingulas legiones tricenis*. Ego numerum militum in legionibus variaſſe olim exiſtimarim, ut hodie fit in vexillis noſtris. Nam alia centum; alia ducentos continent milites; alia vix quinquaginta.

35. Ab archiſynagogo.) Syrus, *e domo archiſynagogi* i. principis ſynagogæ. Sic, *in domum Pompeii* pro ad domum Pompeii. Nihil vulgatius. Vide Bezam & Eraſmum.

41. Talitha cumi.) perperam Tabitha in quibuſdam libris. Hieronymus de optimo genere interpretandi, *Arguatur evangeliſta mendacii, quare addiderit tibi dico, cum in Ebræo tantum ſit, puella ſurge*. Ebræum appellat ſermonem qui Syrus eſt. Nam Talietha, quod olim legebant Talitha, Syrum eſt, non Ebræum.

Marc. 6.

3. Fabri filius Mariæ.) ὁ τέκτονος υἱὸς μαρίας. Lectio variana, *fabri filius Mariæ*, ὁ τέκτων ὁ υἱὸς μαρίας. Minus

ſe probat mihi. Nam ſi hoc voluiſſet, dixiſſet, meo judicio ὁ τέκτονος υἱὸς καὶ μαρίας, *fabri filius & Mariæ.* Adhæc, ut Ioſeph faber erat, ita Ieſus in pueritia fabrilem artem excercebat. Erat enim faber lignarius, & aratra, juga aliaque ejus generis fabricabat. Quod uſitatum adeo illo tempore, ut vix ſapiens fuerit qui non artem aliquam exercuerit. Alius tentoria conficiebat, alius piſtor erat, alius librarius, alius pellio. Qua de re alias, ſi Deus volet.

Marc. 7.

26. γυνὴ ἑλληνὶς συροφοίνισσα τῷ γένει) Quærit hic Eraſmus quomodo eadem mulier Græca eſſe potuerit quæ Syrophœniſſa erat? Nam Phœnice in Syria, non in Græcia. Et reſpondet Græcam dici quia non erat Iudæa religione: ideo vetus interpres gentilē reddit, quę Gręcis ἐθνική proprie. Scire licet quum Alexander devicto Dario Aſiam ſubegiſſet, omnes ejus poſteros & ſucceſſores, qui origine Macedones erant, Græcos appellatos fuiſſe: unde *regnum Græcorum*, & *Alexander pro Dario primus regnavit in Græcia*, i. Aſia, ubi regnum Syro-Macedonum. Inde factum ut a Iudęis poſtea omnes gentes Græci vocati ſint, ſic adeo ut qui Iudæus non eſſet, Græcus diceretur. Bene igitur interpretatur ad ſenſum ἐθνική, gentilis.

Marc. 8.

15. Cavete a fermento) βλέπετε cavete. Sic etiam recentior interpres verbum e verbo, *videte.* Sic Cohel. 7. 15. *In die malo vide* i. interprete Hieronymo *præcave.* Marc. 12. 38. *Videte a ſcribis*, idem interpres *cavete.* 13. 9. *Videte vosmetipſos*, cavete vobis ipſis. Cicero quarto Academ. *Sapientis [illegible] cenſet Arceſilas vim eſſe maximam, cavere ne capiatur, ne fallatur videre.* Videte

vos ipſos quidam exponunt, *ipſi vobis reſpicite, veſtri rationem aliquam habete in periculis.*

23. Palam) ſic recte interpretatur Helleniſticum *παῤῥησία*, quod Ebrei dicunt בפרהסיא *ἐν παῤῥησίᾳ*, palam, aperte: cujus contrarium בסתר clam, occulte. Eraſmus exponit, *libere & audacter*: nempe quoniam id ſignificat in lingua Græca. Lex. vetus *παῤῥησία licentia, fiducia, confidentia*. Vide particulas noſtras Rabbinicas.

Marc. 10.

8. Erunt duo in carne una) In carne una dicas an in carnem unam parum refert. Nam interpretes promiſcue ſic loquuntur. Sic *erunt in capite* & *in caput*. Malim tamen, *in carnem unam*, quod Græce ſit *εἰς σάρκα μίαν*. Sed & Græci promiſcue dictitant *πιστεύειν ἐν τῷ Θεῷ καὶ εἰς τὸν Θεὸν* credere in Deo & in Deum. Sic *ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ οὐκ ἐπίστευσε*: in ſanctis ſuis non credidit. Valet autem *ut caro una*, vel certe *caro una*. Sed caro una eſſe non poſſe videtur cum ſint duo. Ideo Chriſtus dicit *non ſunt amplius duo, ſed una caro*. Caro .i. corpus: aut homo. Mas enim & fœmina ſimul quaſi unum hominem faciunt, juxta illud, *creavit Deus hominem, maſculum & fœminam creavit eos.* Non dicit eum, ſed eos. Quod notandum vel propter eos qui dicunt virum ſine uxore ſemihominem eſſe, hoc eſt hominem dimidiatum duntaxat.

21. Dilexit eum) *ἠγάπησεν αὐτὸν* amavit eum. Sic etiam Syrus. Eraſmus annotat Originem legiſſe videri *ἐφίλησεν αὐτὸν*, quod Latine reddunt, *dilexit eum ſive oſculatus eſt eum*. Sic enim certe legimus in ipſius verſione, homilia in Matthæum.

Marc. XI.

25. Quum ſtabitis ad orandum) Quæ Theodorus [illegible]

hunc

hunc locum annotat parum ſolida ſunt. Olim etiam ſtantes orabant; unde ſtare pro precari, orare. Manahem in Moſen 52, 3. *Non eſt ſtatio niſi precatio.* Hoc annotat ad illud Geneſeωs, *in loco ubi ſteterat Abraham ante DOMINUM.* Ier. 15. 1. *Si ſteterint coram me Moſes & Aharon*, precantes videlicet. Iob. 30. 20. *Sto & conſideras me*, precor aut oro. Vide notas.

Marc. 12.

11. A DOMINO factum eſt iſtud) optime ſic interpretatur αὐτή. Nam eſt pronomen foemininum, quod Ebræi pro neutro uſurpant. Refertur autem ad complexum orationis; non ad angulum aut lapidem. Sic alibi apud Davidem, *Unum petij à DOMINO.* In fonte אחת unam, ubi etiam *petitionem* ſubaudire potes.

Marc. 11.

15. Cœpit ejicere vendentes & ementes) Vide quæ ſcripſimus Act. 1. 1. ad,

Quæ cœpit Ieſus facere & docere.

Nam forte ſententia eſt, *ejecit vendentes & ementes.*

Marc. 12.

19. Et filios non reliquerit) recte τέκνα vertit *filios* hoc loco. Nam filiæ non poſſunt ſuſcitare ſemen. Siquidem in iis nomen familiæ obliteratur. Antea notavi בנים a Græcis αλλ. ſæpe τέκνα reddi. Non itero.

Marc. 15.

43. Venit Ioſeph ab Arimathæa) non venit ab Arimathæa, ſed Ioſeph ab Arimathæa, i. Arimathæus vel Arimathenſis. Nam oriundus erat ex illa urbe, quæ civitas Iudæorum vocatur Luc. 23. Quæ dixi, robur & firmamentum accipiunt ex articulo Græco Ἰωσὴφ ὁ ἀπὸ Ἀριμαθαίας, qui dubitare nos de hac expoſitione non patitur. Haec addenda iis quæ ſcripſimus Matth. 27. 57. ad, *ha-*

ad, *homo dives ab Arimathæa*. Sic *vir ab Antverpiâ* Antverpianus. * Livius lib. 1. *Turnus ab Aricia*, Aricinus: & lib. 6. *coloni a Velitris* .i. Veliterni.

44. Si jam mortuus eſſet) hic, ſi, interrogantis eſt, non dubitantis, ut antea. Ei reſpondet אם apud Ebræos: Sic Terentius, *Si domi eſt rogas?* Itaque recentior interpres, *an jam mortuus eſt?* Iam .i. ἤδη. Vulgata exemplaria πάλαι jamdudum. Vide ſis Eraſmum. Dubitantis eſt in eodem verſu, *mirabatur ſi jam obiiſſet*: Cui ſimile illud Terentij, *mirabar hoc ſi ſic abiret*, citatum & laudatum ab Eraſmo.

Luc. 1.

7. Et ambo proceſſiſſent in diebus ſuis) alibi eſt *in diebus* ſimpliciter, ut Gen. 18. 11. & Ioſ. 13. 1. *ſenex qui proceſſit in diebus*. M. Tullij verbis hoc dicas, *qui proceſſit ætate*. Nam in libro de ſenectute legimus, *cum proceſſiſſet ætate*: ad quem locum Eraſmus, *qui provectæ ſit ætatis; eum dicit in ætate proceſſiſſe*. In Geneſi & Ioſua ſenes ediderunt προβεβηκότες τῶν ἡμερῶν per dies intelligentes dies annorum vitæ. Alioqui Græci dicunt προβεβηκὼς τῇ ἡλικίᾳ ætate, vel τῷ χρόνῳ tempore, ſæpius dicunt προβεβηκὼς & προβεβηκυῖα ſimpliciter.

48. Ex hoc) ſub. *tempore*. Hoc Ebraiſmus dicit מעתה ἀπὸ τοῦ νῦν ex nunc Pſal 113. 2. *ex nunc et uſque in ſeculum* ſenſus eſt, ex hoc tempore. Sic מאז *ex tunc*, quod valet ex eo tempore. Id Suetonius dixit *ex eo*, ut hic interpres vulgatus *ex hoc*. Verba Suetonij habentur in Claudio Cæſare, *Atq; ex eo nunquam non in ſenatu noviſſimus conſularium ſententiam dixit*. Verba interpretis noſtri, *ecce n. ex hoc beatam me dicent omnes generationes*.

9. Sorte exiit ut incenſum poneret D. N.) Sorte ... mittitur: inde exit, cum ... Iudit. ...

cujus

cujus exierat ſors. Ioſ. 19. 40. *Egreſſa eſt ſors ſeptima*, 1. Paralip. 25. 7. *exivit autem ſors prima*. Sed quid? An etiam is exire dicitur ſuper quem ſors cadit, ſive qui ſorte capitur? Vnicum exemplum eſt Luc. 1. 9. in vulgata noſtra. Eraſmo non ſine cauſa ſuſpectum de mendo. Nam potuit interpres ſcripſiſſe *ſors exiit*: ſed in libris, ſorte exijt, & in fonte Græco ἔλαχε ſortitus eſt. Videtur hoc velle, *ſors ejus exiit*. Eraſmus mavult, *ſorte ei obvenit*. Aut ſorte exiit non ipſe Zacharias, ſed imperſonaliter hoc dictum, per ſortem accidit ut deberet ponere incenſum &c. Quæramus amplius. Nam temere damnare quod neſcias inſipientis eſt. Ego nihil abſurdi video in hac phraſi, *ſorte exiit ut incenſum poneret*, niſi ſi diſplicet incenſum pro ſuffitu vel thymiamate. Nam Laurentius Valla exiſtimat non per omnia reſpondere incenſum huic rei. Sic pro *hora incenſi*, idem mavult hora ſuffitus vel thymiamatis. Expende, ſi otium.

25. Probrum meum) ſterilitatem meam. Nam ea probro erat antiquitus: unde qui liberis carebat pro mortuo habebatur. Aufert igitur probrum qui ſterilem fecundam reddit. Qua de re alias.

55. Abrahamo & ſemini ejus) libet hic deſcribere quæ noſter Eraſmus ad hunc locum annotavit, ut lector ſciat cum religione non mutata eſſe ingenia theologorum quorundam. Nam quis plura paſſus eſt ab illis quam ego? Igitur Eraſmus *ſemini* exponit, *poſteris ejus, nempe David, cui promiſſum erat, de fructu ventris tui ponam ſuper ſede tuam; & hunc locum monachi quidam impudentiſſime calumniati fuerant apud cardinalem Sedunenſem, cui perſuaſerant me pro ſemini mutaſſe ſeminibus, idque volebant hæreſin ſapere, quod pugnaret cum verbis Pauli, qui ſcripſit: non in ſeminibus quaſi in multis, ſed* [illegible]

P ſus

ſus Chriſtus. At ſuper hac re me ſerio vir ille admonuit, cum a prandio litteratis fabulis tempus falleremus, ſolicitus de meo periculo pro ſuo erga me ſtudio. Qua calumnia nihil unquam audivi impudentius. Nec eram cuiquam crediturus, niſi poſt ſexcentas comperiſſem his non diſsimiles. Quibus rebus adeo proficiunt, ut non pro theologis, ſed pro ſcurris habeantur apud cordatos, ac ne tum quidem illis habeatur fides cum vera prædicant. Primum impudens mendacium erat me mutaſſe quod non mutaram. Deinde ſi Græci ſeminibus legerent, nihil facerent adverſus modo citata verba Pauli, cum Paulus illic agat de Chriſto, per quem unum nobis erat promiſſa ſalus euangelica: Hic Maria non loquitur de Chriſto, ſed de Abraham & poſteris Abrahæ, quibus promiſſus erat ſervator Ieſus. Hoc tametſi non erat hujus inſtituti, tamen obiter indicare volui, ut poſteritas norit, quas beluas habeat hoc ſeculum, qui tam ſtolidis ſycophantijs obſtrepunt alienæ induſtriæ. Et hi falſa opinione doctrinæ falſaq; ſpecie ſanctimoniæ, quas res titulis tragicoque cultu ſibi comparant apud ſimplices & imperitos, habentur baſes & columnæ eccleſiæ catholicæ, cum illius vomicæ ſint verius quam membra.

Luc. 2.

7. Pannis eum involvit) vel, *faſcijs*. Audivi pro concione qui dicerent hos pannos laceros & viles ſordidoſque fuiſſe. Quo argumento? nullo ſane. Nam qui σπάργανα dicit, nihil tale ſignificat. Demus ſane Suidam vocem illam τὰ ῥάκη exponere, non inde ſequitur quod illi volunt. Nam ῥάκος ἄγναφον eſt rudis ac recens pannus non lacerus. Iam vero credibilius eſt Mariæ paupertatem mundam fuiſſe, quam ut illi volunt, immunda & ſordida. Sapienter Eraſmus, *ut parentibus Ieſu munditiem ac paupertatem libenter tribuimus, ita*

ſordes

ſordes & mendicitatem procul amovemus. Habes & paupertas ſuam mundiciem. Nam quo minus in caulalui peperit Maria, non paupertas eluſitit, ſed diverſantium turba. Alioqui ſi Chriſto tantopere placuiſſet mendicitas, ut quidam putant, in ptochodochio naſci poterat. Nunc mendicantium vocabulo ſeſe venditant, qui ſatraparum opes domi poſſident. Hinc elicimus opinionem illam de laceris ac ſordidis pannis a Monachis, qui paupertatem profitentur, ad nos dimanaſſe.

15. Homines paſtores) *οἱ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες* homines illi paſtores. *Homo paſtor*, ut *homo ſacerdos*; *vir piſcator homo paterfamilias*, *mulier ancilla*, Ebraice איש רועה, quod modo per *ἀνήρ*, modo per *ἄνθρωπος* reddunt. Nam איש utrunque ſignificat. *Homines illi paſtores* האנשים הרועים hujus loci est *ἄνθρωπος βασιλεὺς* homo rex, Math. 18. 23. & 22. 2.

29. Nunc dimittis) *ἀπολύεις*. Verbum hoc de morte uſurpatur Num. 20. 29. *ὅτι ἀπελύθη Ἀαρὼν*, ut codex Ebræus *quod expiraſſet Aharon*. Tob. 3. 6. & 13. ubi additum *ἀπὸ τῆς γῆς*. Sic Apoſtolus Philip. 1. 23. *deſiderans diſſolvi*, *ἀναλῦσαι*. 2. Machab. 7. 9. *σὺ μὲν ἀλάστωρ ἐκ τοῦ παρόντος ἡμᾶς ζῆν ἀπολύεις* .i. vita hac privas.

34. Benedixit eis Simeon) etiamne pueros videtur. Benedixit autem .i. bene precatus eſt. Sic alter alteri benedicimus. Et benedixit ut homini, non ut Deo. Nam Deo benedicit qui eum laudat. Sic, *omnia opera DOMINI benedicite DOMINO* .i. laudate DOMINUM: unde *Deus benedictus* .i. laudandus. Videndus ad hunc locum Eraſmus.

Luc. 3.

8. Ne cœperitis dicere) [illegible]. Sic alibi, *cœpit* [illegible] Act. 1. 1. [illegible]

cœpit Deus facere & docere. Vide quæ notavimus ad hunc poſtremum locum.

14. Qui opprimunt aliquem, fere per calumniam id faciunt. Facile enim invenit baculum, qui canem cædere vult. Vnde *συκοφαντεῖν* per calumniam opprimere, & ſimpliciter opprimere. Nam eſt interpretamentum τοῦ עשק opprimo. Vide Præterita mea. Senes aliquando idem verbum reddunt *ἀδικεῖν* & aliquando *καταδυναστεύω*.

Stipendiis veſtris) 1. Machab. 3. 28. *ἔδωκεν ὀψώνια ταῖς δυνάμεσιν αὐτοῦ*, *dedit ſtipendia exercitibus ſuis*: & 14. 22. *καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ὀψώνια*. i. ſtipendia. Hoc ſenſu Apoſtolus uſurpat. Sed & doctores utuntur voce אַפְסַנְיָא eodem ſignificatu. Notavi alias.

Luc. 5.

29. Fecit ei convivium magnum) δοχὴν μεγάλην. i. משתה גדול. Sic Gen. 21. 8. ἐποίησε δοχὴν μεγάλην. & 26. 30. ἐποίησεν αὐτοῖς δοχήν. Eſth. 1. 3. δοχὴν ἐποίησε τοῖς φίλοις conuivium fecit amicis. Sic εἰς τὴν δοχήν, ad convivium: & Δαρεῖος ἐποίησε δοχὴν μεγάλην. Appellatio ab excipiendo. Lexicon vetus, δοχὴ exceptio. Quando igitur aliquem convivio excipimus dicitur δοχή. Heſychius reddit ἄριστον. i. prandium. Athenæus lib. 8. ſcribit ſplendidum epulum proprie δοχὴν appellari. Quod etiam Eraſmus annotavit.

Luc. 7.

34. Bibens vinum) i. vini potor aut vinibibus. Græce *οἰνοπότης*. Bibere vinum dicitur qui ſe vino inebriat, & שותי יין bibentes vini .i. vini potores, qui ſe vino replent, non qui ſimpliciter vinum bibunt: quibus opponitur abſtemius, qui a vino penitus abſtinet, ut olim Romulus. Quæ dixi firmabis ex illo

Pro

Proverb. 30. *Non eſt regum bibere vinum.* Nam hoc dicit, non debent reges ſe vino inebriare. Nam regibus nunquam interdictum fuit vinum, quod ſciam. Ideo autem interdicitur ebrietas quia mentem aufert & ſimul quia cuſtos eſt populi. Si ebrius fuerit, jam eget alio cuſtode. Turpe autem cuſtodem cuſtodis indigere, ut dicebat Plato. Vtinam hoc omnes, qui cum imperio ſunt, ad cor revocarent.

38. Lacrymis cœpit rigare) hic rurſum *cœpit rigare* dixit pro *rigavit*. Frequens locutio, quam ante hoc tempus non obſervavi. Vide Act. 1. 1.

Luc. 8.

14. Οὐ τελεσφοροῦσι) nec fructum ad finem perducunt, hoc eſt ad maturitatem, Deut. 23. 18. *non erit* τελεσφόρος *ex filiabus Iſrael.* Ebraice קדשה .i. ſcortum, aut proſtibulum. Vox Græca proprie ſignificat eam quæ ad finem uſque illo queſtu vitam traducit. Sunt variæ ſententiæ. Nam alij exponunt *teletas ferens*, alij, *vectigal pendens*. Quod ultimum Tertulliani eſt, qui etiam legit, *ex filijs Iſrael*, cum in fonte ſit *ex filiabus*. Filiæ autem non pendebant vectigal. Vide ſis editionem Romanam Latinam, nam mihi hic meræ tenebræ adhuc.

17. In palam) *in palam* ita dicitur ut *in ante, in coram in circum, in ſuper, ex ante.* Sic *de ſub* & alia ejus generis. Nam veteres libenter ita geminabant particulas. Sic Ebræi dicunt מרחוק de longe ſive a procul, מתחת de ſub &c.

Luc. 9.

26. Qui me erubuerit & meos ſermones) hoc latinius alii reddunt, *quem mei puduerit & ſermonum meorum.* Nec excuſari poteſt interpres, niſi forte per Ciceronis

ceronis illud, *nec erubuit ora veſtra*, quod exponunt, nec veritus eſt veſtrum conſpectum. Nam ſi Latine dicimus *erubuit ora*, cur non etiam *erubuit me*? Sic *erubuit ſermones meos*, tale eſt quale illud Claudiani, *erubuitq́ preces*. i. ſupplex eſſe & precari: eum puduit precum.

31. Dicebant exitum ejus) τὴν ἔξοδον αὐτοῦ. i. mortem ejus, quæ nihil aliud eſt quam exitus ex hac vita. Sic 2. Petr. 1. 15. μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον, poſt exitum meum. Vulgatus interpres, *poſt obitum meum*. Ad ſenſum optime & rectiſſime. Sapient. 7. 6. εἴσοδος εἰς τὸν βίον, ἔξοδός τε ἴση. Sirach. 38. 25. ἐν ἐξόδῳ πνεύματος αὐτοῦ. Nam in morte ſpiritus exit ad Deum qui dedit ipſum. Εισοδος εις τὸν βίον dicitur ab eodem ἔξοδος ἐκ γαστρὸς μητρὸς 40. 2. Εξοδος etiam ἀνάλωμα, erogatio, expenſæ, הוצאה. Vide Lexicon vetus.

53. Facies ejus ibat Ieroſolymam) habitum præferebat euntis Ieroſolymam. Sic recentior interpres, ad ſenſum non male. In vulgato noſtro, *facies ejus erat euntis*. Eodem redit. Vt hic facies ire aliquo dicitur, ita vox ambulare Gen. 3. 8. *& audiverunt vocem DOMINI Dei ambulantem*. Quanquam ſunt qui malunt *Dei ambulantis*. Vide Annotationes meas in Geneſin. Eraſmi verba ſunt ad hunc locum, *ſicut enim oculi loqui dicuntur, qui innuunt quod dictum velis: Ita facies ire dicitur quæ præ ſe ferat iter aliquo deſtinatum eſſe*.

Luc. 10.

1. Et alios ſeptuaginta) qui hic adjecit *duos*, fortaſſe putavit tot diſcipulos fuiſſe quot fuerunt interpretes Græci, qui licet numero rotundo (ita moris eſt) ſeptuaginta vocentur, tamen antiquitas prodidit fuiſſe ſeptuaginta duos, ex ſingulis videlicet tribubus ſenos. Hic Græci codices, ſi unum excipias, tantum habent ſeptuaginta

ginta, ut & Latina, verſ. 17. a quibus nec editio Syra diſſentit. Vide nunc Eraſmum noſtrum, ſi placet.

30. Suſcipiens) ὑπολαβὼν excipiens ſub. ſermonem .i. reſpondens. Sic ענה interpretantur Iob. 2. 4. ὑπολαβὼν δὲ ὁ διάβολος εἶπε: excipiens Diabolus dixit. Verbum hoc frequens eſt eo ſenſu apud interpretes illius libri. Nam ut omittam alia loca, quæ plurima ſunt, cap. 40. verſ. 1. legimus ἔτι δὲ ὑπολαβὼν ὁ κύριος εἶπε, excipiens DOMINUS dixit. Sic Daniel. 3. 9. Καὶ ὑπολαβόντες εἶπον ναβουχοδονόσορ τῷ βασιλεῖ: & excipientes dixerunt Nabuchodonoſori regi. Ad eundem modum, inquit Eraſmus, Virgilius dixit, *Excipit Aſcanius:* & Xenopho, καὶ ὁ κῦρος ὑπολαβὼν εἶπε: & Cyrus excipiens dixit.

Semivivo) ἡμιθανῆ magis ſemimortuum ſonat, quem Hieronymus appellat ſeminecem, Lexicon vetus ἡμιθανὴς, *ſeminex.* Sic ἡμίεφθος, *ſemicrudus*, *ſemicoctus:* ἡμιθαλὴς, *ſemiviridis:* ἡμιάνθρωπος, *ſemihomo.*

Luc. 12.

Epulare) εὐφραίνου. Sic infra 15. 23. εὐφρανθῶμεν *epulemur*, & mox ἤρξαντο εὐφραίνεσθαι, *cœperunt epulari* .i. epulati ſunt. Sermo ſæpe a me notatus. Lexicon vetus εὐφραίνω *lætifica, epulor:* εὐφρασία, *epulatio.* Signa lætitiæ ſunt epulæ & convivia: Vnde εὐφραίνεσθαι quod interpres noſter reddit epulari & eo ſignificatu accipi in novo fœdere obſervat clariſs. Caſaubonus, amicus noſter, dum vixit, ſummus. Huc refer quod Proverb. 21. 17. *Vir indigus qui amat lætitiam.* Nam frequenter epulando ad paupertatem devenitur. Quocirca dies quibus convivia inter ſe agitant amici, vocantur dies lætitiæ ימי שמחה .i. læti & hilares: Vnde intelligentiam habet, *fecit diem bonum ac lætum fratribus ſuis ſacerdotibus* .i. lauto con-

to convivio eos excepit. Sic vocantur etiam dies nuptiarum. Quum Oxoniæ ſtuderem, memini lautiores epulas ab Anglis gaudia vocatas fuiſſe. Epulare igitur .i. genio indulge, vel, ſi mavis, genialiter vive. Sic *qui amat lætitiam*, qui genialiter vivit.

Luc. 13.

1. In Siloe) Eraſmus hic legendus cum judicio. Nam arbitratur hanc eſſe civitatem, in qua primum fuit tabernaculum, cujus meminit Hymnographus Pſal. 77. *& repulit tabernaculum Silo*, ubi Græcus σηλώμ legit, & Ieremias cap. 7. Poſtea ſe corrigens *quoniam hic additur*, inquit, *articulus τῷ videtur ſignificare fluvium Siloe, qui civitati ſuppeditat aquam, quum nec perpetuus ſit nec copioſus. In vetuſtiſſimis Latinis alibi ſcriptum erat Siloe, alibi Siloam*. Hactenus Eraſmus. Siloe an Siloa dicas parum refert. In Siloam vitium eſt quale in Silom. Nam rectum eſt Silo, quod ſcribunt שילה ultima he. Siloe vel Siloa ultimam habet het. In Silo fuit olim arca per annos non paucos. Siloe fons eſt, unde aqua Siloe, de qua diximus alibi. Circa hunc fontem turris erat, quæ vocatur turris Siloe. Meminit Benjamin.

Luc. 15.

24. Mortuus erat & revixit) perditus erat, nunc in viam rediit & ad ſaniorem mentem. Homines enim improbi mortui vocantur, & revera mortui ſunt in peccatis ſuis, etiam Deo mortui ſunt. Vivit enim vere qui vivit Deo. Vnde peccatores mortui dicuntur in illo, *ſepeliant mortui mortuos ſuos*. Sic Ebræi dictitant, *Improbi dum vivunt mortui ſunt*. Filius ergo iſte perditus mortuus erat: Vbi reſipuit & ad ſe rediit, revixit. Ea mens hujus loci.

25. Cœperunt epulari) epulati ſunt. Sic alibi, cœ-

pit

pit ejicere vendentes & ementes. Locutio paſſim obvia in his libris. Vide quæ notavimus Acto. 1. 1. ad, *Quæ cœpit Ieſus facere & docere.* Infra verſ. 28. *cœpit rogare illum,* ubi codices Græci παρεκάλει αὐτὸν, *hortatus eſt eum.*

Luc. 16.

16. Lex & Prophetæ) aut eſt ſynecdochica locutio, aut prophetas dicit etiam Hagiographos, qui prophetæ fuerunt in ſecundo gradu, quem ſpiritum ſanctum appellant. Sunt qui putant eos, qui in primo gradu prophetæ ponuntur, munus propheticum obiiſſe: ceteros non item. Nam David rex erat & Daniel homo politicus. Neuter propheta fuit munere functioneve.

11. Quod verum eſt) verum hic opponitur ἀδίκῳ .i. injuſto. Nam quod verum etiam juſtum & contra. Verum ergo Mamona quod ſine fraudibus partum. Proprie verum in oppoſito habet falſum. Sed ut dixi verum etiam quod juſtum, quia nulla juſtitia quæ non ſit fraudum expers. Eraſmus, *veræ divitiæ ſunt quæ ſine fraudibus parantur.* Eædem & juſtæ ſunt.

Luc. 15.

30. Subſtantiam ſuam) βίος non tantum ſignificat victum, ſed omnes facultates quibus alimur & ſuſtentamur: Vnde Græci codices hic habent σου τὸν βίον. Nam dilapidaverat facultates patris quas ei dederat. Syrus quoque, poſſeſſiones tuas: tuas, non ſuas.

Luc. 15.

18 Non ſunt inventi revertentes dare gloriam Deo) Sic eſt in fonte Græco ad verbum. Latine hoc diceretur, non fuerunt reverſi ut darent gloriam Deo: Aut, non accidit ut reverterentur ad dandum gloriam Deo. Inveniri pro eſſe tritum eſt, Exod. 35. 23. *apud quem*

inveniebatur .i. erat, Malach. 2. 6. *iniquitas non eſt inventa in labijs ejus*, non fuit. Sic *non eſt inventus in ore ipſius dolus*. Philip. 2. *figura inventus fuit ut homo*, fuit aut extitit. Ebræo. 11. 5. *nec fuit inventus*, οὐχ εὑρίσκετο. Sirach. 20. 3. ἔστι σιωπῶν εὑρισκόμενος σοφός, qui non revera ſapiens eſt, ſed habetur pro eo propter taciturnitatem, ſed hoc alienum.

Luc. 18.

13. Nolebat nec oculos ad cœlum levare) nota hic duas negationes quæ negant non affirmant. Sic Plautus Epidico, *ne ille haud objiciet* & Bacchidibus, *neque ego haud committam*. Forte *nec oculos* dixit pro ne oculos quidem.

14. Iuſtificatus ab illo) præ illo aut ejus comparatione. Ebræi hoc dicerent ממנו, quod Græci reddere amant ἢ ἐκεῖνος quam ille, & μᾶλλον ſubintelligunt .i. magis. Eraſmus ad hunc locum, *non quod neſciat ſic alicubi loqui Gellium, friget ab illo, pro eo quod eſt comparatus ad illum*.

Luc. 19.

23. Exegiſſem illud) ſic Eraſmus hunc locum laudat. In editis a Plantino eſt, *illam*. Hoc ad vocem, illud ad ſenſum refertur. Nam in fonte αὐτὸ, præcedit autem ἀργύριον, quod tam argentum quam pecuniam denotat. Exegiſſem igitur *illud*, videlicet argentum. Sed quia præcedit *pecuniam*, ideo malim, *illam*. Sic כסף apud Ebræos & argentum & pecuniam, etiam aurea, etiam ærea.

37. Omnes turbæ deſcendentium) cum ſit μαθητῶν in textu Græco, non eſt dubium quin interpres ediderit *diſcentium* .i. diſcipulorum. Forte Tertullianus ex hoc

hoc loco *diſcentes* dixit pro diſcipulis. Sic λέγοντες rhetores, oratores: *Medicinam facientes, medici: paſcentes*, paſtores &c.

Luc. 20.

1. In uno dierum) quodam dierum aut quodam die, ut ſupra 5. 17. Sic *in una urbium* 1. Sam. 1. 1. *ſicut una ancillarum* Ruth. 2. 13. Dicunt etiam *die uno* pro quodam. Sic *uir unus* .i. quidam. Vulgatus noſter utrobique *in una dierum*: quod potius denotat quodam tempore. Nam dies, cum fœminine uſurpatur, ſignificat tempus: unde *diecula*, parvum tempus. Scire licet interpretem non obſervare hanc differentiam. Alibi μία τῶν σαββάτων *una Sabbathorum* eſt prima dies hebdomadæ, quam feriam primam appellant.

9. Cœpit autem dicere) .i. dixit. Sic infra 21. 7. *cum fieri incipient* .i. fient. Vide Act. 1. 1. huc refer, *cœpit ejicere vendentes & ementes*: *cœpit epulari*, & alia ejus farinæ.

Luc. 21.

36. Manicabat) uſus fuit hoc verbo interpres vetus Iuvenalis: Eſt autem poſterioris & ſequioris ævi. Sunt qui malunt *manitabant* .i. mane itabant: ſed cl. Nanſius annotat ſe in gloſſario manuſcripto legiſſe *manico, mane ſurgo*. Vide Nonnum ejus, pag. 211. Tamen unicum exemplar manudeſcriptum hic habet, *manitabat*: .i. *mane ibat*, reperio & matutinare. Hoc ſenſu Lexicon vetus, ὄρθρειον, *matutina*. Gloſſarius Græco-Latinus Cyrillo adſcriptus ὀρθρειον, *matutina*. Eſt qui mavult *diluculare* pro diluculo aliquid facere. In eodem lexico, niſi fallor, *latine manicare dicitur hiſpanice madrugar*.

Luc. 22.

22. Vadit) πορεύεται. Videtur mortem ſuam innu-

cre. Sane Gen. 15. *Ego vado*, Senes interpretantur ἀπολύομαι dimittor, diſſolvor .i. morior. Quod intelligentiam habet ex illo, *nunc demitte ſervum tuum DOMINE*. Sunt qui malunt, *ego vado* .i. vitam ago vel tranſigo. Quale illud Virgilii, *Ecce ego quæ divum incedo regina Iovisq́; & ſoror & conjunx*. Sed הלך de morte uſurpatur. Id frequentius dicunt *abijt*: Vnde εὐφημοῦντες abitionem mortem appellabant. Tertullianus, *ſi de aliquo jampridem defuncto tanquam vivo quis requirat, præ manu occurrit dicere abijtiam: Et, reverti debet*.

43. Hodie mecum eris in Paradiſo) quomodo in Paradiſo, ſi erat apud inferos? Articulus ille *deſcendit ad inferna* varias expoſitiones admittit, ut hinc potius concludi poſſit non fuiſſe in inferno cum eſſet in paradiſo? Quod autem ait *deſcendit ad inferos*, id vim eandem, inquit Rufinus, habet atque illud, *ſepultus eſt*. Omitto quod ἐτάφη reddi poteſt *funeratus eſt*. Nam ſic Græcorum interpretes uſurpant Gen. 5. & alibi. Vt ut ſit, in veteribus ſymbolis articulus ille non extabat. Qui adjecit (factum hoc ævo poſteriore) videtur intellexiſſe, quemadmodum eccleſia Romana hodie intelligit. In quam ſententiam & ego irem pedibus manibusque ſi hiſtoria illa uſpiam in libris myſticis clare prodita eſſet. Nam qui ex actis citant, *non relinques animam meam apud inferos*, indigni ſunt quibus reſpondeatur, cum ipſe princeps apoſtolorum aliter eum locum nobis enarraverit.

Iohan. 1.

6. *Haud ſcio*, inquit Eraſmus, *an alioquin id perpetuum ſit in arcanis literis, cum Deo apponitur articulus aut certam perſonam denotari in divinis hypoſtaſibus, aut verum illum & unicum Deum a reliquis gentium dijs diſtingui*. Ego ſcio non

non eſſe hoc perpetuum, quod facilius & citius probabo, quam vulpes pirum comeſt. Sed quid opus probationis? Paſſim enim Deus cum articulo de falſo Deo uſurpatur, ut Amos 5. 8. *vivit ὁ θεός σου Deus tuus.* & 16. τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν, *aſtrum Dei veſtri.* Contra θεὸς abſque articulo de vero dicitur verſ. 12. & 13. hujus capitis. Etiam hoc verſu ſexto, ad quem Eraſmus hæc annotavit.

15. Ante me factus eſt) .i. fuit. Sic infra, *gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt* .i. fuit aut extitit. Familiare huic interpreti ſic reddere verbum ἐγένετο; ut Gen. 1. 5. *factum eſt veſpere & mane dies unus.* Latinius hoc diceretur, *fuit.* Cave factum hic exponas creatum. Nam verbum Græcum hoc non ſignificat. Deinde Chriſtus non fuit factus aut creatus proprie loquendo. Nam quod in epiſtola quæ ad Ebræos, *conſiderate Ieſum fidelem ei qui fecit eum*, ibi *fecit* aliam ſententiam continet. Vide Præterita mea. Quod autem Tertullianus Chriſtum factum dicit, impropria eſt locutio, *factum* pro genitum. Sic dicimus ποιεῖν τέκνα facere filios, notavit hoc Baſilius Theologus.

Iohan. 3.

3. Niſi quis natus fuerit denuo) codices aliqui *renatus.* Minus hoc ſe probat mihi. Nam *naſci denuo*, ſive, ut Syrus habet, *a capite* .i. principio, idem eſt quod renaſci. Mox, *quo modo poteſt homo naſci cum ſenex ſit.* Hic magis probarem *renaſci.* Sunt qui malunt *genitus* & *gigni*: *Nam e viro,* inquit, *gignitur aliquis, cum e muliere naſcamur.* Dubito an hoc ſit perpetuum. Nam apud Horatium ſerm. 1. Satyr. 6. *patre claro natus*: Et apud Ciceronem pro Roſc. Amerino, *patre certo natus.* Sic partus viro tribuitur, unde *Oenei partu editus.* Ad rem. Genitus aliquando valet idem quod

regenitus, ſimplex pro compoſito. Sic *non poteſt homo gigni* .i. regigni vel regenerari. Apud Davidem *populus creatus* .i. generatus. Nam creo gigno. Recreo aliud ſignificat: unde male vertunt, qui vertunt *recreatus*. Vt gigno valet aliquando regigno: ſic *ſurgo* reſurgo, & *audio*, exaudio.

33. Obſignavit quod Deus verax ſit) imo ipſa veritas eſt. *Ego*, inquit, *ſum via veritas & vita*. Quin omnia obſignat veritate: Vnde dictitant, *ſigillum Dei veritas*. Quod ergo verum non eſt, a Deo non eſt.

Iohan. 4.

11. Puteus altus eſt) altum dixit ut profundum ſignificaret. Siquidem, conjuncta hæc ſunt. Nam qui puteus altus eſt, etiam profundus eſt & contra. *Profundum* inquit Origenes, *& altitudo idem ſignificant: tantum quod altitudo ſpatium de inferioribus videtur ad ſuperioa moliri: Profundum vero de ſuperioribus incipere & ad inferiora deſcendere*, ut hic *altus puteus*, ſic alibi *altus ſomnus*, qui & profundus. Ieſa. 33. 19. in editione noſtra *alti ſermonis*, quod in aliis, *profundi labij*. 2. Corinth. 8. 2. in eadem, *altiſſima paupertas*: Alias *profundiſſima paupertas*. Nam in fonte ἡ κατὰ βάθους πτωχεία, vel, ut alia lectio habet, κατὰ βάθος. *Profunda paupertas*, ut *profunda avaritia* .i. magna vel multa. *Profunda lingua* Exod. 4. 10. in Oncelo.

Iohan. 6.

51. Panis vivus) ὁ ἄρτος ὁ ζῶν. Emendant *vivificus* ὁ ζωοποιῶν aut ζωοποιός. Non placet. *Panis vivus* .i. perennis, qui nunquam conſumitur. Quod ita dicitur ut *aqua viva*. Sic *Deus vivus* qui ſemper fuit ac per conſequens æternus eſt: Aut qui ſemper fœlix eſt, ſemper beatus eſt. Non ergo Iehova .i. calamitoſus, Nam talis,

ſenſus

ſenſus in ſono vocis. Quippe Hova calamitas. Sed ad rem. Panis vivus vocatur ſupra 35: *panis vitæ*. Id aliud ſignificat. Nam *panis vitæ*, qui vitam dat, ut *arbor vitæ*, quæ vitam præſtat. Fons vitæ poteſt reddi, *fons viventium*, ut aquarum ſubaudiatur. Nam eſt חיים in fonte, quod tam viventes denotat quam vitam, quando vitam ſignificat tum non habet ſingularem. Nam vivus חי dicitur unde pluralis חיים vivi ſive viventes. Dictio *vivus* varia ſignificat. *Caro viva* .i. cruda, non cocta: *vinum vivum*, merum, non dilutum aut mixtum aqua. *Lapis vivus** & *ſaxum vivum*, *lacus vivus*, *terra viva*, *tempus vivum* .i. præſens. Sophocles χρόνῳ ζῶντι. Præteritum enim interiit & futurum quaſi genitum nondum eſt. *Arbor viva* Gen. 2. 9. in Ionatha .i. perennis. * 1. Petri. 2. 4.

66. Non amplius cum illo ambulabant) .i. verſabantur, ut Proverb 13. 20. *Qui ambulat cum ſapientibus*. Lectio varians, *ambula cum ſapientibus & ſapiens eſto* .i. eris. Sic Iob. 34. 8. *ambulare cum viris improbitatis* .i. improbis. Verbum eſt הלך quod melius redditur per verbum eo 1. Paralip. 17. 11. *quum impleti fuerint dies tui ut eas cum patribus tuis:* Niſi mavis, *ut abeas*, quod etiam dicunt *abire ad patres*, & *ad plures* & *in communem locum*. Quandoque ſimpliciter ipſam mortem abitionem appellant.

70. Vnus ex vobis diabolus eſt) Iudam innuit qui a diabolo impellebatur ut Chriſtum proderet. Syrus hic habet *ſatanas*. Nam qui Græcis διάβολος Ebræis dicitur ſatanas. Nec obſtat quod ſimul legantur *diabolus & ſatanas*.* Nam poteſt ſenſus eſſe, *hoc eſt ſatanas*, ut vau ſit ἐξηγητικὸν ut hic Iudas vocatur diabolus, ſic Petrus dicitur ſatanas, Matth. 16. 23. eo quod Chriſto adverſaretur. Etiam diabolus homo nuncupatur in illo, *inimicus* * Apocalyp. 20. 2.

cius homo hoc fecit. Non quivis dæmon diabolus appellatur aut ſatanas, ſed dæmonum princeps; unde *diabolus & angeli ejus.*

Iohan. 7,

1. Ambulabat in Galilæa) ita legendum vel ex ipſis fontibus, non *in Galilæam.* Ambulabat περιεπάτει .i. verſabatur. Siquidem ut ambulare dicitur cum hominibus, qui cum iis commercium & conſuetudinem habet, ita in regione aliqua qui verſatur, in ea dicitur ambulare. Sic mox, *nolebat ambulare in Iudæa* .i. verſari. Quapropter? An ob periculum quod ei a principibus ſacerdotum & a ſcribis illic imminebat? Hoc ſignificat cum ait, *quia quærebant Iudæi eum occidere.* Pro nolebat in vulgato eſt *non volebat*, quod olim lectum a quibuſdam *non valebat* .i. non poterat. Sed Syrus habet, *non enim volebat.* Obiter noto *ambulare cum filio regis*, Cohel 4. 15. non eſt ſectari aut colere vel obſervare illum, ſed verſari cum eo. Nam idem ſenſus, qui in aliis locis. Filium autem regis appellat natum ſecundum, quod ſecundus ſit a rege. Quanquam qui verſatur cum potentibus, eoſdem colit & obſervat. Forſan aliud in mente habuit quam verba præ ſe ferunt.

52. A Galilæa propheta non ſurrexit .i. extitit. Demus hoc verum eſſe, Ieſus non erat Galilæus, ſed Iudæus. Hic primus error: Deinde quis ſcit an nullus unquam propheta extiterit ex Galilæa? Barchochabas oriundus putatur ex Chochaba vico Galileæ, non procul a Naſareth? quem tamen pro Meſſia receperunt aliquanto poſt, cum R. Aquiba diceret omnia Meſſiæ tempora præteriiſſe, an Geth hepher patria Ionæ prophetæ in Galilęa fuerit, neſcio. Hoc ſcio, præceptore Hieronymo edoctus, fuiſſe in ſecundo Sephorim miliario, quæ hodie

dic appellatur Dio cæſarea cumibus Tiberiadem ; unde nomen accepit lacus Galilęæ. Nam vocatur mare Tiberiadis. *In eo viculo ſepulchrum Ionæ hodie*, inquit, *etiamnum oſtenditur.*

Iohan. 10.

1. In ovile ovium) pleonaſmi ſpeciem habet. Nam ovile non eſt niſi ovium. Eſt enim caula vel ſeptum ſtabulumve ovium, Græce *αὐλὴ τῶν προβάτων.* Talis pleonaſmus eſſe videtur in illo, *aduſtio ignis*. Nulla enim aduſtio abſque igne. Sic in *reptile immundum* πλεονάζει *immundum*, ſi nullum omnino reptile mundum, de quo dubitari poteſt. Nam plura genera ſunt reptilium. Omnia immunda eſſe colligi poteſt ex eo quod Ebræi dictitant, *Qui ſe lavat, & reptile in manu habet, non mundatur.* Sic qui pœnitentiam agit, niſi vitam in melius mutaverit, nihil agit. Quamdiu improbus eſt, non poteſt dici vere pœnituiſſe. Scienter *ὁ σοφὸς*, *qui confitetur & deſerit, miſericordiam conſequetur.* Senſus eſt, qui confitetur peccata ſua & deſerit vitam ſuam improbam, ei remittetur & condonabitur quod peccavit.

Iohan. 11.

1. Lazarus a Bethania) ἀπὸ Βηθανίας abſque articulo .i. Bethanienſis. Sic *Ioſeph ab Arimathæa*, Arimathæenſis. Latini autores ita etiam loquuntur. Quod quoniam alibi notavi, non itero.

44. Sudario ligata) ſudarium hic eſt non id quod Græci vocant *καψιδρώτιον*, ſed quod Syri nuncupant סודרא, quo vocabulo & Ebræi ſcriptores utuntur. Unde ſuſpicio mihi non eſſe vocem latinam, ut Eraſmus opinatur, ſodalitam, qua ex oriente in occidentem commigravit, qualis & λίτρα libra de qua tamen ego dubito.

 Nam

Nam licet Ebræis in uſu ſit [illegible], tamen antiqui ſcriptores Græci eam uſurpant, ut Pollux teſtatur. Vide Præteria mea Iohan. 12. 3.

Iohan. 12.

6. Loculos) γλωσσόκομον loculi, qui γλωσσόκομοι in Gloſſario veteri. Dicimus etiam loculus, & marſupium denotat. *Apud Valerium*, inquit Budæus, *lib. vij. pro marſupio ponitur.* Sæpius tamen loculi numero multitudinis. Ebræi doctores dicunt גלוסקמא gloſocma, quæ vox & in Thalmud invenitur. In Aruch obviam & דלוסקמא per Daleth. Autor illius libri exponit שקים. טלוסקא Eſt autem טלוסקא θύλακος crumena vel ſacculus aptus condendis pecuniis. Dicunt & θύλαξ & θυλάκιον. Appellatio a conjiciendo. Nam in eum pecunia conjicitur. שקים i. ſaccorum. forte quia in ſaccis erat ad recondendam pecuniam. Vſurpatur pro ciſta & pro arca & pro loculo mortuorum, quem ארון appellant. Sic Plinius loculum dixit feretrum in quo includuntur mortui. 1. Reg. 6. 19. *arca fœderis DOMINI*; Aquila, Theodotio, γλωσσόκομον συνθήκης κυρίου. Phavorinus melius dici putat γλωσσοκομεῖον. Sane in Heſychio legimus γλωττοκόμιον. Vide notas in Photium, pag. 984. 1. Reg. 6. ארון, Ioſephus γλωσσόκομον. Sym. λαρνάκιον. Vide Rom. edit. Latinam. Rurſum Aruch, *Idiomate Græco vocatur arca Gloſocma* i. γλωσσόκομον ארון המת potius eſt urna quam feretrum.

35. Adhuc modicum) legit ἔτι μικρὸν quod reddi poteſt *adhuc parum*. Nam χρόνον quod in Græco, non legit, ut apparet: & ſane abeſſe poteſt ſalva ſententia. Nam Ebræi dicunt מעט עוד & in aliis locis deſideratur χρόνον, ut infra, cap. 13. 33. *Τεκνία ἔτι μικρὸν μεθ' ὑμῶν εἰμι: filioli, adhuc parum vobiſcum ſum.* Sic in editione LXX.

Exod.

Exod. 19. 14. Ieſa. 10. 25. & 29. 17. Ierem. 51. 33. Hoſ. 1. 4. Nuſquam additum tempus .i. χρόνον, ut nec Iohan. 14. 19. Additum tamen ſupra 7. 33. Sed & Syrus illud legit, ſi bene illum intelligo.

Iohan. 13.

2. Coena facta .i. parata. Sic dicimus *facere hœdam, vitulum, bovem, epulum.* Sic, ἐποίησε δεῖπνον. & *fecit convivium* .i. apparavit. Turbat quod ſequitur *ſurgit a cœna* verſ. 4. Sed magis quod vers. 27. *poſt buccellam tunc introivit in eum Satanas.* Si poſt porrectam bucceam primum introivit in Iudam, ergo non poſt cœnam peractam. Quod tamen hic dicitur ſi *facta* ſignificat peracta, ut multi volunt. Verba clara ſunt. *Et cœna facta, cum diabolus iam immiſiſſet in cor ut traderet eum Iudas* &c. Hunc nodum qui mihi ſolvet, magnus erit in oculis meis. Ego certe me non expedio hoc tempore, niſi hoc dicat, ſurgit ante cœnam. Sic Ieſa. 43. 13. מִיּוֹם a die, ante diem. Senſus, antequam eſſet dies, vel ante ullum tempus. Huc refer מִפְּנֵי Gen. 36. 6. quod Tremellius reddit, *ante adventum.* Aut hoc vult, ſurgit a cœna parata. Nam ſediſſe illum, cum expectaret dum cœna pararetur, valde credibile eſt. Aut *a cœna* a loco vel menſa ubi cœnaturus erat. Sunt qui ea quæ poſt acciderunt, ad ſecundas menſas pertinere putant.

27. Buccellam) ψωμίον modo reddit buccellam modo panem. Sunt qui offulam malunt. In Ebraiſmo eſt פַּת, quod ψωμὸν reddunt cum alibi, tum Ruth. 2. 14. & Iob. 31. 17. Eadem vox panem denotat, ut cum dicunt פת מן התנור panem e clibano. Eſt ubi reperiatur פַּת לֶחֶם buccea vel fruſtum panis, ψωμὸς ἄρτου.

Iohan. 18.

28. A Caipha) a domo Caiphæ. Locutio paſſim

 obvia.

obvia. Sic, *ivit ad Pompeium*. Terent. Eunucho, *eamus ad me*, hoc eſt ad ædes meas. In Marco notavimus, niſi fallor, *ab archiſynagogo*, ſpecies ſynecdoches, in qua poſſeſſor pro re poſſeſſa ponitur. Virgilius, *Iam proximus ardet Vcalegon*. Terentius Andria, *unde eſt? dic clare. My. a vobis eſt*. Idem alibi, *ſed Myſis ab ea egreditur*. Sic *a me, a milite, a Glycerio*. Plautus Ciſtellaria, *hæc ciſtella numnam hinc a nobis domo eſt*. Id eſt a noſtra domo. Simile *quiſnam a me pepulit tam graviter fores*. .i. meas, ait Donatus. Rurſum Plautus meminit *a meo fratrem*, domo mea. Cicero, *a nobis diſceſſi*, domo noſtra. Idem, *divertit Clodius ad ſe in Albanum* .i. in villam ſuam. Hæc phraſis non intellecta cauſam dedit imperitis librariis mutandi *a Caipha* in, *ad Caipham*. Vide ſis Eraſmum noſtrum: Cui hanc obſervationem ex parte debeo. Nam duo exempla ab eo mutuo ſumpſi.

13. Qui erat pontifex illius anni) ergo pontificatus annuus? Olim perpetuus erat, & durabat ad vitam. Ioſephus Antiquit. Iudaic. lib. 10. cap. 8. *A principio pontificibus non ſuccedebatur niſi mortuis, deinde viventibus etiam ſubrogari cœperunt alij.*

Act. I.

5. Baptizabimini) Auguſtinus epiſt. CVIII. admonet in nonnullis codicibus latinis ſcriptum fuiſſe, *incipietis baptizari*. Quam lectionem ut mendoſam rejicit. Non feciſſet, ſi ſciviſſet interpreti huic familiare eſſe ut dicat, *cœpit ejicere* pro ejecit, *cœpit docere* pro docuit. Sic *incipietis baptizari*, idem cum illo baptizabimini. Etiam prophani ſcriptores ita loquuntur. Vide quæ notavimus ad verſum primum hujus capitis in parte ſecunda notarum noſtrarum.

12. Sabbathi habens iter) de itinere ſabbathi Hie-

ro. ad

10. ad Algaſiam, quæſt. 10. citante Eraſmo, Iudæis religioſe obſervatum ne ſabbatho ambularent ſupra bis mille paſſus ex inſtitutione Barachibæ, Simeonis & Hellis Rabbinorum, quos illi magiſtros noſtros vocare ſoliti ſunt, ut inibi docet Hieronymus. Hæc Eraſmus, qui miratur unde apud Liranum cæteroſq; recentiores legamus iter ſabbathi non habere pluſquam mille paſſus, ac ſuſpicatur hoc accidiſſe vitio librariorum. Conſului his diebus, locum illum Hieronymi, ubi offendi non bis mille paſſus, ſed bis mille pedes. Hoc primum: deinde Rab. aquiba ibi ſcriptum, non Baraquiba, & Hille non Hellis. R. Aquiba vixit diu poſt Chriſtum, unde non poteſt eſſe autor hujus inſtitutionis, nam in bello Chozibæ periit. Hille ſive Hellis eſt Hellel, qui ante Chriſtum floruit, nec fuit Rabbinus, ſed princeps ſynedrii magni, quem Ioſephus Pollionem appellat. Magna is in autoritate fuit apud Herodem magnum, una cum Samæo ſene, qui erat pater domus judicii. Filium habuit Simeonem, quem hic ſignificari putarim. Tamen non adfirmo. Nam plures fuerunt eo nomine. Suſpicor traditionem hanc antiquiorem eſſe, quæ originem habuit ex ſitu caſtrorum in deſerto. Nam extrema caſtra aberant a tabernaculo tanto intervallo. Chriſtus probaſſe videtur cum ait, *orate ne fuga veſtra fiat in ſabbatho*. Vt ut ſit, Ebræi definiunt ſpatium illud bis mille cubitis. Vide quæ ſcripſimus in Præteritis noſtris ad hunc locum. Vide quoque libellos meos.

14. Cum mulieribus & Maria matre Ieſu) locutio eſt, ut, *dicite diſcipulis & Petro*. Sic, *Rex Salomo amavit mulieres alienigenas & filiam Pharaonis*. Qui vertunt *cum uxoribus*, excludunt Mariam Magdalenam: ſed mihi non perſuadent.

15. Turba nominum) Imperitia vertit *nominum* in *hominum*. Nam quid non audet? Quæ non intelligit, corrupta eſſe putat. Nominum .i. capitum, ut Apocal. 3. 4. ὀλίγα ὀνόματα, *pauca nomina* .i. capita. Legimus etiam ὀνόματα ἀνθρώπων, nomina hominum. Apocalyp. 11. 13.

23. Iuſtus) Eraſmus ait nomen Romanum eſſe, cui aſſentior. Illud miror cur eum qui vulgo Iodocus vocatur .i. Ioos, nunc appellent Iuſtum. Certe Iuſtus Lipſius, cum Lovanij agerem, a popularibus ſuis vocabatur magiſter Iodocus. Cur id mutavit? Bartholomæus non eſt Græcum nomen, ut opinatur Eraſmus, ſed Syrum aut Ebraicum: in quibus linguis bar ſignificat filium, & Tholomæus qui & Ptolomæus, Thalmai dicitur: unde *Thalmai vertit legem Græce* .i. Tholomæus rex Ægypti, qui Ptolomæus vulgo audit: & *vertit* .i. curavit verti. Nicodemus Græcum videtur: tamen Ebræi uſurpant. Dicunt enim נקדימון Naçdimus.

Acto. 2.

4. Cœperunt loqui) locuti ſunt: vel tunc primum locuti ſunt. Nam videtur diverſum quid ab illo, *cœpit docere & facere*. Vt ut ſit, Auguſtinus contra Manichæum Felicem citat ex primo capite hujus libri, *incipietis baptizari*, cum in libris editis ſit *baptizabimini*. Vide quæ notavimus ad illum locum.

Aliis linguis) alibi eſt *novis linguis*. Nam hæc duo ſe invicem explicant. Sic *rex alius* & *rex novus*: *ſacerdos alius* & *ſacerdos novus*: *Dij novi* & *dij alij*. Moneo apud interpretem noſtrum eſſe *varijs linguis*. Novæ linguæ memorantur Marc. 16. 17.

28. Vias vitæ) quæ ducunt ad vitam. *Cum facie tua*: apud te. Idem dicit *cum vultu tuo*. In fonte [illegible]

quod

quod male interpretantur, *in conſpectu tuo*. Nam id potius diceretur לפניך. Particula את hic idem valet quod σὺν *cum*, & pro *apud* uſurpatur. *Replebis me*; hanc verſionem in viam reduces, ſi deleto pronomine legas πληρώσεις εὐφροσύνης repletiones lætitiæ. Hoc Ebræus dicit *ſatias lætitiarum cum vultu tuo* .i. πλήρωσις. Nam πλήρης idem quod ſatur: unde *ſatur dierum*, quod reddunt *plenus dierum*.

Acto. 3.

3. Incipientes introire) introeuntes: quod valet mox intraturos. Simile Ion. 1. 2. *invenit navem euntem*, mox ituram. In fonte Græco eſt μέλλοντας εἰσιέναι, ingreſſuros.

6. In nomine Ieſu) virtute Ieſu. Sic *in nomine tuo eijciant dæmonia*, autoritate ac virtute tua. Paullo aliter accipitur in illo, *quicquid petieritis in nomine meo*. Nam ſenſus, mea cauſa, aut per nomen meum. Quia vero multi abutuntur nomine divino, ut hæretici & hypocritæ, ideo quidam dixit, *In nomine DOMINI fit omne malum*. Senſus eſt, prætextu nominis DOMINI. Nam quis hodie non prætexit hoc nomen etiam ad ſcelera ſua? Loquor de religionibus: quæ nunquam plures fuerunt in Chriſtianiſmo quam nunc ſunt. Si cauſam quæris, non alia mihi videtur quam libido damnandi fratrem hæreſeω̃s, ſi duntaxat leviter a te diſſentiat. Quin illi qui cerebrum habent plenum erroribus, Tyria maria movent ſi alium viderint ſemel errantem: quod tamen humanum eſt. Talia ſunt tempora. Ferendum eſt quod corrigi nequit.

10. Noſtra virtute aut pietate) In libris manuſcriptis, *aut poteſtate*: quæ lectio in omnes partes melior eſt: quam etiam Syrus interpres confirmat, referens בחילכן

quod valet ἐν ἐξουσίᾳ ἡμῶν. Vis in his verbis ut ſi diceret, non noſtra poteſtate ſed poteſtate Ieſu Nazareni, quem vos crucifixiſtis. Expende lector an tam benè dicatur, *non noſtra pietate, ſed Ieſu Nazareni.* שלטן & שלטנא nomina ſunt in Daniele, quæ ſignificationem habent ἐξουσίας καὶ κυρίας, poteſtatis & dominationis: unde & Sultani vox uſurpata ævo ſequiori. Conſule Lexicon Ebraicum.

Acto. 4.

Caiphas) quod Syrus קיפא ſcribit, nomen hoc nondum mihi lectum apud autores Ebræos: unde neſcio utra ſcriptura melior ſit. Nam in codicibus Græcis Καϊάφαν Caïaphan, quod nomen eſt tetraſyllabum, cum Caipha ſit diſſyllabum. Verſ. 1. ἱερεῖς videtur poſitum eſſe pro ἀρχιερεῖς, quod novum & inſolens non eſt in his literis. Nam & angelus reperitur pro archangelus & ποιμὴν pro ἀρχιποίμην. Sic ἱερωσύνη pro ἀρχιερωσύνη. Qui hoc neſcit, parum omnino ſcit.

18. In nomine Ieſu) aliquanto poſt, videlicet verſ. 30. *per nomen ſancti filij tui Ieſu*, διὰ τοῦ ὀνόματος. Vide Marci 9. 37. & 38. Bezamque ad eum locum. Pſal. 63. 5. *In nomine tuo levabo manus meas*, R. David explicat, ope tua ſive auxilio tuo. Sic alibi, *In nomine tuo conculcabimus eos qui contra nos inſurgunt.* Nam illud, *In nomine tuo levabo manus*, exponunt invocato nomine tuo. Sermo iſte paſſim occurrit, & eſt ubi præpoſitio commode omitti poteſt. *Sub nomine tuo*, inquit Eraſmus, *quibuſdam diſplicet, quod fictionem ſignificare videatur, quod tamen non eſt illi perpetuum.*

26. Puerum tuum Ieſum) παῖδά σου ambiguum eſt ad *filium tuum* & ad *ſervum tuum.* Nam παῖς utrumque ſignificat. Sanè infrà verſ. 30. *per nomen ſancti* [illegible] σου Ἰησοῦ,

Ἰησοῦ, noſter habet, *per nomen ſancti filij tui Ieſu*. Nomen Ebræum עבד proprie ſervum denotat. Id Græci interpretes tam ſæpe παῖδα reddunt quam δοῦλον. Vt ut ſit, עבד vocatur non tantum qui ſervitutem ſeruit, ſed etiam qui Deum colit. Nam עָבַד colere. Sic David vocatur ſervus DOMINI, & legimus in hoc ipſo capite, *qui per os David pueri tui dixiſti* .i. ſervi tui.

Act. 6.

9. Libertinorum) Syrus hic nihil variat a Græcis & Latinis codicibus, niſi quod in eo דליברטיני deli-bertino. Apud Suidam λιβερτῖνοι, ὄνομα ἔθνους. Idem ſcribit Ortelius in ſynonymia ſua geographica. Quidam corruptum eſſe ſuſpicantur ex λιβυστίνων. Non temere diſcedendum a libris, præſertim cum inter ſe mire conſentiant. Moſtherus vir egregie doctus aliam conjecturam mihi ſuppeditavit, quæ non eſt ad manum. Alias eam publicabo. Ego cauſſam nullam video cur non Libertini, qui medij erant inter ſervos & ingenuos, ibi ſynagogam habere potuerint, ſeparatam ab aliis, a quibus conditio ipſos ſeparabat.

Act. 7.

38. Verba vitæ) quæ vitam dant. Sic, *panis vitæ*. Hic mire variant codices. Nam in quibuſdam λόγια ζῶντα, quod reddunt, *eloquia viva*. In aliis λόγον ζῶντα ſermonem vivum. Syrus *verba viva*. Sermo vivus, ut *panis vivus*, cujus ſupra mentionem fecimus, & expoſuimus *panis perennis*, qui nunquam deficit. Sed quid ſit, panis qui vitam largitur, ut *pallida mors*, quæ homines pallidos reddit? Sic *panis vivus*, ut idem ſit quod *panis vitæ*.

35. In manu angeli) .i. per angelum aut dictu angeli. Num. 20. 16. *Miſit angelum ſuum & eduxit eos ex*

Ægypto. Cave aliter intelligas quam de hoc angelo. Nam ut demus angelum dici qui propheta eſt, ut Hag. 1. *Quoniam angelus DOMINI exercituum eſt*, & *angelus DOMINI in legationibus DOMINI.* Tamen in his locis non ſignificat Moſen, qui non ſolum propheta erat, ſed dominus prophetarum, gradu uno reliquos omnes, quotquot unquam fuerunt poſt ipſum, ſuperans. Nam populus eductus fuit ex Ægypto per angelum alium a Moſe. Vide ſis Abenezram ad hunc locum Numerorum. Nam R. Salomo in alia omnia it. Sic alibi, *angelus facierum ſervavit eos.* Exod. 23. 20. *Ecce ego mitto angelum qui præcedat te, ut introducat in locum quem præparavi.* Rurſum Exod. 33. 2. *Mittam ante te angelum præcurſorem* &c.

56. A dextris Dei) lectio varians, *a dextris virtutis.* Hic duo notanda. Primum *a dextris* pro *a dextera.* Nam una tantum dextera. Deinde *virtutis* τῆς δυνάμεως .i. האל Dei. Nam אל, teſte Euſebio, καθ' ἀκρίβειαν ἰσχὺς καὶ δύναμις. Dicitur etiam a magiſtris הגבורה. Eraſmus legit, *virtutis Dei.*

Acto. 8.

5. In urbem Samariæ) duobus modis exponi poteſt. Primum *in urbes Samariæ* Nam Samaria regionis nomen eſt. Sic alibi, *in medio arboris paradiſi* pro arborum. Tritum hoc in lingua ſancta. Alio modo exponitur, *in urbem Samariæ,* ut ſit locutio qualis eſt cum dicimus *urbem Romæ, urbem Patavi.* Sic *herba Laphati, arbor fici, fluvius Euphratis,* & alia conſimilia. Hæc ſententia potior videtur, quia mox ait, *factum eſt autem gaudium magnum in illa urbe.* Igitur de una urbe ſermo eſt, non de pluribus.

Act. 9.

2. Hujus viæ) τῆς ὁδοῦ ὄντας. Hic τὴν ὁδὸν appellat Chriſtianiſmum, ut infra 19. 9. & alibi. Plenum eſſet *via DOMINI.* Sic enim certe lex olim vocabatur. Nam ea ducit ad DOMINUM. Idem facit euangelium. Quocirca recte via vocatur. Vt hic *via* pro via DOMINI, ſic alibi *ſermo* pro ſermo DOMINI. Hoc ſenſu accipies Act. 22.4. ταύτην τὴν ὁδὸν ἐδίωξα, *hanc viam perſecutus ſum.* Quidam ſectam interpretantur. Act. 18.26. vocatur *via Dei*, ἡ τοῦ θεοῦ ὁδός.

26. Tentabat ſe adjungere diſcipulis) κολλᾶσθαι τοῖς μαθηταῖς firmiter iis adhærere, ut quæ glutine juncta ſunt. Vide Præterita mea Act. 5. 13.

28. Intrans & exiens) εἰσπορευόμενος καὶ ἐκπορευόμενος. Speciem proverbii habet. Sane ingredi & egredi cum aliquo dicitur qui cum eo converſatur. Acto. 2. 11. *quo Ieſus ingreſſus eſt & egreſſus inter nos.* Zach. 8. 10. *Ingredienti & egredienti non erat pax ab hoſte.* Ieſ. 37. *Et ſedere tuum & exire tuum & ingredi tuum novi.* Vide Adagia mea Claſ. 2. lib. 3. ad. 97. Pſal. 139. 1. *Tu cognoſcis ſedere meum & ſurgere meum.* Sic Latini dicunt, teſte Eraſmo, *domi ac foris.*

Act. 10.

9. Circa horam ſextam) tria erant precandi tempora, hora tertia, ſexta & nona: ſive mane meridie & veſpere. Precatio matutina ab Ebræis dicitur תפלת בקר: Meridiana תפלת צהרים: veſpertina תפלת ערב. Hanc putant etiam dici precationem muneris .i. מנחה quod ἀρχαϊκῶς legebant μαναά. Ejus mentio Acto. 3. ad horam orationis nonam. Hæc orandi tempora eccleſia Romana hodieque obſervat: quibus hora tertia Iudæo-

rum eſt hora nona, & ſexta hora duodecima, quæ & hora prandii, & nona hora tertia pomeridiana.

10. Cum eſuriret voluit guſtare) .i. edere, ut 1. Sam. 14. 14. Sic Ion. 3. 7. *ne guſtent quicquam*. Rurſum Acto. 20. *frangens panem & guſtans*. Cæſar de Britannis, *leporem & gallinam & anſerem guſtare fas non putant*. In epiſtola Auguſti apud Suetonium, *Palmulas & panem guſtavimus*. Alioqui guſtare minus eſt quam edere. Nam qui guſtat dumtaxat in jejunio, non violat jejunium. Sic dicunt, *qui guſtat, non benedicit*. Id fit ore, lingua palato. Abenmelech Geneſ. 27. *Guſtare dicitur qui guſtat ore ſuo nec edit ex eo, tantum tranſire facit per guttur parum quid. Ideo dixerunt οἱ μακαρῖται διδάσκαλοι ἡμῶν, guſtus non indiget benedictionis: &, qui poſitus in jejunio guſtat, nihil eſt. Fit autem guſtatio ore vel lingua tantum, quando quis aliquid ſumit extrema lingua ſua. Etiam palato cibos guſtamus, unde* Iob. 32. *palatum eſcam guſtat ſibi*. Hactenus Abenmelech in libro qui vocatur Michlal Iophi, quem habeo ex Typographia Conſtantinopolitana Iudæorum.

22. Ab angelo ſancto) qui & angelus Dei, & angelus Domini & angelus cœli ſive cœlorum, & angelus e cœlo Gal. 1. 8. & angelus lucis 2. Corinth. 11. 14. Nam eſt angelus non ſanctus ut *angelus Satan* 2. Corinth. 12. 7. & *angelus Satanæ*, qui & angelus diaboli. Ceterum ſanctorum angelorum mentio Matth. 25. 31. Marc. 8. 38. & Luc. 9. 27. Vocantur etiam angeli electi 1. Timoth. 5. 21.

30. Vir ſtetit) quomodo vir ſi angelus; aut angelus, ſi vir erat? Vir erat in ſpecie, angelus in rei veritate. Sic in primo librorum Moſis, *tres viri* .i. Angeli. Nam ſpecies appellantur de nominibus ipſarum rerum.

Acta.

Acto. 11.

19. Sub Stephano) ſub aliquo fieri dicitur quod fit ſub imperio ejus, ut verbi gratia, *ſub Claudio nominati fuerunt primum diſcipuli Chriſtiani.* Sic *ſub Pontio Pilato*, quum Pilatus eſſet procurator Iudææ. Igitur Syrus emendat, *contra Stephanum*, quod ἐπὶ ſignificat etiam, quando cum dandi caſu conſtruitur. Beza maluit, *ob Stephanum.* Nam propter Stephanum qui liberrime profeſſus fuerat Chriſtianiſmum, orta fuit hæc perſecutio, cum metuerent ne hæc hæreſis latius ſerperet. Sed quid ſi, *poſt Stephanum?* ſub. lapidatum. Nam ἐπὶ cum dativo etiam poſt ſignificat. Sane ſcholiaſtes Thucididis ἐπὶ τούτοις exponit μετὰ ταῦτα .i. poſtea.

Acto. 13.

23. Eduxit Iſrael) tolles ambiguitatem ſi legas *Iſraeli.* Nam id ſonat τῷ Ἰσραήλ. Eduxit .i. ἐξήγαγε. Ebraice הוציא. Lectio varians ἤγειρε, excitavit, quam Syrus interpres expreſſit referendo אקים ſurgere fecit, vel, ſi mavis, fecit ut ſurgeret .i. exiſteret aut exoriretur. Nam id ſurgere ſignificat in illo, *Surrexit rex novus.*

Salvatorem Ieſum) a quibuſdam libris abeſt Ieſum, & ſane abeſſe poteſt ſalva ſententia. Nam Ieſus idem quod ſalvator. Eraſmus laudat ex Græco *adduxit Iſraeli ſalutem* .i. σωτηρίαν. Nam ita Ieſus vocatur in abſtracto. Sic Ieſa. 45. 8. *germinet terra ſalvatorem*, in fonte habetur יֶשַׁע ſalutem. Syrus habet, *Ieſum redemptorem.*

14. Antiochiam Piſidiæ) nam erat alia Antiochia Syriæ, qua Cæliciam ſpectat, quæ propter crebros & admodum ſævos terræ motus, poſtea vocata fuit Θεοῦ πόλις, ut eſſet melius omen nominis. Ejus mentio Acto. 11. 19. Euſebius, an Hieronymus de locis, *Antiochia civitas Syriæ cœles, in qua Barnabas & Paulus apoſtoli ſunt*

ordinati. Eſt autem & alia in Piſidia provincia &c. Refert Appianus in Syriacis Seleucum ſedecim condidiſſe Antiochias, quas ita nominavit a patre ſuo Antiocho. Vide Scaligeri animadverſiones Euſebianas 126. 2.

34. Amplius non reverſurum in corruptionem) Corruptionem appellat foveam, hoc eſt ſepulchrum. Id quod שַׁחַת vox Ebræa, quam διαφθορὰν reddunt, etiam ſignificat. Nam in ſepulchro corpus corrumpitur. Sed qui foveam interpretantur deducunt non a שָׁחַת corrumpo, ſed a שׁוּחַ unde & שׁוּחָה fovea. Similiter רחת vannus originem habet a רוּחַ & נַחַת quies a נוּחַ quieſco, requieſco.

Acto. 14.

2. Animas gentium) .i. animos. Sic *capit animas ſapiens*, allicit flectit animos. Aut *animas* .i. homines: & *animas gentium* .i. gentes, ut alibi *animas hominum* .i. homines: Sic alibi, *occidit animas hominum multas*. Videtur hoc ita dici ἐκ παραλλήλου, ut *lutum cœni, terra pulveris*. Nam anima etiam hominem denotat. Idem ſenſus infra verſ. 21. *confirmantes animas diſcipulorum* .i. animos eorum aut ipſos diſcipulos. In palam dixit interpres noſter quod Græci ἐν παῤῥησίᾳ, & Ebræi בפרהסיא & eſt idem quod *palam*, niſi quod addita præpoſitio, ut cum dicimus, *in coram, in ſuper, in ante, e contra*: quæ nonnulli ſcribunt unica dictione, alij duabus. *E contra* reperies apud Hieronymum, & omnino ſequior ætas videtur delectata hac geminatione particularum. 4. Ezræ 14. 6: *Hæc in palam facies verba* .i. publicabis: & 46. *Quæ ſcripſiſti in palam pone*. Marci 4. 22. & Luc. 8. 17. *In palam venire*. Iohan. 7. 4. *Quærit in palam eſſe* .i. celebris. 11. 34. *Ieſus ergo non in palam ambulabat*. Ei opponitur *clam*, ſed neſcio an uſpiam inveniatur, *in clam*.

Act. 15.

Acto. 15.

3. Faciebant gaudium magnum fratribus) alius *adfe-rebant:* ſed *facere gaudia* tam latine dicitur quam *facere lætitiam*. Cicero 1. de fin. *Recta & honeſta quæ ſunt, ea facere per ſe lætitiam.* Facere gaudium magnum Livius 8. bel. Pun. dixit *facere lætitiam ingentem.* In Ebraiſmo facit gaudium etiam qui convivio aliquem excipit, unde *dies gaudij* Num. 10. 10. quo epulum habetur. Ita Hieronymus. Elias Theſbite, *dies bonus vocatur dies convivij & gaudij citra ſolemnitatem.* Ergo fecit diem bonum fratribus ſuis idem cum illo fecit gaudium fratribus ſuis, hoc eſt excepit eos convivio.

4. Et ſenioribus) hos paulo ante vocavit preſbyteros, qui olim & Epiſcopi dicebantur. Erant autem duo genera preſbyterorum. Nam alii laborabant in verbo, qui nunc in eccleſiis reformatis miniſtri vocantur, alii gubernabant eccleſiam una cum illis, quos nunc ſeniores appellant. Valla cenſet cum eſt nomen dignitatis rectius reddi preſbyteros: cum ætatis, melius dici ſeniores. Videndus hac de re noſter Eraſmus.

17. Vt requirant ceteri hominum) trifariam hic peccatum ab interpretibus Græcis. Primum quod interpretantur דרשו, quod in Ebræo fonte יירשו hæreditatis jure poſſident: deinde quod את שארים verterunt οἱ κατάλοιποι cum articulus evincat vertendum eſſe τοὺς καταλοίπους .i. reliquias: poſtremo quod אדום reddiderint hominum .i. אדם. Nam ut demus puncta vocalia tunc temporis non adſcripta fuiſſe, tamen vau, quod in אדום, omnem tollit omnino ambiguitatem, ut de lectione nunc recepta dubitare nemo poſſit aut debeat.

23. His qui ſunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus) ordo & conſtructio *his qui ſunt Antiochiæ*. ſub. fra-

tribus,

tribus, quod repetendum ἀπὸ κοινοῦ ex ſequentibus: deinde, *Syriæ & Ciliciæ fratribus*. *Fratres Syriæ & Ciliciæ* vocat diſcipulos qui erant in Syria & Cilicia. Antiochiam regionem quærat Eraſmus: ego nuſqam invenio eam. Fratribus qui ſunt Syriæ & Ciliciæ pro in Syria & Cilicia indiautus au toribus in latio ſermo eſt. Quod autem ſequitur *ex gentibus*, conſtruendum eſt cum voce fratribus. Frater ex gentibus, ſive, ut Syrus habet, *ex populis* .i. frater gentilis, qui ex gentibus nomen dedit Chriſto. Sic *frater ex Iudæis*, qui ex Iudæo Chriſtianus evaſit; qualem nos unum fecimus in Friſia ex genere ſacerdotali; cujus patruus erat Morenu .i. doctor noſter Francofurti. Hic & in vita & in morte declaravit falſum eſſe quod vulgo dicitur, *nunquam Iudæus bonus Chriſtianus*. Nam pie & Chriſtiane vita functus eſt.

22. Viros primos in fratribus) Eraſmus mavult *primarios*, quem Beza ſecutus eſt. Sed ſciendum in Græco eſſe ἡγουμένους quod eſt participium ab ἡγοῦμαι. Id non tantum ſignificat dux viæ ſum aut imperator, ſed æſtimo, puto, dico: quod Ebræi dicunt חָשַׁב, unde apud doctores חָשׁוּב qui eſt in aliqua exiſtimatione. Elias Thiſbite, *Vocant hominem honoratum* חשוב *ex illo Ieſa*. 33. לא חשב *non æſtimatur mortalis*. Licet etiam vertere, *non reputatur* vult dicere in nullo pretio eſt. Hinc dictitant, *pauper qui fuit in aliqua exiſtimatione ſicut mortuus eſt*, hoc eſt, pro mortuo habetur. Elias ita explicat, *vir* ἡγούμενος *æſtimatus & honoratus reputatur pro mortuo: ſed vir qui non æſtimatur, non reputatur ſicut mortuus: quoniam non curat adeo paupertatem & tenuitatem ſuam*. Sit hoc arbitrarium, non certum.

24. Labefactantes animas veſtras) .i. animos veſtros, aut voſmet ipſos. Mox, 26. *tradiderunt animas*

ſuas

ſuas pro nomine DOMINI. Magnum ſignum amoris. Sic Apoſtolus 1. Theſs. 2. 8. *Cupiebamus tradere vobis non ſolum euangelium Dei, ſed etiam noſtras ipſorum animas.* Vide lib. 3. obſervat. cap. 17. Dicunt etiam dare animam ſuam. Sirach. 7. 21. *Ne male tractes mercenarium dantem animam ſuam.* Sic alibi, *ne dederis animam tuam mulieri.* Quid ſit animam dare mulieri, docet impurus adoleſcens apud Plautum Aſinaria, *Ego adij, & amans ego animum meum iſti dedi.* Hujus loci eſt quod Ieſa. 58. 10. *Et prompſeris eſurienti animam tuam*, ubi LXX. *& dederis τὸν ἄρτον ἐκ ψυχῆς σου, panem ex anima tua.* Quale illud, *diliges* DOMINUM *ex tota anima tua.*

Acto. 16.

1. Patre Græco) Græcum dicit quem interpres noſter gentilem appellat, Syrus, *Aramæum* .i. ארמיא. Eſt autem Aram Syria, unde & illud conſequitur Aramæum eſſe Syrum. Iuchas. 1. 35. 2. *Aramæi a Græcis Syri vocantur.* Verbum e verbo, *Aramæi in lingua Græca Syri.* eodem recidit. Hoc notum, illud minus, Aramæum dici qui non ſit Iudæus. Sic Act. 19. 10. *Iudæi & Syri.* In fonte eſt ἕλληνες, & apud noſtrum, *gentiles.* Ergo Syri, qui & Græci, gentiles. Nam qui non erant Iudæi, olim ita nominabantur. Infra verſ. 3. *ſciebant enim omnes patrem ejus gentilem Syrum eſſe.* Illud habetur in editione Latina vulgo recepta, hoc in Syriaca, quam Ferdinandus Imperator impenſis ſuis excudi curavit. Nam in fonte Græco eſt ἕλλην .i. Græcus.

Mulieris viduæ) quomodo vidua ſi maritum gentilem habebat? Nam poſt ait, *Sciebant enim omnes quod pater ejus erat gentilis.* Non dicit, *fuerat*, ſed *erat*. Melior ergo in omnes partes lectio quæ in libris Græcis &

Syriacis. *Mulieris cujuſdam Iudææ*, Mater enim Iudæa erat, non vidua.

6. Loqui ſermonem) τὸν λόγον hic dicit ſermonem Dei, hoc eſt, euangelium; & Aſiam vocat non tertiam orbis partem, ſed eam quæ Epheſo finitima. Vide quæ notavimus ad Præterita 1. Petr. 1. 1.

13. Vbi videbatur oratio eſſe) Eraſmus emendat, *ubi putabatur*, vel certe *ubi ſolebat eſſe precatio*. Quid ſi, *ubi ſolebat eſſe proſeucha?* Sic mox verſ. 16. *euntibus nobis ad proſeucham*. Iuvenalis, *in qua te quæro proſeucha*. προσευχὴ precatio, unde proſeucha. Locus erat precationis extra urbem.

Act. 17.

1. Venerunt Theſſalonicam, ubi erat ſynagoga Iudæorum) hodie Salonichi vocatur, ubi etiamnum ſynagoga eſt, in qua Rabbinum agit Nicolaus Victor (ita perſcriptum fuit ad me) Iuris licentiatus, quondam officio Academico fungens Marpurgi. Quid eum moverit, ut eo concederet & ex Chriſtiano Iudæus fieret, neſcio. Hoc ſcio non fuiſſe tam doctum Ebraice atque vulgus opinatur. Nam ſi fuiſſet, nunquam auro æs prætuliſſet, nunquam ad vomitum, quem veteres Chriſtiani evomuerunt, rediiſſet: hodie qui ſemi docti ſunt in hac lingua, doctiſſimi habentur. Inter cæcos luſcus rex eſt. Non eſt hominis eruditi verum cum falſo permutare. Qui hoc faciunt, ſi non ſunt imperiti, vel judicio deſtituuntur, vel commodum aliquod temporale affectant.

17. Cum Iudæis & colentibus) innuit colentes Græcos, qui Moſis religionem ex prophanis gentibus amplexi fuerunt, quos ſupra verſ. 4. *colentes gentiles appellat*. Ceterum rectius eos dixiſſet *colentes religionis*. Nam in fonte Græco σεβομένους à σέβομαι colo. Sed verbum latinum

latinum latius patet. Colimus enim terram & arva & hortos: σεβόμενοι dicuntur qui pietatem & religionem colunt. Cicero pro Plancio, *qui ſancti, qui religionum colentes, niſi qui meritam dijs immortalibus gratiam juſtis honoribus & memori mente perſolvunt.* *Colens religionis* .i. religioſus: quod ita dicitur ut *appetens vini*, *fugitans litium*, *metuens divum matertera*: Sic *mulier timens DOMINI*. Mentio horum & Act. 13. ubi & σεβόμεναι mulieres colentes religionis ſive religioſæ ſunt. Sunt qui ex his religioſis incircumciſos fuiſſe putant, in eorum numero ponentes Cornelium centurionem; ad quem Petrus miſſus fuit, quem Lucas εὐσεβῆ vocat.

23. Ignoto Deo) Paulus nulla fraude hic uſus fuit, ſi inſcriptio erat *Deo ignoto*, & non, ut Hieronymus opinatur, *dijs ignotis*. Firmat hanc inſcriptionem in numero ſingulari primum ſcholia Græca: deinde Lucianus in Philopatride bis meminens θεοῦ ἐν Ἀθήναις ἀγνώστου, Dei Athenis ignoti. Hiero. in Epiſt. ad Titum. Vide ſodes.

26. Fecit ex uno omne genus hominum) ex uno homine an ſanguine? Hoc habetur in editionibus Græca & Syriaca, & parum refert hoc an illud dicas. Nam homo eſt caro & ſanguis, imo ſanguis pro homine ponitur, ut Pſal. 94. 21. *ſanguinem innoxium condemnant* .i. hominem innoxium, vel ſi mavis, inſontem. Sic Proverb. 1. 11. *Inſidiemur ſanguini* .i. homini ad effundendum ſanguinem ejus. Aut *ſanguini innoxio*. Nam ſequitur, *abſcondamus nos contra inſontem gratis*. Quod nos olim reddidimus, *impune*. Sic, *impune tenditur rete ante oculos pennipotentis*, eadem dictio in fonte. Vt ut ſit, in Belgica lingua *pauper ſanguis* eſt homo miſer, een arm bloet. Proverb. 28. 17. *Vir opprimens ſanguinem animæ* .i. hominem. Simile, *occidit animas hominum multas* .i. ho-

 mines

mines multos. Forte hoc dicit *ſanguinem animæ* .i. hominis: aut *ſanguinem animæ* .i. vitalem. Nam & in ſanguine vita, & ipſa anima ſæpe pro vita ponitur corporis animati: unde *occidere animam* dicitur qui vitam alicui adimit.

Act. 18.

2. Nomine Aquilam, Ponticum genere) duo fuerunt hoc nomine. Vnus qui hic memoratur Ponticus genere: alter qui vixit ſub Adriano imperatore, quem Aquilam Ponticum appellant, qui vetus inſtrumentum in linguam Græcam convertit. Vterque Ponticus erat genere .i. gente aut natione. Sic infra verſ. 24. *Apollo nomine, Alexandrinus genere*, ubi quædam manuſcripta, *natione*. Nam *genus*, gens, natio. Lexicon vetus, γένος, τὸ ἔθνος. Tob. 1.10. *οἱ ἐκ γένους μου, qui ex genere meo*, i. gente aut natione. Sic *genus humanum*, & *genus Troianum* .i. natio aut genus. בן עמי *filius populi mei*, Senes interpretantur, *υἱὸς τοῦ γένους μου, filius generis mei*.

Omnes Iudæos) ſub quo nomine & Chriſtianos comprehendebant: unde Tacitus, *Iudæos duce Chreſto tumultuantes Roma expulit*. Nam primi Chriſtiani ex Iudæis.

Quendam Iudæum) videtur hic Iudæus Chriſtianus fuiſſe. Nam qui ex Iudæis Chriſto nomen dederant, Iudæi vocabantur, licet baptizati eſſent. Sulpicius hiſtor. ſacræ lib. 2. *Qua tempeſtate Hadrianus exiſtimans ſe Chriſtianam fidem loci injuria perempturum, in templo ac loco dominicæ paſſionis dæmonum ſimulachra conſtituit. Et quia Chriſtiani ex Iudæis potiſſimum putabantur (namq; tum Ieroſolymæ non niſi ex circumciſione habebat eccleſia ſacerdotem) militum cohortem cuſtodias in perpetuum agitari juſſit, quæ Iudæos omnes Ieroſolymæ aditu arceret. Quod quidem Chri-*

ſtiana

ſtianæ fidei proficiebat, quia tum pene omnes Chriſtum Deum ſub legis obſervatione credebant.

Priſcillam) videtur fœmina fuiſſe admodum pia; quam marito præponit Apoſtolus Rom. 16. 3. *ſalutate Priſcillam & Aquilam adjutores meos in Chriſto Ieſu. (qui pro anima mea ſuas cervices ſuppoſuerunt: quibus non ſolum ego gratias ago, ſed cunctæ eccleſiæ gentium) & domeſticam eccleſiam eorum.*

7. Titi Iuſti) hic duæ lectiones coaluiſſe videntur. Nam in Græcis codicibus Ἰούστου i. Iuſti, & in Syriacis Titi, non Iuſti. Hieronymus quoque in libro nominum ejus meminit ſub nomine Titi duntaxat. Verum rectius verius ſit, non decerno. In eo quod ſequitur *colentis Deum*, recte addidit *Deum*, cum etiam in Græco ſit σεβομένου τὸν Θεόν. Nam *colens* pro religioſo, qui Græce σεβόμενος, neſcio an defendi poſſit.

24. Apollo nomine) Græca exemplaria habent Ἀπολλὼς Apollos: ſed Syrus cum noſtro conſentit. Apollos, Apollo, ut Ioſes, Ioſe: Tobis, Tobi: Thomas, Thoma: Iudas, Iuda. Nomen eſt indeclinabile. Nam & gignendi caſu fuit Apollo, Vide 1. Corinth. 1. 12. Quod noto, ne quis exiſtimet Græcum eſſe Apollo, quod in genitivo facit Apollinis. Cave confundas.

Act. 20.

3. Vbi cum feciſſet menſes tres) i. tranſegiſſet aut peregiſſet. Vt hic facere menſes, ita ſupra ποιεῖν χρόνον [illegible] 18. 23. & *facere dies* Cohel. 6. 12. *dies quos fecit in umbra.* Seneca epiſt. 67. *Quamvis paucos una fecerimus dies.* Sic *facere annos.* In tabella marmorea, *cum quâ fecit annos VIIII.* Smetius notat *fecit annos* pro vixit. Apud Alfenum l. c. *Is servus fugerat, & annum in fuga fecerat* [illegible]

 9. Som-

9. Somno gravi) i. βαρεῖ. Sic etiam legit interpres qui e Syria. Nam יקירא eſt gravis. Ovid. 3. Metamorpho. dixit, *gravis ſomno*. Ei opponitur *levis ſomnus*, qui & lenis. Græci tamen habent βαθεῖ i. profundo. *Somnus profundus* i. multus aut magnus. Sic *profunda avaritia*.

32. Qui potens eſt) refertur ad Deum, non ad verbum: alioqui conſtructio eſſet ſenſu congrua, non voce. Paullo poſt, *in verbo quod dixerat*. Quod obſervo propter Eraſmum noſtrum, cujus ad hunc locum nota eſt. *Quod erat potius quam qui, quum referat verbum. Cæterum quia verbum Græcis eſt maſculini generis, id nimirum fefellit interpretem.* Cur magis fefellit eum hoc loco quam in eo quem modo citavimus ex verſ. 35?

Actor. 21.

1. Pataram) Græci codices ut etiam Syrus Patara, πάταρα, quæ & Pataris vocatur ab Heſychio. Eſt autem Lyciæ maritima urbs. Eraſmus annotat πάταρα Græcos pronuntiare neutro genere numero plurali. Sic τὰ γάδειρα dicimus & ἡ γάδειρα: item τὰ ἱεροσόλυμα & ἡ ἱεροσόλυμα, hoc eſt, Ieroſolyma Ieroſolymorum, & Ieroſolyma Ieroſolymæ. *Quanquam*, inquit Eraſmus, *utroque modo reperio uſurpari hujuſmodi nomina Lyſtra, Lyſtram, & Lyſtra Lyſtræ.*

14. Domini voluntas fiat) Videtur Dei voluntas fuiſſe, ut iret Ieroſolymam, cum toties eum monuerit per ſpiritum ſuum. Sed de hoc facto Apoſtoli malo aliorum audire ſententiam, quam meam dicere. Quis enim ego? Qui arcana cœli ſcrutantur & ſciunt quid pater filio in aurem dixerit, melius de eo judicabunt, cenſebunt. Forte ſpiritus, cum eum admoneret, ex-

plorare voluit conſtantiam ipſius. Quis hoc negare auſit?

16. Mnaſonem) Latina exemplaria hic variant. Nam in pleriſque Iaſonem, quomodo etiam legit Chryſoſtomus in epiſtolam ad Romanos, capite ultimo. Nam Ἰάσωνα i. Iaſonem. Syrus habet Mnaſon. Hoc nomen nondum mihi lectum in monumentis doctorum, quos appellant.

Acto. 22.

3. Paternæ legis) quia non ſolum a patre, ſed a patribus. Ebræi dicerent *lex patrum*. Patres autem appellant omnes majores. Alii maluerunt *patriæ legis*: quod ut non improbo, ita excuſatum hic eo interpretem noſtrum. Recte an ſecus, judicent qui intelligunt. Lexicon vetus, πατρῷος, *paternus*. Sic *mos paternus* Act. 28. 17. *paternæ traditiones* Galat. 1. 14. *paterna traditio* 1. Petr. 1. 18. *paternum ſepulchrum* 3. Ezræ 1. 31. πατροπαράδοτος, *quod a patribus traditum*. Ex his liquet paternum uſurpari ab interprete noſtro pro patrio. Vox Græca utrunque ſignificat, niſi quod quidam patrius exponunt πατρικός, qui eſt patris. Terent. *patriæ qui abligurierit bona*.

7. Saule, Saule) verba ſunt interpretis, qui quod Ieſus Ebraice dixerat, *Saul, Saul*, interpretatur Græce declinans, *Saule, Saule*. Repetitio autem fit more vocantium, ut *Abraham, Abraham: Iacob, Iacob: Moſes, Moſes*.

9. Vocem non audierunt) diſſentir (ita videtur) a ſeipſo. Nam ſupra 9 7. ait, *audientes quidem vocem, neminem autem videntes*. Vide ſis Eraſmum. Nam ego, quod addam, non habeo. Dies certiora docebit. Præſtat ignorantiam fateri, quam temere damnare quod non intelligis. Nota hic eſſe, *non audierunt vocem ejus qui loquebatur*

[illegible]. Hoc primum: deinde ſi audierunt vocem Pauli, etiam viderunt eum. Nodum ergo non ſolvit, qui hæc ita conciliat. Alia ſolutio quærenda, ad quod tempore opus & otio.

14. Videres juſtum) τὸν δίκαιον, qui ſic vocatur cum alibi, tum Act. 3. 14. Sed & in libro Sapientiæ. Vidit juſtum oculis animi. Nam vidiſſe illum Ieſum oculis corporeis, nuſquam legimus, quod ſciam. Varians lectio τὸ δίκαιον ſe tuetur ex more illo quo abſtractum uſurpant pro concreto. Nam ut Ieſum vocamus τὸ σωτήριον, ſic etiam dici poſſet τὸ δίκαιον, .i. juſtitia. Sic apud Davidem, *juſtitias amat*, id eſt juſtos. Sic dolus pro doloſo.

25. 5. Hominem Romanum &c.) Si pro an, quod pervulgatum huic interpreti. Terentius, *ſi domi eſt rogas?* Ebræi hoc ſenſu uſurpant אם ſi, maxime ſi præcedat ה.

Act. 23.

Phariſæus filius Phariſæi) lectio varians *Phariſæus filius Phariſæorum*, docet non patrem tantum, ſed majores quoque ipſius Phariſæos fuiſſe. Confirmando *Phariſæus ex Phariſæis*.

24. Sectam quam dicunt hæreſin) ſectam Ebræi כת vocant, hæreſin מִינוּת: quæ ſic differunt ut hæreſis non ponatur niſi in vitio; ut cum Saducæos & Baithuſæos appellant מינים hæreticos. Moſes Ægyptius exiſtimat hoc nomen tantum hiſce ſectis tribui: ſed fallitur. Nam etiam Chriſtiani vocantur ab iis מינים hæretici: unde Minæorum nomen apud Hieronymum. Nam dicebant מִינָאִי Minai, unde Minæus, & pluraliter מינאי Minæi: Quibus ter in die ſub nomine Nazaræorum maledicunt. Sectas vocant כתות, quæ olim tres fuerunt in ea gente, de quibus nos peculiarem librum edidimus. Proinde legimus in eorum monumentis

ſecta

ſecta Phariſæorum, *ſecta Heſſæorum*, etiam *ſecta Sadducæorum*: quæ aliis מינות .i. hæreſis dicebatur. Nam talis habebatur a populo, qui Phariſæos ſequebantur. Nondum legi quod ſciam, *hæreſis Heſſæorum*. In novo quidem fœdere invenies *hæreſis Phariſæorum*: ſed tunc nomen illud non adeo erat odioſum, ut nunc; deinde hæreſis idem ibi eſt quod ſecta. Nam Synonyma ſunt. מינות de Phariſæis non memini legere. Erat enim exactiſſima ſectarum Iudaicarum, in qua & Apoſtolus noſter inſtitutus fuit ad pedes Gamalielis. Secta igitur erat non hæreſis, ut accipitur id nomen 1. Corinth. 11. 19. *oportet & hæreſes eſſe*, & Tit 3. 10. *hæreticum poſt unam atq; alteram admonitionem devita* .i. מין aut מיני.

Act. 28.

14. Venimus Romam) ivimus, profecti ſumus, contendimus. Syrus certe vertit אזלן, & venio pro eo ponitur cum alibi, tum in illo Terentij, *niſi eo mercatum venio* .i. eo. Sic בא venit & הלך ivit permutantur. Ion. 1. *invenit navem* באה *euntem*. Contra לכו venite. Gen. 15. 15. *venies ad patres tuos*. LXX. ἀπελεύσῃ. Hiero. *ibis*: alius, *ingredieris*. Ioh. 6. 17. ἤρχοντο alius *venerunt*: alii *ibant*. Nondum enim eo venerant.

15. Appij forum) locum hunc extra urbem fuiſſe non dubito. Quanquam is qui ſcripſit de locis Actorum in urbe illum ponat ita ſcribens, *Appij forum nomen fori Romani, ab Appio quodam conſule tractum: a quo & via Appia cognominata eſt*. Qui librum hunc Hieronymo tribuunt, falluntur. Nam meminit in eo Hieronymi, etiam *Mauvia* Arabis, qui anno Chriſti DCLXI. regnare cœpit, ducentis circiter annis poſt Hieronymi obitum. Verba ſunt, *Damaſcus urbs nobilis Phœnices, quæ & quondam in omni Syria tenuit principatum, & nunc Sara-*

centum triginta oppidis perhibetur: unde & rex eorum Maanias (ita leg. non Mannias) *fanum ſanctum in ea ſibi ſuæq; genti baſilicam dedicavit, Chriſtianis in circumvicinis urbibus Baptiſtæ Iohannis eccleſiam frequentantibus.* Nunc ad rem. Syra editio; *in vico qui vocatur Appii-forum.* שוקא reddo vicum potius quam plateam. Significat etiam forum. Apud Plinium eſt *Foroappios.* Ab Antonio ponitur inter tres tabernas & Terracinam. Quidam opinantur forum Appii fuiſſe in via Appia, [illegible], ab Appio cæco ſtrata. Quod an ita ſit aliis dijudicandum relinquo, nam via illa ab urbis Romæ porta Capena Capuam, aut, ut alii, Brundusium uſque ſtrata erat. Meminit hujus Horatius ſermonum lib. 1. ſat. 5. *Egreſſum magna me excepit Aricia Roma Hoſpitio modico, rhetor comes Heliodorus Græcorum longe doctiſſimus, inde forum Appi.*

Rom. 1.

14. Sapientibus & inſipientibus) Sapientiam appellant Ebræi quicquid homo diſcit a præceptore ſuo: unde ſapiens uſurpatur pro docto & erudito, & contra inſipiens pro indocto, qui etiam כסיל vocatur Cohel. 2. 16. Sane ubi textus Ebræus habet *cum ſtulto*, editio noſtra legit, *cum indocto* ad ſententiam non male. Nam ut peritus artifex ſapiens dicitur, ita imperitus qui eſt, *inſipiens* recte vocatur. Ideo & Symmachus Cohel. 2. 13. סכלות i. ſtultitiam Græce *ἀμαθίαν* interpretatur. Docte ut alia omnia noſter Eraſmus ad hunc locum, *Sapientiam, hoc eſt, eruditionemque ſibi vendicabant Græci. Porro Græcos, quos aliquoties pro quibuſvis gentibus poſitos reperies, hic barbaris oppoſuit, quos ἀνοήτους vocat seu rudes philoſophiæ & indoctos.*

25. Commutaverunt veritatem Dei in mendacium) hoc eſt Deum verum in falſum. Græce eſt μετήλλαξαν, & in

in quibuſdam Latinis *in mendacio*. Certum eſt ἐν pro εἰς uſurpari. Sic *ἐν ὁμοιώματι in ſimilitudinem*. Talia ſunt, *erunt in carne una* pro in carnem unam: *fuerunt hoſtes ejus in capite* pro in caput: *in cauda* pro in caudam: *credidit in ſanctis ſuis* pro in ſanctos ſuos. Sic in Deo & in Deum credere ſynonyma ſunt. Perperam Eraſmus, *Cum ipſi verſarentur in mendacio, ſibi mutaverunt Dei veritatem, aliter de illo prædicantes quam eſt*. Vide quæ ad hunc locum annotavit. Sciendum etiam ב ἐν & ל εἰς permutari apud Ebræos. Sane Pſal. 106. 20. ubi codex Ebreus בתבנית & Græca exemplaria ἐν ὁμοιώματι, noſter habet *in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*. Malim *bovis*. Nam μόσχος ibi bos, non vitulus, ad hæc שור eſt in fonte, non עגל.

Rom. 3.

12. Vſque ad unum) עד־אחד, uſque ad unum, hominem videlicet, quem dicto includit: ac proinde ſententia, ne unus quidem. Nam exponere de Chriſto, nimis coactum videtur. Vt omittam quod Chriſtus, quatenus homo nuſquam dicatur εἷς quemadmodum Deus vocatur אחד, quoniam unus eſt in mundo ſuo. Infra 10. οὐδὲ εἷς eandem ſententiam continet, ut & illud quod in Syro & Ebræo textu, *non etiam unus*. Hieronymus, quod miror, ex Ebræo interpretatur ut LXX. *Vſq; ad unum* ἕως ἑνός. Senſus eſt quem dixi, de quo magis Apoſtolus ſollicitus fuit quam de verbis.

Vſque ad unum hominem incluſive, ut loquuntur.

Rom. 5.

7. Pro juſto) ὑπὲρ δικαίου ambigue dicitur. Poteſt enim eſſe obliquus a δίκαιος, juſtus; ut dicat pro homine juſto: & poteſt eſſe obliquus a recto δίκαιον, juſtum, juſtitia, juſta cauſſa. Patres utroque modo enarrant, ut notatum ab Eraſmo. Quibus addo Syrum interpretem hic habere *pro improbis*, quos רשיעא appellat. Quod bene qua-

ne quadrat cum eo quod ſequitur ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ, pro bono. Nam qui vir bonus eſt etiam juſtus eſt. Itaque non nemo ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ interpretatur pro eo qui ſibi utilis eſt & commodum aliquod adfert. Nam hoc טוב etiam ſignificat apud Ebræos. Simul iſta legantur cum alibi, tum infra 7. 12. *Mandatum ſanctum & juſtum & bonum.*

Rom. 6.

2. *Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo?* Nam qui mortuus eſt peccato, vivit Deo. Qui vivit in peccato, non vivit Deo, ſed vivit in peccatis: etiam mortuus eſt in iis, ut loquitur Apoſtolus Epheſ. 2. 1. & 5. Coloſ. 2. 13. Vivit igitur & mortuus eſt. Quocirca recte dici poteſt ζῶν τεθνηκὼς vivens mortuus. Nam peccatum mortem adfert: unde peccatores mortui vocantur etiam dum vivunt. Diſces hinc quid interſit inter mortuum eſſe peccato & mortuum eſſe in peccatis. Nam Tyrones theologi hæc ignorant. Quin veterani quidam ſtupent ad has quæſtiones, quas juvenes non didicerunt. Moritur ergo peccato vir juſtus, moritur in peccatis homo improbus, qui etiam vivere dicitur in peccato.

Rom. 7.

3. Si fuerit cum alio viro) ſi rem & conſuetudinem habuerit cum alio viro, ſive in matrimonio ſive extra matrimonium. Vt hic *eſſe cum viro*, ſic alibi *eſſe cum muliere* pro conſuetudinem habere cum ea. Gen. 39. 10. *ut eſſet cum ea.* Plautus *mecum hoſpitis juſſu hac nocte fuit.* Dicunt etiam *eſſe viro* pro nubere viro. Vide notas meas in Ruth. Num. 30. 7. Iud. 14. 20. *fuit ſodali ejus* .i. nupſit ei. Græca exemplaria ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ, *ſi fiat viro alteri.* Nam poſt obitum viri libera eſt, poteſt

poteſt nubere cui vult. Auguſtinus aliud exemplum producit ex Levit. 22: 12. *filia ſacerdotis ſi fuerit viro extraneo* .i. non ſacerdoti. Ipſe vertit *alienigenæ* & interpretatur *ſi fuerit*, ſi nupſerit. *Hanc ſermonis formam*, inquit Eraſmus, *legimus in Hecyra Terentiana, Vt alij, ſi huic non ſit, ſiet. Vbi de matrimonio, non de voitu filij ſentit pater.*

1. Quanto tempore vivit) homo. Nam in mortuum non dominatur. Aut *vivit lex* .i. viget. Sic *Vivat via Berſabee* .i. religio quæ in eo loco colitur. Colebatur autem vitulus, quem Ieroboam illic inſtituerat.

24. De corpore mortis hujus) Syrus, *de corpore hoc mortis*. Verba Græca ad utrunque ambigua ſunt. Vocat autem corpus ſuum corpus mortis quia mortale. Mortis cauſſa fuit peccatum, unde dictitant *Adam quo die peccavit eodem mortuus eſt*. Mortuus, non naturali morte, quæ poſt ſecuta eſt, ſed morte peccatorum & calamitatum. Quo facit Origenes mortem interpretans peccatum, & ob id vocari corpus mortis, in quo habitet peccatum. Neque ſpernendi qui corpus mortis de turba malorum ingruentium enarrant. Vt ut ſit, ſenſus petendus ex illo, *morte morieris*. Nam ab eo tempore in varias calamitates incidit, victum in ſudore vultus comparans, terramque cum magno labore colens &c.

Rom. 8.

15. Abba pater) * nomen Syrum cum Græco. Simile *Adonai DOMINE*: quorum prius cognomen eſt, alterum nomen Dei proprium, quod vocant Iod, He: vel ſane, Iod, He, Vau, He. Eraſmus hic legendus cum judicio. Nam Adonai cum (ד) in ultima non tribuitur hominibus, quod ſciam. Si (י) habeat eadem ſyllaba, ſignificat *Domini mei*, quod uſurpant de uno ſingulari. Auguſtini locum, quem hic Eraſmus adducit, laudo in

* Aut nomen cum interpretatione, ut *Elymas Magus*.

ſunt commentarii, e medio voces Ebraicas Nedarim ſibi quædam addita, quæ mea ſunt, non Auguſtini. De quibus te ſemel admonendum exiſtimavi, ne erres in verbis illius. Vide, ſi placet, Rom. 9.

1. Veritatem dico, non mentior) locutio ut, *confeſſus eſt & non negavit.* Nos alibi eam luculenter enarramus. Non libet repetere. Occidit enim miſeros crambe repetita magiſtros.

10. Ex uno concubitum habens) ex uno Iſahaco concipiens, quod alias dicunt *in utero habens*, ἐν γαστρὶ ἔχουσα. Plenius hoc diceretur, *concubitum ſeminis habens*; quod expreſſum Levit. 18. 20. & 19. 20. & 22. 4. Ebraice שכבת זרע. Sunt qui putant ipſum ſemen eo nomine ſignificari. Forte an hypallage eſt *concubitus ſeminis* pro ſemen concubitus, quod ex concubitu maris cum fœmina profluit. Hinc intelliges quid ſit *dare concubitum ſuum*, & *dare concubitum ſeminis*. Nam qui hoc facit, reddit mulierem gravidam & prægnantem. Ut hic *concubitus ſeminis*, ſic alibi *viriditas herbæ* pro herba viriditatis i. viridis. Multum profecit, qui loquendi modos bene intelligit: Nam hinc pendet intelligentia ſacrarum literarum.

32. Sed quaſi ex operibus) Eraſmus ad hunc locum, *Nec ſalutem acceptam ferebant ſuis operibus, excluſa gratia Dei.* An hoc verum ſit, neſcio. Multum tribuebant operibus, ſed [illegible] Dei gratiam vehementer dubito. Dubitandi cauſa, ex eo quod dictitant,

Qui venit ut ſe mundet adjuvatur e cœlo.

i. divinitus, vel a Deo, i. divinitus. Nam cœlum nomen epitheton Dei.

... [illegible] ſonus eorum) locum hunc [illegible] ex editione τῶν ό, in qua eſt φθόγγος αὐτῶν, quod etiam Hieronymus vertit *ſonus eorum*. Ante ipſum Aquila legebat ὁ κανὼν αὐτῶν, canon aut regula eorum quod nunc Ebræi legunt [illegible] libris omnibus inter ſe mire conſentientibus. Tamen [illegible] theologi contendunt locum depravatum eſſe. Videamus an recte. Primum enim קול a Græcis interpretibus reddi ſolet φωνὴ, & quanquam φθόγγος parum differt a voce, & Cicero ἄνευ φθογγῆς reddiderit *ſine voce*, tamen ajunt φθόγγον eſſe obſcuriorem quam vocem. Deinde ſi vera lectio eſt קולם vox eorum, nonne propheta ſibi contradicit cum præcedat *non auditur vox eorum*? Concilient qui poſſunt, ego nullus video quomodo ſimul vera eſſe poſſint; *auditur vox eorum & non auditur*? Nam ſunt contradictoria. Dicet in eodem haberi, *non eſt ſermo, non ſunt verba*, & paullo poſt, *in fines orbis terræ verba eorum* ſibi exiverunt. Reſpondeo in Ebræo eſſe *non ſunt verba* i. דברים, quæ ſunt verba articulata: & mox, *in omnes fines orbis terræ verba eorum*: i. מליהם, quod ſignificat verba etiam non articulata, ut cum quis nutu manuum aut pedum aliquid ſignificat. Sane legimus apud Salomonem in libro Proverbiorum, *loquitur pedibus ſuis* [illegible]. Qui hoc neſcit, fateatur ſe neſcire, quod jam non [illegible] ipſis pueris [illegible].

14. Benedicite & nolite maledicere). Benedicit Ebræo & Latino ſermone qui bona exoptat & ut bona proveniat precatur: contra maledicit qui imprecatur. Cicero, [illegible]. Hoc ſenſu homo benedicit homini: [illegible] Deus benedicit hominibus & homines

Deo.

Deo. Nam Deus benedicit, cui benefacit & de quo bene meretur. Homo benedicit Deo quem laudat, cui gratias agit de accepto beneficio. Hinc Deus *benedictus* i. Laudandus. Pſal. 134. 3. *benedicat tibi DOMINUS e Sion*. Terentius Adelphis, *dij ſibi benefaciant*.

20. Si ſitit da ei potum) membrum hoc in iis Græcorum exemplaribus ubi deſideratur, addendum eſt, meo judicio, quoniam habetur Proverb. 25. 21. unde hic locus deſumptus.

Rom. 13.

8. Qui diligit proximum legem implevit) i. ſecundam tabulam. Nam ea ad proximum pertinet, ut prima ad Deum. In his duabus ſummatim comprehenditur tota lex. Proximum autem dicit alium quemvis. Nam qui mecum rem aut negotium habet, dicitur meus proximus, ſive ſit amicus ſive inimicus, nihil refert. Qui ergo diligit proximum ſuum, non occidit, non furatur, non committit adulterium, non dicit falſum teſtimonium, non concupiſcit &c. Impletio igitur legis eſt dilectio ſive charitas, quę alibi vocatur *finis legis*. Nam *in agibilibus*, ut loquuntur Scholaſtici, *principium habet rationem finis*.

11. E ſomno ſurgere) e ſomno vitiorum. Nam vita improba vocatur hic ſomnus, ut & nox: unde *noctis filij* Theſ. 5. 5. & tenebrarum ibid. Quibus opponuntur *filij diei* & *filij lucis*. Tenebræ ſunt noctis propriè, ſed ſignificat eo nomine tenebras calamitatum, vitiorum & errorum: unde *populus qui habitabat in tenebris, lux affulſit eis*.

Rom. 14.

11. Omnis lingua confitebitur Deo) locus iſte habetur Ieſ. 45. 23. ubi in fonte, jurabit omnis lingua.

Repe-

reperi autem debet לי mihi, ex præcedentibus. Quanquam R. David negat verbum jurandi cum Lamed conſtrui. Fallitur, fallitur. Vide Obſervationes meas lib. 9. cap 10. Iurare per Deum quid ſit notius eſt quam ut explicari debeat. Iurare DOMINO alium ſenſum habet, ut ibi docemus. Vide ſi placet & ſi otium eſt.

Rom. 15.

Quæ ante ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt) quadrat cum dicto Ebræorum, *quicquid accidit patribus ſignum eſt filijs.* Dicunt etiam, *non eſt una litera in lege, ſuper quam non poſſunt ædificari magni montes.*

11. Lætamini gentes cum plebe ejus) malim *cum populo ejus.* Quanquam familiare huic interpreti plebem pro populo uſurpare. Nihil decerno, tamen eo labor ut credam duas interpretationes coaluiſſe. Vna erat, *Cantate gentes populum ejus* .i. עַמּוֹ: altera, *lætamini gentes cum eo* .i. עִמּוֹ. Ex utraque factum *μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ,* cum populo ejus. Vide quid faciat unius puncti mutatio. Non ergo mirum ſi, cum vocales olim abeſſent, interpretes non eodem modo ſemper legerint.

29. In abundantia benedictionis) Eraſmus ad hunc locum, *Benedictionem Paulus aliquoties vocat eleemoſynam.* Benedictio non eſt eleemoſyna, ſed munus aut beneficentia. Tum autem vocatur eleemoſyna quando in pauperes confertur aut exercetur. Pro munere ponitur Gen. 33. 11. Accipe nunc benedictionem meam, quæ adducta eſt tibi .i. munus quod nunc adducitur tibi ex bonis facultatibus, quibus Deus mihi benedixit. Sane Oncelos hic habet *oblationem meam*) & Ionathan דורון .i. *δῶρον,* & R. Salomo *munus meum,* & Gallica editio, mon preſent. Cognatum eſt cum dicimus, *anima*

benedictionis, ſignificantes animum liberalem ſive hominem beneficum. Nam *benedictio*, beneficentia, benignitas. Sirach. 7. 33. *quo perfecta ſit benedictio tua* .i. benignitas. Vt ברכה eſt donum, munus, ita verbum בֵּרֵךְ benedixit, idem quandoque ſignificat quod muneravit ſive muneratus eſt. Vide Ieſ. 66. 3. Plautus, *ut beneficium benemerenti noſtro merito muneres.*

Rom. 16.

3. Priſcam & Aquilam) In plerisque codicibus Græcis Priſcillam, quod eſt ὑποκοριστικὸν a Priſca: quomodo vocatur uxor Aquilæ Pontici Act. 18. 2. & 26. Syrus etiam hoc habet Priſcilla: quæ lectio valde firmat opinionem Origenis exiſtimantis Priſcam eandem eſſe cum ea quam Lucas in Actis Priſcillam appellat, cujus maritus erat Aquila, Paulo ὁμότεχνος, nimirum artifex tabernaculorum. Sunt qui opinantur eſſe nomen viri, unde in Dictionario hiſtorico geographico, *Priſca, adjutor Pauli, Rom. 6.* Tu emenda Rom. 16. Priſca mulier Montani hæretici meretrix memoratur apud Euſebium hiſto. eccleſ. lib. 5. cap. 16. Perperam in libro nominum, *Priſca agnoſcens*, & *Priſcam agnoſcentem*. Quo idiomate? Nam Priſcus in latio *vetus, antiquus*; unde Priſcæ coloniæ appellatæ ſunt ut diſtinguerentur a novis, quæ poſtea a populo dabantur. Vide Feſtum.

7. Et Iunia) ſic etiam Syrus. Nomen eſt fœminæ, non viri. Quanquam in Dictionario hiſtorico, *Iunia nomen viri concaptivi Pauli, Rom 16.* Vt Priſcus & Priſca, ſic Iunius Iunia. Alterum viri nomen, alterum fœminæ. Sic Iulius Iulia. Quod ultimum nomen invenies infra verſ. 15. *ſalutate Philologam & Iuliam.* Sunt Latina exemplaria quæ hic etiam legunt, *Andronicum & Iuliam*. Nos Græca ſecuti ſumus, quibuſcum conſentiunt.

tiunt Biblia regia & unum manuſcriptum.

18. Corda innocentium) imo ſimplicium minimeque malorum, quos Ebræi פתאים appellant, & Terentius imperitos rerum. Sciendum autem in codice Greco eſſe ἀκάκους, quomodo vocem פתי aliquoties reddunt LXX. ut Proverb. 1.4. & 8.5. & 14, 15. & 21.11. Syrus hic habet דפשיטי .i. ſimplicium. In oppoſito eſt callidus .i. ערום. Similiter Cicero pro Roſcio comoedo callidum oppoſuit imperito.

10. Ex Ariſtobuli) ſubaudiunt, *domo*: ſicut dicimus *ad Veſtæ* ſub. ædes. Sic εἰς ᾅδου. ſub οἰκίαν. Nota hæc in vulgus. Sed ſciendum in Græco exemplari eſſe ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου. Ideo Eraſmus intelligit gentiles & familiares ipſius. Sic 1. Corinth. 1.11. ὑπὸ τῶν Χλόης, ab iis qui ſunt Chloes .i. a domeſticis ejus. Chloe autem fœminam eſſe, docet Horatius ita canens,

Me nunc docta Chloë regit
Dulces docta modos & Cithara ſciens.

1. Corinth. 1.

28. Et ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret) Eſſe dicitur qui vivit & non eſſe qui mortuus eſt. Hoc notum lippis ac tonſoribus. Quid hic eſſe & non eſſe ſignificent docet nos Eraſmus, & poſt eum Theodorus. Nam ex Ebræorum idiotiſmo dicuntur non eſſe, inquiunt, quæcunque ita ſunt abjecta, ut nullo loco habeantur, & contra eſſe quæ in pretio habentur. Sic alibi, *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ſunt*. Optarim iſta exemplis veteris inſtrumenti probata eſſe. Mihi certe nullum adhuc obſervatum. Apud Sophoclem in Electra mulier quæ periit dicit, οὐδέν εἰμ᾽ ἔτι, *nulla ſum poſt hac*. Sic in latio, *Fuimus Troes: nullus ſum* & alia ejus generis. In Apocryphis Eſtheræ, *ne tradas ſceptrum tu-*

um iis qui non ſunt .i. improbis, qui non eſſe dicuntur quia mortui ſunt in peccatis: aut idolis, quæ ſimulachra ſunt hominum mortuorum. Aut non eſſe dicit idola quia non ſunt dij, unde & Elilim appellantur, quaſi dij nihili, aut quia idolum nihil eſt, ut ait Apoſtolus.

1. Corinth. 2.

6. Sapientiam non hujus ſeculi, neque principum hujus ſeculi) Quinam principes hujus ſeculi? An Philoſophi gentium & ſapientes Iudæorum? Sic alibi, *conquiſitor ſeculi hujus:* quod Hiero. explicat *rerum naturalium ſcrutator*. Et recte, meo animo. Nam de concionatoribus intelligere, quos Darſahim appellant, alienum puto. רברבי ſunt magnates: de ſapientibus non memini legere, רַב tam doctor quam princeps, doctorem ſignificat in illo, cum dicunt *Moſes doctor noſter* .i. רַבֵּנוּ. Principem denotare poteſt in illo *ſit timor* רבך *principis tui*. Quanquam non male vertunt qui vertunt *præceptoris tui*. De dæmonibus exponere non adeo placet. Nam illi vocantur *non principes ſeculi*, ſed *principes gentium*, ut exempli cauſa, *princeps Perſidis*, *princeps Græciæ* &c. Vide ſis Eraſmum.

1. Corinth. 3.

2. Lac vobis potum dedi, non eſcam) melius noſter Eraſmus, *lactis potu vos alui, non cibo*. Nam ἐπότισα ad eſcam referri non poteſt. Non enim ea potatur, ſed editur. Dedi ergo potandum lac, non comedendam eſcam. Quanquam lac etiam editur, unde, *& lac caprarum pro cibo tuo*. Ad verbum *pro pane tuo*. Sic potus vocabulo ſignificatur etiam cibus: unde & משתה συμπόσιον .i. convivium.

1. Corinth. 4.

3. Aut ab humano die) non eſt Cilicum idioma

ſed

ſed Ebræorum, qui diem DOMINI vocant judicium DOMINI. Sic dies humanus, judicium humanum. Quod active ſumendum Nam & reo dies dicitur quo judicandus eſt. Hic dies hominis intelligitur quo ipſe judicat de alio, ut dies DOMINI dicitur quo judicium exercet ſive in bonos ſive in malos. Sane Syrus hic legit, *aut ab illo homine.* Fruſtra igitur hic diſputant de impolita lingua Pauli, qui Cilix erat, domo Tarſenſis, Græce, meo judicio, quam Ebraice doctior.

4. Nihil mihi conſcius ſum) forte legendum, *nihili mihi conſcius ſum*, i. nullius rei. Sic *homo nihili*, qui nihili quidem eſt, hoc eſt nullius rei aut pretij eſt. Hujus rectus nihilum nomen ex non & hilum compoſitum. Aut *nihil mihi conſcius ſum* dixit imitatione Horatij, in quo.

Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Dixi ſupra *diem DOMINI* vocari *judicium DOMINI.* Plenum eſſet *dies judicij DOMINI.* Sic forte, *dies humanus*, dies judicij humani. Qualia ſunt, *clavis David*, pro domus David: *Mons DOMINI* & *Mons domus*, & *Mons domus DOMINI* .i. Templi. Sic Moria olim vocabatur.

Addendum ad Luc. 22.

22. Et ipſi cœperunt quærere inter ſe) quæſiverunt inter ſe. Pudet notare toties, qui toties occurrit. Vide quæ ſcripſimus Act. 1. 1.

25. Dominantur eorum) populorum videlicet, quod idem cum illo *gentium*. Sic alibi *gentes quos*, conſtructio ſenſu tantum congrua. Nam in voce eſt *earum*. Edi-

tioChaldaica fere habet עממיא *populos*, ubi codex Ebręus גוים .i. *gentes*. Vbi nunc ferula Serarij? a qua ſi non metuit ſibi interpres olim defunctus, eſt quod nobis metuamus, qui ad hucvivi ſumus,

Quum mihi ſpermologus mentem ſubit Heliodorus
Nam ſolæciſmos illico lingua timet.

Luc. 23.

38. Hic eſt rex Iudæorum) In Evangelio Iohannis, *Ieſus Nazarenus rex Iudæorum*: Quod Ebraice legitur apud Eraſmum יהושע הנזרי perperam. Scribi enim debet יֵשׁוּעַ vel certe ישו unde Ieſus addito σ, ut fieri ſolet. Hoc primum: deinde Nazarenus ſive Nazaræus mediam hadet, σ Sade, unde rectius & emendatius ad antiquam conſuetudinem ſcribitur Naſaræus .i. הנוצרי. Sane Chriſtianos Iudæi & olim & hodie adhuc appellant נוצרים Naſaræos.

Hic

Hic tandem calamum appendit reverendus Senex, circa finem Ianuarij, 1616.

Fatiſcebat ſiquidem tunc terreſtre hoc tabernaculum, abſumpto in laborioſo hoc ſtudiorum opere inconniuis vigilijs, omni ſpiritu; unde hoc conſecutum eſt, ut XII. Februarij ἐυθανάτῳ θανάτῳ *(ut cum Athenæo loquar) extingueretur, vel, ut cum Moſe, expiraret. Luget doctior orbis, luget Academia, & nos in ea. Sed quid agas? Tu Domine ſic voluiſti. Adhæc, in ea tempora incidimus, ut feliciſſimi ſint illi qui celerrimè veniunt ad hunc portum. Solemur nos ex ſacris; beati ſunt mortui qui in Domino obdormiunt. Et ex Apocrypho,* τῶν δικαίων ψυχαὶ ἐν χειρὶ θεῦ, καὶ ὐ μὴ ἅψεται αὐτῶν βάσανος. Sapic. 3. 1.
Et Senecam audiamus Chriſtiani, Mors intermittit vitam, non eripit; veniet iterum qui nos in lucem reponat dies.

Num. 23. 14.

Moriar ego morte juſtorum, & ſit finis meus ſicut ipſius.

FINIS.

VITÆ, OPERVMQVE IOH. DRVSII

EDITORVM ET NONDVM EDITORVM, DELINEATIO, ET TITVLI.

PER

ABELVM CVRIANDRVM.



FRANEKERÆ,

Excudebat FREDERICUS HEYNSIUS, Typographus. Anno, 1616.

Illuſtriſsimis & Potentiſsimis,

VNITARVM PROVINCIARVM ORDINIBVS GENERALIBVS:

PRAEPOTENTIBVS ORDINVM FRISIAE DEPVTATIS:

NEC NON

AMPLISSIMIS ACADEMIÆ FRANEKARANÆ CVRATORIBVS &c.

Vix ut cogitaram eventurum, Illu-ſtriſſimi, Præpotentes, Ampliſſimiq́; Domini, ut ego quoq́; ſcripti aliquid, turbidis his præſertim temporibus, publicitus ederem, ita multo minus futurum putabam, ut ſub Illuſt: Præpot: Ampliſſimiſq́; nominibus veſtris ſimul, illud quod publici juris fieri debebat, lucem aſpiceret. Quam ob cauſam? Primum enim tutius eſſe judicabam tacendo mirari doctiſſima politiſſimaq́; ſeculi hujus in-genia judiciaq́;, quam ſilentij caſtra deſerendo, ſcribendo videlicet, horum pariter & aliorum invidiam & odium mihi conciliare. Deinde, cum ego memet probè examinabam, quem ab aliquammultis annis non Apollo, ſed Mars ſuum diceret, ut verum fatear, nec materiam inveniebam, nec inventa pro dignitate illuſtran-dæ, idoneum me aut dignum exiſtimabam. Quippe quàm ego & Arte & Marte nullus, & quam vos ab utraq́; parte & aliunde Illuſtres Conſpicuiq́; ſitis in Celſ. veſtra, nulli non mor-talium conſtat & compertum eſt. Sed ſicut multa humano generi accidere ſolent præter o-pinionem, ita & hoc mihi qualecunque genus

non ſolum præter illam, ſed quoque præter ſpem & exſpectationem è cælo in ſortem obtigit. Neceſſitas dicitur ingens telum & verè. Verbo ut rem eloquar: A delatâ iſtâ ad D. DRUSIUM de loge create calumniâ, Illuſtres, Præpotentes, Amplique Domini, quæ pium pacificumque iſtud pectus vehementem iſtam epiſtolam extrudere, fugatâ à patientiâ, impellebat, Io. DRUSIUS veſter morbo corripitur, lentoque nec acuto proceſſu eo pedetentim deducitur, ut, poſtquam ſibi de rebus ſuis diſponendum eſſe in tempore animadverteret, duodecimo tandem Februarij die circa veſperam, morte transferatur in vitam, non morte, inque hoc Invidiæ Calomniarumque tartaro amplius eſſe deſinat. Qui morte non morte? An non mortuus eſt? Mortuus quidem eſt, quia morte tranſlatus, ſed cum e lecto ſuo inter auditores multos, Nobiles, Profeſſores, Paſtores, Theologiæ ſtudioſos, alioſque vicinos, egregia multa de Hieroſolymæ urbis conſtitutione, dicendo & docendo, ſine doloribus aut alicujus e membris convulſione aut contractione, imo apertis oculis, ſine aliquâ moleſtiâ Chriſto ſuo animam

Hieronymus, in ſuſpicione hæreſeos nemi nem decet eſſe patientem.

exſpi-

exſpiraverit, non placet tranſitum iſtum mortis vocabulo ordinario appellare. Quorſum hæc omnia, quæritis? Horſum, ut Celſ. veſtræ conſtare poſſit D. Druſio p. m. firmiter propoſitum fuiſſe, ſi huc uſque ſupervixiſſet, prælo committere Commentarium ſuum ad loca difficiliora Veteris Teſtamenti, aliaq; in idem Teſt. opera non vulgaria, quæ veſtris auſpiciis, maximiſque ſumptibus, a multis annis collegerat; morte vero præventum authorem promiſſis ſuis ad petitionem veſtram nuper quoque datis, ſtare non potuiſſe. Cumque bono iſti viro, per hanc rerum mutationem Celſ. veſtræ debitum perſolvere, vel quouſque in magno iſto opere progreſſus fuerit, coram vel per literas rationem reddere non licuerit, Reipublicæ verò intereſſe nihilominus videretur, ut omne hoc, quod communi commodo elaboratum penes heredes eſſet, cognitum eſſet, hinc officii noſtri eſſe judicavi, & quia judicabam coactus fui, iſta quæ ejuſdem ferè generis ſunt omnia, Celſ. veſtræ, & propter vos univerſæ Reipub. literariæ unà operâ indicare. Si non alio eo duntaxat fine, ut aliquando nobis, quid Celſ. veſtra de illis om-

nibus aut quibuſdam, ſtatuere placeat, conſtare poſſit. His deſcribendis cum me accingo, in manus forte incidit epiſtola Nobiliſſimi Clariſſimiq; viri Iacobi Monavij, in qua a D. DRVSIO peramanter petit, ut ſibi deſcribi curet catalogum librorum a D. Druſio editorum. Quod cum mecum perpendo, Illuſtres, Præpotentes, Ampliſſimiq; viri, in mentem venit, e re literaria fortè futurum, ſi catalogus iſte editorum alteri nondum editorum adjungatur, & ſimul orationi, ex decreto ſenatus Academici Franekerani, in obitum D. DRVSII habitæ, ad calcem annectatur. Sed ubi mihi utriuſque generis catalogum deſcriptum habeo, orationemq; expecto, quod miremini, aliquis quidam nullis non medijs (ne quid gravius dicam) orationis editionem impedire annititur. Cumque poſt longam moram, ob metum viri unius aut alterius, orationem frustra expectari didici, Reipublicæ tamen in genere, cui vos Illuſtres, & Friſiæ in ſpecie, cui vos Præpotentes, Academiæque cui vos Ampliſſimi viri cum laude præeſtis, intereſſe exiſtimavi, Druſius ut is & talis in vita, in doctrina, in moribus & mor-

bo

bo fuerit, quem & qualem fuiſſe Orator Nobiliſſimus pariter & Doctiſſimus, in oratione ſua elegantiſſimâ, dicebat. Carptim ergo colligere, & pauciſſimis delineare vitam DRVSII, *Druſij, inquam, ſoceri mei reverendiſſimi, chariſſimi, neceſſitate ſic cogente, agreſſus ſum, eaque potiſſimum fine,*

Semper ut honos, nomenque, laudeſque
DRVSII (*Invidiâ nolente volente*) manerent.

QVod autem vobis ſimul Illuſtres, Præpotentes, Ampliſſimique Domini, opellam hanc inſcribere non fuerim veritus, huc me potiſſimum impulere tum Amor veſter erga Druſium veſtrum, tum Authoritas ſumma, qua in unitis Provinciis, in Friſia, in Academiâ patriâ polletis. Amorem dico, quia toto eo, quo veſtris A A: operam ſuam per annos plus minus XXXVIII dependit, temporis tractu, induſtriam, fidem, atque in docendo *ἀκρίβειαν* ipſius, quam ſingularem Deus Optimus Maximus in illum contulerat, non ſolum ſuffragiis veſtris, ubi opus fuit aut expedivit, ornaviſtis, teſtimoniis, præmiis & beneficiis prædicaviſtis, ſed intimi quoque affectus erga illum veſtri non raro ſignificationes clariſſimas atque luculentiſſimas exhibuiſtis. Quæ omnia ſicut exteris multis ſunt teſtata ſatis, ita incolis Belgij, hæredibusque nobis & liberis ſunt teſtatiſſima. Hoc jure ergo cum DRUSIUS vivus ſe ipſum ſuaque omnia veſtræ Celſ. & Ampl. debebat, merito quoque & hanc Vitæ Operumq; Druſij delineationem & deſcriptionem,

-tionem, in gratitudinis aliquod testimonium, vel vos ſimul pertinere cenſui. Si autem quicquid id eſt, quod Honori ſoceri mei deſtinatum eſt, gratum vobis eſſet, aut profeſſione pietatis excuſatum; Authoritatem vero Illuſt: Veſt. D. D. appellavi, quòd ea nos liberos & hæredes quàm maximè egere liquido conſtet. Eo enim quorundam (proh dolor) audacia in judicandis & damnandis fratrum collegarumque ſuorum, etiam in Chriſto mortuorum, ſcriptis aſcendit, ut parum dubitem, quin illorum aliquis operas lucubrationeſque D. Drusii, Eccleſiæ vel Reipub. literariæ inutiles inviſaſque primo quoque tempore, per ſuas ſuſpiciones, protervè ſit redditurus, niſi propter authoritatem veſtram ſit omiſſurus. Quod vero facinus ne fiat, nos Celſ. AAque veſtras obnixiſſimè rogatas volumus, tum ut amoris, tum ut authoritatis ſummæ veſtræ clypeo, & D. Druſium quondam veſtrum ejuſq; lucubrationes, & nos denique propter ipſum & illas, ſemper tueri, protegere, & defendere, ubi a culpà abſumus, non dedignemini. In qua ſpe finiens, Deum Opt. Max: porro precor, ut Illuſtriſſimas DD. Veſtras quàm diutiſſimè incolumes nobiſque propitias ſervet, omnique benedictione ſupernè gubernationi veſtræ quàm prolixiſſimè benedicat. Leoverdiæ Friſiorum pridie Kal. Auguſti 1616.

Celſ. & A A. Veſt: devotiſſimus Cliens

ABELUS CURIANDER.

Vita, operumq́ue I. DRVSII *editorum & nondum editorum, delineatio, & tituli.*

IOhannes Clementis F. DRUSIUS natus fuit Aldenardæ, in oppido Flandriæ haud incelebri, Anno a nato Chriſto M. D. L. die autem Iunij XXVIII; quum paulo ante die videlicet Aprilis XXIX celebre illud inter poſtrema edictum in Belgio pronunciatur, quod hæreticorum librorum uſum & lectionem, ſicut & Iconomachias, ſecretiores conventus, Profanorumque de rebus ſacris Articulis fidei, diſputationes, prælectiones & conciones maxima cum ſeveritate interdicit. addito hoc præter alia mandato, Iudices ut ſevere agant abſque ulla Edicti mitigatione contra Hæreticos &c. Patrem habuit virum raris virtutibus, amploque cenſu in urbe & agro conſpicuum, Clementem e familia DRIESCHIORUM: Vnde huic noſtro cognomentum Drieſchius & DRUSIUS, voce poſtmodum flexâ paululum propter pericula, quæ tum erant in illis locis. Mater ei fuit Eliſabeta, mulier pia, e DECKERIS oriunda, quæ familia in ea urbe patritia eſt. Puer Ianus DRUSIUS annum agens decimum aut eo plus, a patre, qui ipſum ab incunabulis ſacris ſtudijs deſtinaverat, Gandavum ad ſcholam trivialem ductus fuit, linguas Græcam & Latinam ſub Petro Dickelo ut addiſceret: Apud quem cum ad tres quaſi annos commoratur, poſt abductus fuit Lovanium, ut Philiſophiæ ibi operam daret in pædagogio quod Caſtrum vocant. Sub initium anni LXVII ad bonas literas linguarumque ſtudium ſe confert, & in urbem commigrat: In Latinis Cornelio Valerio, in

Hiſtoria verò & Matheſi Joh. Stadio Magiſtris. Accidit autem circa hæc tempora, ut multis Chriſto fidelibus Martyribus, tum hîc tum alibi, fortium Athletarum more pro Chriſto decertandum fuerit, quos inter cum & ſuo modo numerari non puduerit prædictum Druſij noſtri patrem, Clementem Drieſchium, qui aliquamdiu celebris iſtius Eccleſiæ Aldenardenſis Senior fuerat, neque me pudebit, quid ipſi reformatæ religionis ergò factum ſit, poſteritati teſtatum facere. Sed ne Hiſtoriam contexere velle videri poſſim, uno verbo dicam: Clemens Drieſchius, ſic volentibus iſtorum temporum Inquiſitoribus, inclementer proſcribitur, & bona ipſius inſuper Fiſco adjudicantur. Bonorum damnum illud æſtimatum fuit ad ter mille libras Flandricas quas majores vocant, vel Anglicæ monetæ librarum circiter duo millia. Proſcribitur autem & bonis privatur non aliam ob cauſam ſane, quam quod ab Eccleſiæ Romanæ Scitis bonâ conſcientiâ declinaret; quodque in doctrina fidei, ſoli verbo Dei in ſcripturis ſacris expreſſo, tribueret authoritatem, & ſi quid aliud iſtorum temporum Martyres profitebantur. Proſcriptus, & jam uxore (quæ Romano-Catholicæ religioni addicta erat) & liberis orbus, in Angliam cum multis Chriſto fidelibus exſulibus cogitat, Londinumque habitationis ſuæ ſedem deligit. Interea vero temporis, dum pater in Angliam diſceſſum parat, mater, verita ne maritus filium hunc ſuum natu maximum, & chariſſimum, ſecum in Angliam abduceret, filium la[illegible]um ilico ad ſe Aldenardam revocat. Sed ſubito correpta morbo, quem ex amiſſione tum mariti chariſſimi, tum facultatum non vulgarium, contraxiſſe potuit, nihil facere, niſi miſeram vitæ conditionem flere, filiique auribus occinere,

nere, quod bonorum nihil ſibi relictum ſit, unde ſtudia ſua alere poſſit, & ſi quid triſtius in mentem venire poſſit. Vtque animum filij ab humanitatis ſtudiis jam alienum reddere occipiat, commendat eum fratribus ſuis, quibus conſultiſſimum videtur, adoleſcens ut Tornacum mittatur ut ibi Gallicam addiſcat. Sed Druſio alia erat mens, ſanctius propoſitum, altioreſque cogitationes, utpote cui finxerat de meliore luto præcordia Titan. Pater in Angliâ nihil ferè gravius ferre, quam iſtius Iani ſui abſentiam. Quid faciat? intentatum nihil relinquit quo filium ad ſe ducendum curet in Angliam, tum blandis literis, tum propoſitis præclaris præmiis rem peragendo. Tandem ſingulares literas dat ad Olivarium Drieſchium cognatum ſuum, qui tunc Alnardæ erat, obnixeque petit, ut adhibitâ operâ coloni ſui Anſegemenſis, viri ad perſuadendum paratiſſimi, hoc omni arte effectum dare velit, filius ut in Angliam ad ſe veniat, promittitque fore filij ut ſtudia liberaliter alantur, & ſimilia. Olivarius & colonus commiſſum ſibi negotium fideliter curae, nulliſque verbis vel præmiis parcere. Vtroque modo permovent adoleſcentem. Itaque tandem ad patrem cum horum altero ſe recipere aſſenſus eſt. Clam igitur omnibus cum colono paterno Anſegemum proficiſcitur (pagus eſt inter Aldenardam & Cortracum) ubi pater villam habebat. Hîc pernoctatum fuit, nec poſtridie diſceſſum ante tenebras, ne abitus ipſorum cuiquam ex vicinis innoteſceret. Sub noctem ergo cum jam alter alterum dignoſcere nequiret, relicta villa Anſegemenſi abierunt Oſtendam verſus, quod iter pedibus confectum fuit per ſaltus & invia. Vbi Oſtendam ventum in quiete viſa eſt ei tota Anglia ardere: Quod inſomnium licet non-

nihil terruiſſet ipſum, tamen inventa navi ſolvit, precatus Deum ut inceptum iter proſperaret. Interea avunculi nuncio accepto de diſceſſu ipſius, miſerunt qui ex fuga eum retraherent. Sed fruſtra. Nam prius quam illi qui miſſi erant veniſſent, jam tunc in Angliam ſolverat, vento uſus utcunque ſecundo & leni. Colonus dux & comes domum reverſus, procurantibus rem iſtam avunculis, Iohanne & Antonio Deckeris, conjectus fuit in carcerem, unde non ſine magnis impenſis poſtea evaſit. Londinum vero venit hic noſter adoleſcens ſub finem anni LXVII. paulò antè Natalem DOMINI. Nec mora. Pater ſe promiſſo liberatum it, filio libros emendo, & ipſius ſtudia, quantum quidem illud in exilio licebat, promovendo, conductis etiam viris doctis, qui eum domi privatim in omni genere artium inſtituerent. Ibi demum guſtum qualemcunque cœpit linguæ ſanctæ, docente ac monſtrante Bulingio quodam viro honeſto pariter & erudito. Interea Londinum ex Gallia venit Ant. Rod. Cevallerius, Profeſſor Cadomenſis, vir in Ebraicis literis doctiſſimus, & ſupra modum laborioſus: Quem cum publicè tum privatim Grammaticam docentem aliquamdiu audiviſſet hic noſter, diſcdeentem poſtea Cantabrigiam, quo miſſus erat ad obeundum regiam profeſſionem, cum aliis multis Gallis eumdem quoque comitatus eſt; tantâque in gratia fuiſſe apud præceptorem certum eſt, ut in domum ipſius non ſolum pro tempore receptus, ſed tam diu quoque retentus fuerit, donec Gallicam linguam probè didiciſſet. In ædibus ejus dum vivit, ſtudiorum ſocium, aut potius ἐργοδιώκτην habuit Thomam Carthurigtum Theologiæ Profeſſorem Anglum, virum egregie doctum, & omnibus iis quæ ad eam profeſſionem re-

quirun-

aquiruntur inſtructiſſimum. Poſtea cum Cevallerius a ſuis in Galliam revocatus abitum pararet, impetravit a patre, ut ibi adhuc annum integrum commorari poſſet. Eum fere totum conſumſit in ſtudio philoſophiæ partim, partim in diſcenda lingua Græca, quam profitentem publice audiebat Dodingtonum profeſſorem Regium, privatim autem conferre conſueverat cum aliquot æqualibus ſuis magnæ ſpei adoleſcentibus, in quibus & Ioh. Borelius erat, longiore vitâ dignus adoleſcens. Nam immatura morte patri præreptus erat. Cum eo legerat Homerum quinquies a capite ad calcem, quod ajunt, cum commentariis Didymi & Camerarij. Item Heſiodum, Phocylidem, & alios poëtas. Quin & proſa oratione ſcriptos pleroſque authores evolvebat, ut Herodotum, Demoſthenē, Iſocratem, Thucydidem, & ſimiles. Hoc eodem anno adoleſcens DRUSIUS Rabbinos legere, privatim docuit duos adoleſcentes Anglos, e collegio Trinitatis, quorum alter cognomine Livelęus poſtea adſcitus fuit in profeſſorem linguæ ſanctæ Regium. Itaque nullum tempus otio dedit, nullum voluptatibus: Sed magnorum in Anglia virorum exemplo, non nulla etiam conſuetudine provocatus, ut erat ingenio ſolerte ac molli, optimos magiſtros præeuntes inſequi aſſidue annititur. Et quarum laudum gloria natura rapiebatur, linguas omnes, quibus laudes eas parari poſſe intelligebat, ſumma animi ac laboris contentione, abunde conſequi operam navat. Effecit hoc ſane ipſius vitæ probitas, & ſumma diligentia (ne ego laudes ſoceri exaggerare velle videar) ut Celeberrimus iſte A. R. Cevalerius in Galliam diſcedens DRUSIO ſuo non invitus reliquerit quod ſubſequitur teſtimonium:

Iohannis DRIESCHII *ſtudia tam Hebræa, in quibus illi fidelem & aſſiduam operam navavi, quam Græca, quorum varia experimenta dedit, vehementer probo & laudo: morum integritatem quam privatim quam in contubernio integrum annum perſpexi, & ſingularem pietatem & amo & colo. Quæ non hominibus teſtata eſſe modò velim, ſed Deo inprimis votis & precibus omnibus commendata, ut opus quod in ipſo non vulgare dignatus eſt inchoare, ad faſtigium uſque perducat ad ſuam gloriam & ipſius ſalutem. Cantabrigiæ 15. Septembr. 1570. R. Cevallerius Hebr. Profeſſor.*

Anno poſt diſceſſum Cevallerij Ianus noſter profectus eſt Londinum, hac fini, ut in Galliam, philoſophiæ ſtudium proſequendi gratiâ, denuo concederet. Cum vero omnimodo jam ad iter paratus eſſet, nuncius advenit de Laniena Pariſienſi, quam Bartholomæanam vocant, quæ accidit anno Chriſti M. D. LXXII, undè iter illius in Gallias impeditum fuit. Sed evenit non multo poſt ut vocaretur Cantabrigiam a Carturigto, & Oxonium à Laurentio Humfredo vice-Cancellario. poſteriorem vocationem ſuſcipiens, eò profectus eſt anno ætatis ſuæ XXII, inibique IV. annos continuos Ebræa, Chaldæa & Syriaca docuit, non ſine laude. Sed omnia iſta commemorare non eſt opus. Inde redit in patriam, & Lovanium profectus, Iuris ſtudio, ut per hoc parentibus amiciſque eo melius opem ferre poſſit, operam dare affectat. Belgij verò ſtatu commutato, belloque contra Hiſpanos denunciato, Londinum revertitur ad patrem, quem in octavum uſque annum onerosa iſta patriæ commutatio adhuc detinebat. Facta interim pacificatione quam Gandavenſem vocant, redit in

dit in Flandriam una cum legato Belgico Franciſco Halvino Zvvegegemi domino, patre Clemente, (quem VIII annos continuos Londinum Eccleſiæ ſeniorem agnoverat, & coluerat, quique jam omnem pœnè quam è Belgio fugiens extulerat, pecuniam in commune libertatis recuperandæ bonum, abſumpſerat.) mox ſubſequente. In patriam (o dulce poſt longum exſilium ſolum) cum patre reverſus, non diu quid ſibi agendum ſit cunctatur, parentibus utrum in longos dies, menſes aut annos, oneri eſſe velit aut honori: ſed quàm citiſſimè, ſibi ut in Zelandiam trajiciendi venia concedatur, obnixe rogat. Parentes re intellectâ annuunt; DRUSIUS amplificandæ fortunæ (ut dici ſolet) ſpe ductus in Zelandiam venit, ibique literas commendatitias ad Illuſtriſſimos Hollandiæ Ordines accepit; Hollandi lectis iſtis (pro innato ſibi erga doctos amore) ſtatim, videlicet vigeſimo Iunij A. M. D. LXXVII. juvenem in numerum profeſſorum ſuorum aſciſcunt, ipſique Linguarum, Ebrææ, Chaldææ & Syræ profeſſionem demandant. Muneris hujus ſuſcipiendi ei, ut alios ſilentio præteream, author fuit Petrus Villerius, qui tunc magnus eſſe incipiebat apud Principum illum Principem Auraicum. Leidæ dum degit Druſius, uxorem ducit non minus piam quam Nobilem, omnibuſque virtutibus ornatiſſimam, virginem Gandavenſem, Mariam vander Varept dictam, Anno videlicet, M. D. LXXX. Oct. XVIII. Hæc cum in Flandriâ virgo, guſtum melioris purioriſque doctrinæ percepiſſet, conjux in Hollandiâ ita in illa confirmata eſt, ut citius bonis luculentiſſimis privari, deque civitate & patriâ, quam de ſententia ſua dimoveri potuerit. Præter alia, hoc de illa referunt, quod inexhauſtæ in Pauperes fuerit benignitatis, qui

unanimi

[illegible] & conſona voce [illegible] clamitant, cum eius necem intelligit: [illegible] ege- [illegible], [illegible]. Ex hac DRUSIUS [illegible] Anno M. D LXXXIII filium ſuſcepit [illegible]. quæ Anno M D CIV. matrimonio juncta eſt [illegible] Curiandro [illegible] collocata, [illegible]. Circa hoc tempus cum Druſium hunc [illegible] cauſa Aldenardæ in patria eſſe o- porteret ([illegible] parens jam diem ſuum obierat.) Princeps ecce Parmenſis urbem coronâ cingit; Obſidio durat XII ſeptimanas plus minus. Traditur urbs per [illegible]. Druſius evadit non ſine miraculo. Nam non cum civibus ſed cum militibus primo die egreditur, non ſine ſingulari favore & diplomate, à Præſide Richardoto impetrato. Cum Aldenarda Leidam revertitur, tum ob ſtipendij exiguitatem, tum ob acceptum in patria damnum centum florenis donatur ab Academiæ Curatoribus, qui publico inſuper ſcripto pollicentur, annuum ipſius in ſingulos annos C florenis adauctum iri. Leidæ vixit annos VII. plus minus. Quoniam verò familiam ex tam parco ſtipendio quod annuatim numerabatur, alere nequit hic noſter, alio cogitare incipit, ſuique fruendi, ſi legitime vocetur, ſpem facere. Hoc cum Illuſt. ille Auraniæ Princeps animadvertit, protinus ad Magiſtratum Leidenſem literas dat, utque Druſium ſibi retinere operam dent, omnibus modis ſuadet, ut patet ex literarum Copia nobis reſervata. Interim hinc ex Friſia, illinc ex Anglia vocatoriæ literæ ad D. DRUSIUM mittuntur; quod Lectori vel ex hac unica præſtantiſſimi Theologi, Martini Lidij epiſtola ad Druſium conſtare poſſit; quam ea propter ſicut & alia, deſcribere & publicare non videtur

tur inconſultum. Sic ergo ſcribit: *Sal. in Christo. Poſtquam Cal. Maij per miniſtrum Eccleſiæ in* Soetermeer *ad te ſcripſiſſem, accepi eodem die epiſtolam Ordinum Friſiæ, quam tibi redditam ex epiſtola ad fratrem intelligo. Sanè gaudebam tantum valuiſſe meam & Henrici ad Friſios epiſtolam, ut tam ſubito votis noſtris ſatisfieret, & vocationem maturarent. Spero te hinc intelligere quantum te amem propter dona. Iudico autem perincommodè accidiſſe ut eodem tempore literæ Anglicanæ vocationis ad te perlatæ ſint. Video enim hinc futurum ut perplexus hæreas, utram ſequi vocationem malis. Potes quidem hinc cognoſcere divinæ erga te Majeſt. ſollicitudinem, tam diligenter in ultimo q. momento deliberationum tuarum pro te excubantis, ſed tamen judico, etiamſi ego non permitterer legatis, qui nunc iterum hîc ſunt, te non debere vocationem Fr. negligere propter multas rationes. Indicarunt enim mihi qui hîc ſunt legati, ſe id non aliter quam contemtu ſui accepturos. Expende itaque mi frater, quam facile ex illo loco in tutum te recipere poſſis: Quanta ibi omnium rerum ad Oeconom. ſit vilitas: quam amantiſſimi b. literarum homines quamplurimi: quanto major illa liberalitas quam Leidenſium, quantus amor tui in collegis & his qui te expectant. Et deſine dubitare utrum eo te conferas. Certe indignationis quæ hinc eſſet apud Ordines conſecutura, non minima pars recideret ſine dubio in hos, qui de te vocando tam ſedulo inſtiterunt. &c.* De poſt. *Si me dimittere recuſabunt noſtri, non minus ſuavis erit tibi convictus Henrici Antonidæ, & aliorum quorundam, præterquam quod valde delectentur literis Friſij. Si ego acceſſero ſcio te non dubitare, quin tanto jucundior futura ſit conſuetudo noſtra: Quod addo ut ne ullo modo poſtponas hanc vocationem Anglicanæ. Hæc tanto diligentius ſcribo ut tuo rectius honori conſulatur, qui labora-*

bis apud Friſios ſi recesſeris. Vale. Amſterdami 4. Maj.
Martinus Lydius.

Literę ab Ampliſſimis Ordd. Friſiæ Deputatis ad Druſium miſſæ, quarum mentio fit in ſuperioribus, datæ ſunt XIX. Aprilis Anni 85. Quid jam Druſius? Lectis illis libido hunc invadit mutandæ ſedis, vocationiſque Friſicæ capiundę. Hinc operam ſuam Friſiæ Patribus addicit, & circa finem Aprilis in Friſiam cum familia trajicit. Leida diſcedens hoc ſubſequens teſtimonium ſecum confert: *Rector & Profeſſores Academiæ Lugdunenſis in Batavis Lectori ſalutem. Cum omnibus, quorum virtus & doctrina perſpecta nobis, jure meritoq́ teſtimonium debeamus: Tum in primis illis, quorum induſtria ac diligentia in hoc dicendi honeſtiſſimo munere, & vero in eadem nobiſcum arena enituit. Quo in numero cum hic ornatiſſimus eruditiſſimusq́ vir ſit D. Iohannes DRVSIVS, cujus probitas in vita, doctrina fideſq́ in profeſſione per ſeptennium ferè explorata nobis: omnino hoc faciundum fuit, ut abeuntem illum & ſponte profeſſione publica ſe abdicantem, honeſto teſtimonio proſequeremur. Quod factum hoc publico ſcripto volumus, teſtamurq́ ex fide, eundem D. Iohan. DRVSIVM carum nobis acceptumq́ collegam fuiſſe, amicè nobiſcum & probè cum aliis vixiſſe, tum etiam in lingua ſanctâ publicè docendâ tantam diligentiam, induſtriam, eruditionemque oſtendiſſe, quanta a legitimo & juſto Doctore, & vix ab illa ætate expectanda ſit. Commendamus igitur eum omnibus quibus virtus & eruditio curæ ſunt; ſatis certi, nec nos teſtimonii noſtri unquam, nec illos beneficii in eum collati pœnituros. Quæ omnia ut publici teſtimonii fidem haberent, ſigillo noſtro publico ſignari curavimus. Datum Lugduni Batavorum. Anno Domini Milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo quinto Calendis Maj ſtilo novo. Ex decreto Academiæ B. Vulcanius*

canius. In Friſia cum eſt, decimo Iunij die ejuſdem anni diplomate, vel Commiſſione (ut vocant) in ampliſſima debitaque forma, donatur. Quam gnaviter autem quamque feliciter demandatæ ſibi profeſſioni ſatisfecerit Druſius noſter ab anno videlicet LXXXV ad duodecimum uſque diem Februarij Anni M. D. C. XVI. quiá meum hoc multis deprædicare non eſt, teſtari poſſunt omnes illi viri docti, qui e Gallia, Anglia, Scotia, Dania, Germania, Helvetia, & Belgio ipſum audiendi gratia Franekaram unquam venere, quibuſque ipſius inſtitutione uti, inque Orientalibus linguis proficere curæ & cordi fuit. Vere de illo mihi dici poſſe videtur, quod

Mille foro dedit juvenes, bis mille miniſtrorum
Adjecit numero, purpureaq́ toga.

Quod ad genuinam vitæ ipſius pietatem, tum domi tum foris, gratamque gravitatem, & erga exteros humanitatem, comitatem & benevolentiam attinet, quis illa complecti oratione poſſet etiam ſi vellet? Me, ſi poſſem ut non, inſuper non deceret. Hinc etiam de ipſius inſigni doctrina, inque variis linguis peritia, deque conſueta apud familiares feſtivitate, & frontis hilaritate, deniq; de pectoris ipſius candore & æquanimitate nihil dicam; ſed de his omnibus abunde teſtari poſſent (ſi opus eſſet) partim collegæ ipſius clariſſimi viri, qui ſuperſunt, partim literæ illorum ſicut & aliorum doctiſſimorum virorum, quæ in memoriam iſtarum & aliarum rerum, ab hæredibus aſſervantur. Inventæ autem ſunt (ut hoc obiter addere liceat) & a me juxta nomina ſcribentium in ordinem quendam redactæ, epiſtolæ latinè ſcriptæ 2300, præter illas quæ Ebraice, Græce, Gallice, Anglice, Belgiceque ſcriptæ erant. Quibus quantiſque vero

beneficiis & honoribus Reverendiſſimus chariſſimusq; meus Socer, dum in Friſia vixit, tum ab *Illuſtriſſimis Provinciarum Ordinibus Generalibus*, tum *Particularibus*, affectus ſit, licet hæc innumerabilia ſint rudique Minerva a me deſcribi vix poſſint, malo tamen ut quis ſtili impolitiem, quam pietatis officium in me requirat. Anno ergo M. D. LXXXVII Ianuarij XXIII Nobiliſſimus & Ampliſſimus vir Kempo a Donia, tum temporis Academiæ Curator & jam præter illam curatelam Senatoria inſuper dignitate præfulgens D. DRUSIUM, ob rerum ſuarum varietatem de meliore nota Ill. Ordd. Friſiæ Deputatis commendat, qua lecta, prædicti patres ſtipendio D. Druſij (quod erat 500 florenorum) annuatim centum florenos adjici jubent. Anno 1590. Domini Deputati Diploma Domini Druſij renovant, amplificantque, addito inſuper vitæ induſtriæque ipſius encomio. Anno M. D. XCV ipſi Friſiæ Ordines Domino DRUSIO in poſterum ſeptingentos florenos in ſingulos annos numerari ſtipendij loco jubent. Anno ſequente D. Druſio, ab eorundem Deputatis Bibliorum in linguam Belgicam, cum D. Philippo Marnixio Sct. Aldegondio & aliis, vertendorum provincia demandatur, procurante non minimum rem iſtam viro Nobili Doctoque M. Idzerda. Ordd. Friſ. Dep. Hic ſi referre liberet, quanto ſtudio doctiſſimi quique D. Druſium ad hoc tranſlationis opus patriæ proceribus commendaverint, fertilis ſanè mihi dicendi materia foret. Verum ego hoc potius relinquam aliis. Interim quid Clariſſimus Gulielmus Baudartius, de D. Druſio quo ad hanc verſionem ſenſerit, videre licet in dedicatoria ipſius ad Ill. Ordd. Generales, in libello cui titulum fecit **Wechwereyder. Op die verbeteringhe des Ne-**

der-

derlanſchen Bybels etc. Qui vero libellum iſtum non habet, habeat hæc Magni iſtius Phil. Marn. Aldegondij verba, ex epiſtola ipſius 17. Iunij 94. ad Druſium miſſa, excerpta, in qua tametſi plurima in honorem Druſij dicta ſint, ea tamen tranſiliens, reliqua duntaxat, quæ ad hanc materiam pertinent, recenſebo. Sic ergo ille: *De Bibliorum verſione, quæ eſt, quam ad Ordines Belgij commemoras ſententia, etſi video te gravibus commotum ratinoibus, non poſſum tamen aſſentiri. Ego enim noſtram hanc, quæ vulgo manibus teritur verſionem ejuſmodi eſſe exiſtimo, quæ planè novas lucubrationes, novumque penitus opus requirat. Inter omnes autem omnium verſiones ego ingenuò fatebor, mihi viſam eſſe nullam tanto abeſſe ab Ebraicâ veritate intervallo, atque ſit Lutheri verſio e qua manavit noſtra; Ex vitioſa Germanica facta vitioſior Belgico-Teutonica. De quo ſi nobis liceat aliquando familiariter conferre, pro hermæo duxerim. Id vero vehementer doleo, pleroſque noſtros homines in me videri oculos defixiſſe, qui ſatis intelligam quanta mihi. Itaque velim Eccleſias noſtras, quod ego multis etiam ſuaſi, in te reſpicere, tibique hanc demandare provinciam. Idque ſi id tibi non ingratum fore intelligam, ero illis author quantum potero, etſi video nihil dum eos certi ſtatuiſſe. De quo ſi tuum mihi animum aperueris, facies gratum. Vale vir præſtantiſſime, meque ut facis ama, teque a me amari & coli tibi perſuadeto. Datum e prædio noſtro ſuburgano.* Anno M. D. C. Illuſt. unitarum Provinciarum Status Generales D. Druſio injungunt uti Commentarium ſive Notas ſcribat ad loca difficiliora veteris Teſtamenti, rite examinatis & expenſis ſuper illa, interpretibus Chaldæis, Græcis & Latinis, idque ſub conditione CCCC Florenorum in aliquot annos pro ſtipendio numerandorum. Quod opus a D. Druſio auſpicatum

ut in eo feliciter progredi poſſit, ecce Illuſt. prædicti Ordines ad Ampliſſimos Friſiæ Ordd. Deputatos 18 Maij 1601 Literas dant, in quibus humaniſſime petunt, Druſius ut omnibus iſtis oneribus & incommodis eximatur, quæ opus illud, Reipub. Chriſtianæ maxime profuturum, ullo modo impedire poſſent. His lectis, Literarum Mecænates & præſidia Friſiæ Deputati, non ſolum Druſium ab oneribus & curis Academicis eximunt, ſed ad hoc quoque concedunt ut ipſe lectionibus ordinariis quendam ſtudioſum præficiat, amanuenſiſque opera ipſorum ſumptibus utatur. Anno 1602 quarto Septemb. D. Druſio donum ducentorum florenorum datur ab Ampliſ. Ordd. Friſiæ Deputatis, idque pro bonis officiis Academiæ Franekaranæ ab ipſo præſtitis. Anno 1603 D. Druſius a Deputatis patriæ honeſtam ſui dimiſſionē petit. Iſti vero vigeſimo quinto Martij petitionem iſtam ad ipſos Provinciæ Ordines deferunt, addentes præter alia hęc quoque, quod ob celebritatem Druſij multi exteri bonarum literarum ſtudioſi Franekeram ad Academiam patriam ſe conferant, quodque propterea ipſi dimiſſionem concedere non potuerint. Plura hujuſcemodi generis addere, ne Codro ilia rumpantur, non libet, nec quoque ne in immenſum excreſcat opus licet. Dicam vero nunc paucis qui liberi D. Druſio nati ſint in Friſia, & qualiter vixerint; poſt, qui & quam excellenter Spartam ipſe ſuam ornaverit uſque ad mortem ſuis lucubrationibus, narraturus. Anno M. D. LXXXVII. primo Aprilis naſcitur ipſi filia Iohanna dicta, quæ 29. Maij 1608 Abrahamo valkio nubit, urbis Domburgenſis Prætori digniſſimo ornatiſſimo. Hæc cum in Novembri 1612 cum marito & reliqua familia ſuarum rerum ergo, in Flandriam proficiſci-

ſciſcitur Gandavique aliquandiu moratur, diem ſuum placidiſſime in Chriſto obit duodecimo Novemb. ejuſdem anni. Fit autem paulo ante mortem, ut loci iſtius Sacerdos accurrat, ſibique ab ægra peccata ad aurem enumerari poſtulet. Huic reſiſtit religionis ſuæ confeſſione animoſe per gratiam Dei morbida, ſed verbis fere & verberibus maritus. Ob hoc facinus, & quod oleum iſtius Monachi admittere nolebant, cadaver mortuæ Druſianæ non dignum judicatur, quod in ordinario loco terrę mandetur, ſed pro illo cloaca, colluviarium, & ſi quis extra urbem eſt ignominioſior locus, aſſignatur. Effertur ergo cadaver, vehiturque Gandavo in Zelandiam. Incredibile autem memoratu eſt, quantis ſumptib. periculis & moleſtiis. Anno inſequente videlicet LXXXVIII. XXVI Iunij naſcitur Druſio noſtro filius primus & ultimus, Iohannes poſtea dictus. De hujus Druſij Junioris indole, ingenio, pietate in Deum, & erga quœſlibet homines humanitate, denique de ipſius in bonis literis profectu, eruditione egregiâ, linguarumque Orientalium Græcæ Latinæque peritia ſumma, ſi quis latius cognoſcere geſtiat, legat quę de filio non de genere memoriæ prodidit Druſius ſenior in præfatione ſua, libro Annotationum ſuarum in N. Teſt. præfixâ, & alibi. Ego hoc tempore de virtutibus iſtius juvenis, qui ætatis anno vigeſimo primo ex calculo in Angliâ mortuus eſt, nihil quam parum dicere malo. Si vero familiarius mihi cum muſis politioribus in gratiam redire a multis aliis curis concedetur, ſuo tempore forte aliquanto latius hæc dicere aggreſſurus ſum. Nunc vero ut paulatim finem faciam, manumque de tabula, ut dicitur, conſilium eſt Librorum Operumve DRUSII tum editorum tum non-

dum

dum editorum titulos juxta amorum ſeriem deſcribere, & communicare, ut hinc ſtudioſi mecum diſcant & percipiant, quantũ laboris nobis exantlandum ſit, ſi ad eruditionis faſtigium cum DRUSIO aſcendere affectemus.

Libri ab authore editi.

IN Pſalmos Davidis veterum interpretum quæ extant Fragmenta. I. DRUSIUS collegit. Antverp. per Ch. Plant. Anno 1581 in quarto.

Ad Phil. Marnixium Sanct. Aldegondium.

Ioh. DRUSII ad voces Ebraicas N. Teſt. Commentarius, in quo præter explicationem vocum variæ nec leves Cenſuræ. Ant. per Ch. Plant. 82. in quarto.

Ad Cl. V. Petrum Villerium Theolog.

Ioh. DRUSII Quæſtionum ac Reſponſionum liber in quo varia Scripturæ loca explicantur aut emendantur. Leidæ 83. in octavo.

Ad N. V. Iannum Douzam.

Ioh. DRUSII Ebraicarum quæſtionum, ſive Quæſtionum ac Reſponſionum libri duo, videlicet ſecundus ac tertius Leidæ Anno 83. in octavo.

Ad Eduardum Dierum. V. N.

Ioh. DRUSII animadverſionum libri duo. In quibus præter dictionem Ebraicam plurima loca Scripturæ, interpretumque veterum explicantur, emendantur. Leidæ per Ioh. Paetſium 85. in octavo.

Ad Nob. Ampliſ. Ordd. Friſiæ delegatos.

Eſthera ex interpretatione S. Pagnini. Ioh. DRUSII in eam annotationes: Additiones Apocryphæ ab eodem in latinum ſermonem converſæ, & ſcholiis illuſtratæ. Leidæ per Paetſium 86 in octavo.

Hiſtoria

Hiſtoria Ruth ex Ebræo latinè converſa, & commentario explicata. Ejuſdem hiſtoriæ tralatio græca ad exemplar Complutenſe, & notæ in eandem. Additus eſt tractatus an Ruben Mandragoras invenerit. Opera ac ſtudio Ioh. DRUSII. Franekeræ per Radæum Anno 86 in octavo. *Ad R. in Chriſto Patrem Ioh. Whitgiſtum Archiep. Cantuarienſem &c.*

Ioh. DRUSII Miſcellanea locutionum ſacrarum; tributa in centurias duas, in quibus præter ſcripturas varia Theologorum loca, Auguſtini præcipuè illuſtrantur, aut emendantur. Franek. Anno 86 in octavo. *Ad Ioh. Whitgiſtum &c.*

Alphabetum Ebraicum vetus. C Sententiæ veterum ſapientum triplici charactere Ebraico, Latino & Græco, ſecundum antiquam ſcribendi conſuetudinem. Omnia edita & notis illuſtrata per I. DRUSIUM Aldenardenſem. Fran. Anno 87 in quarto. *Ad Hugonem Donellum Iũum.*

ΤΑ ΙΕΡΑ ΠΑΡΑΛΛΗΛΑ. Parallela ſacra, hoc eſt locorum Veteris Teſtamenti cum iis quæ in Novo citantur conjuncta commemoratio, Ebraicè & Græcè. Ioh. DRUSIUS tranſſcripſit, convertit in Latinum, & notas adjecit. Fran. 88 in quarto. *Ad N. V. Kemponem a Donia.*

Ioh. DRUSII Proverbiorum claſſes duæ, in quibus explicantur proverbia ſacra, & ex ſacris orta; item Sententiæ Salomonis & allegoriæ &c. Fran. 1590 in quarto.

Ioh. DRUSII obſervationum ſacrarum libri XVI. ſecundâ curâ meliores. Franek. 94. in octavo. *Ad Ill. & Ampl. Ordines Generales.*

Ioh. DRUSII de Quæſitis per epiſt. Fran. 95 in oct. *Ad Ill. Ordines Hollandiæ & Zelandiæ.*

C. Ioh.

C S S. P. S. Celeberrimæ urbis Mittelburgi &c poſtremi duo dedicati ſunt, hic Thomæ Bicleo Epiſc. Ciceſtrenſi; ille Ieremiæ Baſtingio S. Theol. Doct.

Ioh. Drusii Lectiones in Prophetas Nahum, Habacuc, Sophoniam, Ioëlem, Ionam, Abdiam. Ejuſdem in Græcam editionem conjectanea, & interpretum veterum quæ extant Fragmenta. Leidæ 95. in octavo.

Ad R. V. Ioh. Withgiſtum Archiepiſcop. Cantuar.

ΣΟΦΙΑ ΣΕΙΡΑΧ ſive Eccleſiaſticus. Græcè ad exemplar Romanum, & Latinè ex interpretatione Ioh. Drusii Cum caſtigationibus ſive Notis ejuſdem. Fran. Anno 96 in quarto.

Conſulibus, Senatui, Secretarioque urbis Sneecanæ.

Proverbia Ben-Siræ authoris antiquiſſimi: Operâ Ioh. Drusii in latinam linguam converſa, ſcholiiſque aut potius commentario illuſtrata. Acceſſerunt Adagiorum Ebraicorum decuriæ aliquot nunquam antehac editæ. Fran. 97. in quarto.

Ad N. V. Manderpium Paſberg. Reg. Daniæ Conſiliarium &c.

I. Drusii in prophetam Hoſeam lectiones. Ejuſdem in Græcam editionem LXX Conjectanea, & veterum interpretum quæ extant Fragmenta. per Rapheleng. 99 in Octavo.

Ad Cl. V. Iacobum Baſilium Theolog.

Ioh. Drusii Quæſtionum Ebraicarum libri tres. In quibus innumera Scripturæ loca explicantur aut emendantur. Editio ſecunda melior & auctior. Fran. 99 in octavo.

S. P. Q. civitatis Bergopzomianæ.

Ioh. Drusii in prophetam Amos lectiones. Ejuſdem in Græcam editionem conjectanea, & veterum interpretum quæ extant Fragmenta per Rapheleng. 1600 in octavo.

Ad Ill. Vol-

Liber Haſmonæorum, qui vulgo prior Machabæorum,

rum, Græce ex editione Romana, & latine ex interpretatione Ioh. DRUSII. Cum notis ſive Commentario ejuſdem. Acceſſit diſputatio Alberici Gentilis Franek. 1600 in quarto.

...torum Provinc. Ordines Generales.

Tabulæ in Grammaticam Chaldaicam ad uſum juventutis per Ioh. DRUSIUM. Fran. 1602. in oct.

ad NN. VV. Vpconem a Burmania & Sixtum a Decama. Ordd. Friſ deputatos.

Ioh. DRUSII ELOHIM. ſive de nomine Dei Elohim ad Paulum Scovartum Buſanvallium &c. Fran. 1603 in octavo.

Ioh. DRUSII de Haſidæis quorum mentio in libris Machabæorum libellus. Ad Iohannem Wtenbogardum. Fran. 1603 in octavo.

Ioh. DRUSII Tetragrammaton, ſive de nomine Dei proprio, quod Tetragrammaton vocant. Fran. 1604 in octavo.

Ad Ill. Vnitarum Provinc. ordd. Gen.

Ioh. DRUSII reſponſio ad Serrarium Ieſuitam de tribus ſectis Iudæorum. Acceſſit Ioſephi Scaligeri elenchus Trihæreſii Nicol. Serrarij. Fran. 1605 in oct.

Ser. Principi Iacobo Mag. Britannia Regi &c.

Ioh. DRUSII ad Minerval Serarij reſp. Fran. in oct.

Nob. Viro Iohanni ab Olden. Barnevelt &c.

Sulpicij Severi Aquitani hiſtoria ſacra. Edente & emendante Ioh. DRUSIO. Cum Commentario libro ſive notis ejuſdem. Fran. 1607 in octavo.

Ad Ampl. Ordd. Friſiæ Deputatos.

Ioh. DRUSII Opuſcula, quæ ad Grammaticam ſpectant omnia in unum volumen compacta.

Ad Rev virum Gulielmum Torne Decanum Ciceſtrenſem &c.

Novemviris Ordd. Friſiæ Delegatis.

Grammatica linguæ ſanctæ nova in uſum Academiæ quæ eſt apud Friſios Occidentales.

Ad Cl. V. Thomam Bodlæum S. Reg. Angliæ Legatum etc.

Apophtegmata Ebræorum & Arabum ex Avoth R. Nathan, Ariſtea, libro ſelectarum margaritarum, & aliis auctoribus collecta, Latineque reddita cum brevibus Scholiis. per Ioh. DRUSIUM, editio altera melior & auctior. Fran. 1612 in quarto.

Ad Illuſtr. Ordines Provinciarum Fœderatarum &c.

Ioh. DRUSII Annotationum in totum Ieſu Chriſti Teſt. ſive præteritorum libri decem. In quibus præter alia conſenſus oſtenditur ſynagogæ Iſraëliticæ cum Eccleſia Chriſtiana. Fran. 1612 in quarto.

Gen. viro Gulielmo Langhton Th. D & præſidi Collegij Magdalenenſis.

I. Druſij Henoch, ſive de Patriarcha Henoch ejuſque raptu & libro, e quo Iudas Apoſtolus teſtimonium profert. Vbi & de libris in ſcriptura memoratis, qui nunc interciderunt. Fran. 1615 in quarto.

Illuſt. Provinciarum Fœderatarum Ordinibus Generalibus.

I. Druſij ad voces Ebraicas N. Teſt. commentarij duo. Prior videlicet & poſterior. Fran. 1616 in quarto.

Ejuſdem in N. Teſt. Annotationum pars altera. Fran. 1616 in quarto.

Eccum habes editorum catalogum Candide Lector, ſed præterea hic te ſcire velim, antedictorum nullum eſſe librum, qui poſtrema authoris cura non ſit factus melior aut auctior. Iam quî & qualiter D. DRUSIUS de ſe ipſo & de ſcriptis ſuis judicari petierit, ſcire deſideras?

ſave

ſave & audi. E multis tibi paucos locos ex editis ſuis excerpam, quippe multos in præſentiarum libros conſulere, inſpicere & evolvere mihi non conceditur, utpote occupationibus aliis jam (pro dolor) quam maxime diſtento. In libro ſuo de Haſidæis pag 22 D. DRUSIUS Ieſuitæ Serario in hunc modum reſpondet: *Vt hæreticus quis ſit duo requiruntur. Primum, ut erret in fundamentis fidei: Deinde ut errorem ſuum pertinacius tueatur. Tenuis mea ſcientia verſatur tota circa Grammaticam & Hiſtoriam (.v. ſacram.) Dogmata fidei aliis me doctioribus tractanda relinquo.* & paulo poſt: *Pertinacia facit hæreticum non ſimplex error. Nam humanum eſt errare. Humani autem a me nihil alienum ſcio. Monitus non ero pertinax nec unquam fui. Olim profeſſus ſum, quod nunc iterum repeto, me mea omnia ſubjicere judicio eccleſiæ &c.*

Idem in Tetragrammato ſuo pag. 81 ſcribens ad quendam Theologiæ candidatum, ſic inquit:

In poſtrema tua epiſtola ponis quæſtionem alienam a profeſſione meâ, ad quam reſpondere non poſſum niſi audire velim, ſutor ultra crepidam, aut Οὐτος ὑπὲρ τὸ σκάμμα πηδᾷ. *Quo me loco habeas neſcio: certe non ſum Theologus. An Grammatici nomen, quod aliquando mihi probroſe objectum, tueri poſſim neſcio. Amici quos noſti, negant, ego non contradicò. Quid igitur es, inquies? Chriſtianus ſum,* φιλαλήθης *ſum, qui ſcribendo proficio, & proficiendo ſcribo. &c.*

Idem in libro præteritorum pag 291. ad ea verba *primogenitus omnis creaturæ.* Poſt quædam præcedentia, ſic: *An ſicut Chriſtus dicitur* πρωτότοκος *ita etiam dici poſſet* πρῶτος κτισμὸς? *Et nego ita dici poſſe, niſi* κτισμὸς *accipiatur pro genitus. Huc referes,* initio viæ ſuę creavit me, *id eſt genuit. Pro quo in originali textu legitur,* acquiſivit ſive poſſedit

[illegible] *Ego me meáq; omnia* [illegible]

Et pag. [illegible] in eodem libro hæc modo:

[illegible] *non ledendi.* [illegible] *Si offendi pias aures,* [illegible] *monstrum ni-* [illegible] *ad judicium* [illegible] *a cujus recto* [illegible] *Sic mihi Deus fa-* [illegible]

Item in [illegible] Francisco sic præfatur in hæc verba.

[illegible] *ut & in aliis omni-* [illegible] *liberis Ecclesiæ* [illegible] *non ero per-* [illegible] *in exponendo* [illegible] *interpretatum est, ut ferè* [illegible] *qui hunc liber-* [illegible] &c.

Quæ vero [illegible] reliquerit, pu- [illegible] rogas? Æquus [illegible] adversus invidum [illegible] probare so- [illegible] curiosita- [illegible] quæ affecta & [illegible] doctore Deo [illegible] gene- [illegible] co- [illegible] re- [illegible] coram, [illegible] ationem, [illegible] sum ad

cor-

correctionem in puriore charta adſcripta ſunt, qualia ea, quæ proximum catalogum inſequuntur.

Scripta nondum edita.

IOh. DRVSII Annotationes in GENESIN. In quibus editiones tam antiquæ quam recentes examinantur, expenduntur, corriguntur. in Folio.

Hoc ſcriptum diviſum eſt in decem partes.

Vltima hujus operis verba propter certas cauſas deſcribere lubet, quæ ſi te latent lector tu ſaltem hinc diſce quomodo Reipub. literariæ ſtudioſiſſimus iſte DRUSIUS, a multis annis agitatus fuerit ab illis, qui nihil niſi Charitatem fraternumque amorem ſpirare; quique mundi lumina, terræque ſal dici debebant. *Abſoluta fuit hæc in Geneſin commentatio undecimo Aprilis ſtilo veteri Anno Chriſti 1602, quam aggreſſus eram biennio ante auſpiciis Illuſtrium Ordinum Generalium Provinciarum Fœderatarum, procurantibus hoc negotium Iohanne Wtenbogardo, Iacobo Arminio, Iacobo Baſelio, aliiſque verbi divini præconibus, non tam facundis quam doctis ac piis, veritatiſq; ac ſolidæ doctrinæ ſtudioſiſſimis. Deus illis & mihi largiatur; Illis præmium quale merentur, mihi otium & bonam valetudinem, ut poſſim in cæteros libros ſimilia præſtare. Quod futurum puto ex uſu Eccleſiæ Orthodoxæ, quam unice [illegible]ror, ut contra odi Eccleſiam errantium & imperitorum, quorum illi familiam ducunt qui me in hoc opere non ſemel turbarunt. Deus illis condonet, cui laus & gloria in ævum.*

I. DRVSII Annotationes in exodum, in fol.

Ejuſdem Annotationes in Leviticum. in Fol.

Tria hæc ſcripta, niſi me oculus vehementer fallit mi lector, duplo craſſiora ſunt quam univerſa Biblia vulgatæ editionis in folio folium complicantia.

Annotationes in Numeros.

Hoc opus non eſt abſolutum. Vel ut cautius loquar inventæ mihi tantum ſunt Annotatationes in XVIII capita priora. Reliquæ in reliqua Numerorum & totum Deuteronomium Annotationes ubi ſint, nondum mihi compertum. Bona autem ſpes me habet miſſas eſſe Hagam Comitis. Si fallor, vereor ne author denuo in hoc ſanctiſſimo opere turbatus fuerit.

Ioh. DRUSII ad loca difficiliora Geneſeos, Exodi, Levitici, Numerorum, Deuteronomij, Ioſuæ, Iudicum & Samuelis librorum Commentarij libri ſive Notæ. In quarto.

Hæc omnia conſcripſit author auſpicijs & ſumptibus Illuſtrium Præpotentiumque Ordinum Generalium Provinciarum unitarum, quos ſtatus Generales vocant.

Iobi nova verſio cum Scholijs, opera & ſtudio I. DRUSII.

Hoc opus eſt 198 foliorum & completum.

Ejuſdem in Coheleth ſive Eccleſiaſten Salomonis annotationes.

In Lamentationes Ieremiæ Commentarius ſive Notæ, accommodatæ ad traductionem veterem.

Interpretum veterum Græcorum quæ extant Fragmenta in

Geneſin.	
Exodum.	
Leviticum.	
Numeros.	
Deuteronomium.	
Ioſuam.	
Iudices.	
IV. libros Regum.	
Iob.	
Pſalmos.	
Proverbia.	
Cohelet.	
Canticum Cant.	
Ieſaiam.	
Ieremiam.	
Ezechielem.	
Danielem.	

Cum Notis I. DRVSII Aldenardenſis.

Ejuſdem ſupplementum ad Fragmenta Vet. Interpr. in Ieſaiam ex Procopio deſcriptum.

In verſionem quinquaginta quinq; priorum Pſalmorum Hieronymi ſcholia.

Proverbiorum Salomonis ex Ebræo tranſlatio nova cum Scholijs I. DRVSII.

Sententiæ Salomonis juxta ordinem Alphabeti per locos communes digeſtæ, Ebraicè & latinè, cum explicatione I. D.

Targum Cæci in Proverbia Salomonis, Ex Chaldæo in latinum ſermonem verſum operâ & ſtudio I. DRVSII.

Ejuſdem in Proverbia Salomonis commentarius liber.

Ejuſdem in Pſalmos Davidis varia; ſed nondum digeſta.

I. Druſij in Prophetas Micham, Aggæum, Zachariam & Malachiam Lectiones. Ejuſdemq́; in Græcam editionem conjectanea. Item interpretum veterum, quæ extant Fragmenta.

Orthographia Sacra, ſive de antiqua conſuetudine ſcribendi Ebraicè, græcè, & latinè nomina ſacra, hoc eſt ſacris literis contenta.

I. D. Nomenclator linguarum orientalium.

Interpretatio Nominum de Geneſi, juxta numerum literarum. I. Druſij in librum de nominibus Ebraicis caſtigationes.

Lexicon Syriacum Syriacis literis deſcriptum.

Idem de Dialectis Sacris.

Ejuſdem Cadmus, ſive de vocibus ex Oriente in Occidentem traductis.

Nomenclator Eliæ Levitæ juxta ordinem Alphabeticum vocum latinarum digeſtus, & Græcis dictionibus auctus a Ioh. DRVSIO *juniore. Acceſſit ad finem Cenſura Ioh. Druſij ſenioris in eundem, ad Doctiſſimum virum Gulielmum Thorne &c.*

Additamenta ad Arabum Apophtegmata.

I. Druſij ad Abulam * Sequuntur libri a D. Druſio quam plurimis additamentis

mentis aucti, adeo quoque, ut ſi recudendi eſſent cum additamentis iſtis à Druſio potius quam ab authoribus nomen tracturi eſſent. Qui viderunt hæc ſciunt me verum dicere.

Curiandrũ generum ſuum epiſtola. In quâ agitur de vehementia, quâ uſus fuit in epiſtola ſua ad Fratres Belgas Item Speculum Theologorũ Miſologorum ex Eraſmo.

Dictionarium Theologicum Ioh. Arquerij in fol.

Dictionarium Hebraicum Forſteri in fol.

Novi Teſt. Concordantiæ Græcæ Xyſti Betuleij in fol.

Rudimenta Ebrææ Linguæ Rodolphi Cevalerij.

Troporum, Schematum, idiomatumq́; communium liber Bartholomæo Weſthemero collectore.

Dictionarium Chaldaicum Munſteri.

Nomenclator Hadriani Iunij. Huic addidit D. Druſius Ebraica, Chaldaica & Syra ubi potuit.

Davidis Pſalmorum liber ad exemplar Complutenſe. Huic libro adſcripſit D. Druſius notas.

Grammatica Chaldaica & Syra Ioh. Merceri.

Profectionum Benjamini libellus ex Ebraico in Latinum ſermonem verſus per I. Druſium. Ejuſdemque Druſij in verſionem Ariæ Montani Cenſura.

Habes jam labores DRUSII mi Lector, publico commodo conſecratos, ex quibus facilè conjecturam

facere potes, quantum temporis otio, voluptatibus aut aliis id genus excercitiis, ad profeſſionem ſuam non pertinentibus, dare potuerit. Iam porro tibi quorundam ſed non omnium doctorum virorum nomina recenſebo, qui crebras ad Druſium literas dare ſolebant, quorumque epiſtolæ ab hæredibus aſſervabuntur, tam in honorem authorum quam ipſius defuncti Druſij.

Ægidius Burſius.
Albericus Gentilis.
Alexander Ratlo.
Alto Saxus.
Antonius Corranus.
Antonius Thyſius.
Arturus Lakus.
Bernhardus Faille.
B. Wulcanius. B. Fullenius.
Brouchtonus.
Caſpar Waſerus.
Carolus a Roorda.
Chriſtophorus Stickius.
Cunradus Rittershuſius.
Daniel de Dieu.
Dan. Heynſius.
D. Baudius.
D. Maximinus.
D. Meminus.
Eberhardus Mollerus.
Eberhardus Reidanus.
Edovardus Livelæus.
Eyzo Tiarda I. C.
Franciſcus Gomarus.
Franciſcus Meierus.
Franc. Raphelengius.
Fredericus Sandius.
Fred. Sylburgius.
Gellius ab Hillama.
Gellius Iongſtal.
Georgius Liſimannus.
Georg. Lyſander.
Gerardus Cæſarius.
Ger. Weſterman.
Gilpinus.
Gulielmus Barlo.
Gul. Coddæus.
G. Geldorpius.
G. Hartus.
G. Langton.
G. Teelingius.
G. Torne.
Hadrianus Saravia.
Henricus Horſtius.
Henr. Cæſarius.
Henr. Alting.
Hubertus Salignacus.
Hugo Donellus.
Iacobus Adamæus.
Iac. Aug. Thuanus.

Iac.

Iac. Arminius.
Iac. Baſelius.
Iac. Gruterus.
Iac. Ioh. Holmius.
Iac. Iunius.
Iac. Miggrodius.
Iac. Monavius.
Iac. Montanus.
Iac. Regius.
Ieremias Baſtingius.
Ioh. Althuſius.
Ioh. Bogermannus.
Ioh. Buxtorfius.
I. Calandrinus.
Ioh. Cantuar. Archiſpiſcopus.
I. Caſtollus.
I. Canutus.
I. Crucius.
I. Davinus.
I. de la Haye.
I. Gul. Stuckius.
I. Hyſenbachius.
I. Kuchlinus.
I. Lampadius.
I. Maſſelotius.
I. Matthyſius.
I. Molterus.
I. Meurſius.
Ioh. Piſcator.
I. Polyander.
I. Rainoldus.
I. R. Sturius.
I. Saeckma.
I. Taffin.
I. vander Beke.
I. Vrſinus Z. F.
I. Wtenbogardus.
I. Wtenhovius.
Ianus Gruterus.
Ioſephus Scaliger I.C.A.B.F.
Ioſias Mercerus.
Iſaacus Caſaubonus.
Iſaac Gronbeccius.
Iuſtus Lipſius.
Kempo a Donia.
Lago Chriſtianus.
Laurentius Humfredus.
Leonardus Caſenbrotius.
Lucas Pœnius.
Lucas Trelcatius.
Marcus Zuërius.
Matt. de Bovillon de Mongommeri.
Matt. Sladus.
Matt. Martinius.
Menſo Alting.
Moſes Carthaldus.
Nannius Foreſtus.
Nicolaus Mullerius.
Nicol. Simimgius.
Nicol. Sturio.
Pancratius Caſtricomius.
Paulus Merula.
Paulus Scovartus Buzanvallius.

Paul. Tarnovius.
Petrus Cunæus.
Petrus Pappus.
Petrus Molinæus.
Pet. Moræus.
Petrus Petrejus.
Pet. Regemorterus.
P. Vekemannus.
Phil. Morneus Pleſſæus.
Phil. Mar. S. Aldegondius.
Richardus Daijus.
R. Stainihurſt.
R. Thomſon.
R. Horæus
Rodolph. Winvvood.
R. Wichringius.
Sebaſtianus Damnan.
Sibrandus Siccama I. C.
Stephanus Vbeli.
Stickius.
Theodorus Beza.
Theod. Canterus.
Thomas Bicleij.
Thom. Bodeleij.
Thom. Carthurightus.
Thom. Erpenius.
Thom. Ciceſtreij.
T. Herbaius I. C.
Th. Morton.
Tobias Rivius.
Villerius.
Wernerus Helmichius.
Wilhelmus Baudartius.

A prædictis his Cl. viris ſcriptæ habentur & apud me aſſervantur epiſtolarum centuriæ Sedecim.

EGO pergo. Reſtant mihi duo candide Lector, quæ ubi abſolvero meo more, id eſt, ruditer, miſſum te faciam, tibique pro patientia tua, quâ hæc legendo uſus es, gratias agam quas poſſum maximas, tuamque humanitatem qua poſſum animi dimiſſione rogabo obteſtaborque, hæc omnia qualiacunque ſunt, ut in optimam partem interpretari velis. Horum unum eſt, ut quî & qualiter de D. Druſio ſenſerint viri docti, tibi digito monſtrem: Alterum ut quomodo & quando D. Druſius hinc in cœlum migraverit te quoque edoceam. Ad primum quod attinet, hîc ſe encomiorum DRUSII aperit

aperit maximus ampliſſimuſque campus, quem ſi ingredi animus eſſet, ne hæc delineatio in magnæ molis excreſceret librum. Etenim, quis libellus omnes iſtas epiſtolas capere poſſet, quæ à prædictis viris Doctis ad Druſium datæ ſunt, ut de aliis, quorum nomina adhuc conticui, taceam? Sed ut ego ſemel manum de hac tabula, conſultiſſimum videtur, te ad editos Doctorum libros remittere, qui noſtro tempore in politiore literatura excelluere; ſi unius tantum Theologi, ſed qui citra controverſiam præſtantiſſimus habetur, teſtimonium de D. Druſio tibi communicavero. Sic ergo Theodorus Beza de D. Druſio in annotationibus ſuis majoribus ad N. Teſt. ſcribit.

In Præfatione ad Lectorem: *Admonuit me etiam de non paucis Ioh. DRVSIVS, vir certè magnam diligentiæ & eruditionis laudem plurimis editis tractatibus meritò conſecutus.*

Matth. 5. 22. in Raca. *Quod Ioh. Druſio diligenti rerum in his libris multarum obſervatori acceptum fero.*

Matth. 19, 24. in Camelus. *Sed de elephanto, cujus loco Chriſtus camelum ut animal Syriæ notius ſubſtituit, conjecit vir diligentiſſimus DRVSIVS.*

Matth. 22, 16. in Herodiani. *Quam ſententiam videtur confirmare, quod I. Druſius homo in his perſcrutandis eruditus, & ſummè diligens, citat ex Lexico* &c.

Ioh. 11, 54. in Ephrem. *Et vir reconditæ doctrinæ Ioh. Druſius annotat ſæpe ſolitos ſcribere veteres η pro αι.*

2. Theſſ. 3, 10. *Hoc autem eſſe Hebræum proverbium obſervavit homo diligentiſſimus I. Druſius.*

1. Petr. 2, 9. *Vel potius Malach. 3, 17. ubi Græci interpretes habent εἰς περιποίησιν, ut Ioh. Druſius diligenter obſervavit.*

Matt. 14. 25. *Et obſervavit Ioh. Druſius, ſæpe a me & quidem merito in his libris appellatus.*

1. Cor. 1 20. *Ioh.* DRUSIUS *quem honoris cauſa nomino, vir pereruditus & diligentiſſimus, rerum in his libris non vulgarium obſervator, putat. &c.*

Append. in Euang. Matt. cap. 3. verſ. 7. *Ego malo aſſentiri Ioſepho libr. antiq. 4. cap. 29, & DRUSIO in Ebraïs ſcriptoribus excercitatiſſimo. &c.*

Plura non addam Doctorum virorum de DRUSIO teſtimonia, ne invidos iſtos & ad maledicendum natos crabrones excitare velle videri poſſim; licet mihi in promptu ſint Ioſ. Scaligeri, & Caſauboni nec non Petri Fabri I. C. Clar. præſidis Tholoſani, literarum quondam Principum, ſicut & Ioh. Piſcatoris, Theologorum hodiernorum, & commentatorum in Sacros libros primarij, preceptoris mei Chariſſimi, ſicut & aliorum: Et quid juvet? Sed hîc incidit illud: An non dicendus fuerit D. Druſius dum viveret omnium feliciſſimus, qui tam gratum amplumque laborum ſuorum fructum, tum a publicis tum a privatis perſonis perſentiſceret, & experiretur? Ad hoc quæſo audi ipſiſſimum Druſium, ad amicos duos in hunc modum ſcribentem. Ioh. DRUSIUS N. N. ſal. *Turbones noſtri nunc quieſcunt, aut pudet eos præteritorum, aut expectant occaſionem novam. Mihi quidem multis de cauſis quies non ſolum optatiſſima eſt, ſed etiam neceſſaria. Sed ſi hanc perſonam Deus humanæ fabulæ choragus mihi impoſuit, partes delegatas oportet agam. In hâc harenâ mihi video moriendum eſſe.* (Prophetane fuiſti mi pater?) *Nam ut vivi iſti quieſcant nihil eſt ſpei. In eo toti ſunt ut me aut latronibus objiciant*, aut mœrore confectum occidant. Sed hactenus gratiâ Dei, nec animum a ſuo propoſito labefactare potuerunt, nec ſtudiis

meis

meis ita multum detrimenti intulere. Conſolatur me primùm conſcientia rectè factorum, deinde favor eruditorum & bonorum virorum, quos hactenus æquiſſimos habui erga labores meos. Quod partim literis, partim donis ac muneribus declararunt. Solatur me & Auguſtini illud: Domine hîc ure, hîc ſeca, ut parcas in æternum. Eſt aliquid lapidis probari, & ſic conformem fieri imagini ejus, qui cum eſſet agnus ipſa puritate purior, tamen audivit, vini potor, blaſphemus &c. Quis unquam in ſole ambulavit abſq́ umbra, quis inſignem virtutem exercuit ſine invidiâ? quis bonas literas profeſſus eſt cum aliquâ famâ, abſq́ odio Theologorum? Capnio, Eraſmus, Arias, Hieronymus experti ſunt. Hunc poſtremum Romà expulſum, cum Bethlehemi in tuguriolo degeret, ne ſic quidem latentem effugit invidia. Ex priſcis ſapientibus quidam interrogatus quid ageret? Nihil inquit, nondum enim mihi invidetur. Regium eſt, cum benefeceris audire malè, inquit ille. Et profectò ita eſt, Induſtria parit virtutem, virtus gloriam, gloria invidiam, qui morbus ferè peculiaris eſt iis, qui alioqui pietatem *profitentur, cum nihil ſit alienius a verà pietate. Obrepit enim hæc peſtis pietatis imagine, dum videri vult vitiorum odium, ac virtutis zelus. Quid autem illi commodi ſperent ex perpetuis turbis neſcio, niſi fortè illud*, Bello nobilitari viros, & quos quies obſcurat tumultus illuſtrare. Scite quidam de quodam:

Cernis ut egregiis alios clareſcere ſcriptis
Tu quoque vis famæ conſuluiſſe tuæ.
Dumque alii libros cudunt, tu mente tumultus
Cudis, & hoc ſpecie relligionis agis.

Sed deſino, quia me charta deficit. Vale noſq́ ama, & aliquando inviſe. Prid. Cal. Ianu. Anno, 1599.

Ioh. Druſius. Pancratio Caſtricomio S.

Bonus Deus ita res hominum temperat, ut lætis triſtibus

ſemper miſceas. Tantum hæc. Etiam amicos excitat ei, qui multos habet inimicos. Hoc poſtremum experior in te Clariſſime Pancrati, qui in pecuniis illa obtinendis mihi amicus fuiſti fidus ac certus. Quam gratiam tibi hoc nomine referam? Iam nunc experior verum eſſe illud: homo homini Deus: Sed & alij me docuerunt verum eſſe, homo homini lupus. Per eos injecta rumora de qua ſcribis. Sparſerunt de me rumorem vaniſſimum, ſummo eſt me alienum eſſe ab hac religione. *Quid dicam? Poſt natam calumniam non fuit unquam major calumnia. Egone alienus a religione, cujus cauſa pater meus p. m. amiſit annuum ex octodecim millia florenorum? Quidni autem cum libros Londini una mecum haberem pene ſit, libras Flandricas, quæ majorem valent, mille quingentas. Ex illis mille quadringentas impendit in cauſam publicam. Princeps Auraicus partem accepit, aliam Ordines Hollandiæ & Zelandiæ, tertiam pauperes, qui religionis ergo in Angliam confugerant. Cæteram quæ reſtabant poſtliminio reverſus retuli domum. Quod dico vere verius eſt. Idem proprijs ſumptibus me aluit in ſtudiis. A publico nihil unquam accepi. Quum profeſſorem agerem Leidæ, ſtipendium erat mihi parvum; at coactus fueram ex meo impendere quotannis trecentos, aliquando quadringentos. Habebam in Flandria reditus non pœnitendos, quibus frui poſſem ſi eſſem in patria. Quorſum iſta inquies? Nempe ut ſcias vanum eſſe quod æmuli mei ſparſerunt, qui omnes ſimul tantam jacturam non fecerunt, quantam ego ſolus feci, quos hæc religio divites, ut me pauperem fecit, quem nunc contemnunt propterea, optimè de ipſis meritum. Ceterum tantam experior hominum ingratitudinem, ut propemodum in animo ſit, edita prole Machabæorum poſt hac quieſcere, &c.* Vale VI. Febr. 1600. Quid ad hæc mi Lector? Eſtne hoc viris doctis calcaria addere? O quanto ſanctius Beza, Piſcator,

Scali-

Scaliger, Caſaubonus, Aldegondius, Buxtorfius, aliiq; ex magna Britannia & Dania Theologi cum Druſio egere! Sed hæc mitto, ſciens in hoc mundo ab omni parte beatum nihil eſſe. Alij viri pij idem & majora quoque experti ſunt. Nunc ventum eſt niſi lector, ad morbum & mortem Do. Druſij, de quibus multa dici poſſent, ſicut & de iis quæ ipſi præter propter mortem obtigere, ſi ſcriptu jucunda eſſent, ſed quantum ad me, ego hæc omnia non attingere, quam paucis, & cum lachrymis & cum periculo (prout hæc tempora ſunt) delibare malo. Morbus ipſi fuit neque acutus neque longus, & abſque ullo dolore. Ad extremum uſque vitæ momentum non ſolum mentis compos erat, verum etiam viſu & auditu, per ſingularem Dei gratiam, fruebatur. Nihil omnium facultatum ipſi deeſſe videbatur, præter linguæ uſum. Nam circa ultimum vitæ finem vox deficere incipit. Quapropter cum ego cum uxore, per multa pericula, propter varium turbidumq; hiemale coelum, circa quartam horam veſpertinam duodecimi diei Februarij Leovardia Franekeram ad ſocerum venio, nihil ille vir pius nobis facere, niſi porrecta manu dextra adventum gratulari, quomodo & quibus mediis ad ſe venire potuerimus, interrogare, lachrymulam ex oculorum altero emittere, & tandem difficili voce dicere, prout ego me admota aure intelligere putabam: Sequere conſilium Domini de Vernou. Deſignare volebat bonus iſte vir Magnificum, Majorum gloria ſuaque virtute Nobiliſſimum virum Do. Fredericum de Vernou, hoc tempore Ordinum Generalium Conſiliarium, qui aſcenſum paranti Druſio, cum aliquot profeſſoribus, paſtoribus & ſtudioſis ad extremum uſque halitum aderat, & cui una cum D. Arno-

paco, pridie diſceſſus ſui, Teſtamenti ſui executionem reverenter commiſerat. Plura nobis ob ſerum adventum noſtrum, ex chariſs. patre & ſocero intelligere verba non licuit, & de pluribus interrogare præ lachrimis nequimus. Vbi vir bonus ſe ægre audiri & intelligi videndo animadvertit, incredibile creditu ſed tamen vero verius eſt, caput ipſe ſuum reclinat in manum dextram, ſeſeque jam ad meditationes altiores compoſuiſſe videbatur. Oculi aperti ſunt & lumina clara. Et ecce fallit aſtantes. Nam videbatur adeſſe, & aliquandiu manſurus, cum jam anima deſeruiſſet corpus, & locum iſtum beatorum petiviſſet. Benedictum ſit nomen Domini, qui tam placide, etiam non animadvertentibus circumſtantibus, ſocerum, quid dico, patrem meum ex hac lachrymarum, invidiæ, & calumniarum valle ad ſe traduxit. Benedictus ſit Deus in omnia ſecula. Vt vero ſcias, amice lector, quibus uſus fuerit verbis Dominus Druſius ante adventum meum, habe epiſtolam hanc, quam ad me hiſce diebus hac de re ſcripſit Theologus præſt. Eccleſiæque Franekeranæ Paſtor vigilantiſſimus, D. Rodolph. Artopæus, qui ſic: *Salus a ſoſpitatore. Petis a me, V. S. noviſſima verba ſoceri tui piæ beatæque memoriæ D. I. Druſij, ut perſcribam, quæ utinam omnia audiviſſem. Ipſe enim ut* γραμματεὺς μαθητευθεὶς εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν ἐκ τοῦ θησαυροῦ αὐτοῦ καινὰ καὶ παλαιὰ, *bona tamen omnia & ſalutaria proferebat. Cum primo ipſum accederem, inveni aſtantem lecto virum Nob. qui nunc fæderatas provincias conſilijs, domi militiaque una regit, D. Fredericum de Vernon, quærentibus quomodo valeret, hilari animo, ſed difficili ſono reſpondit ſe bene admodum valere, & nullos per totum corpus ſentire dolores, ſed omnem cibi appetitum periiſſe; cui cum nos medicum & cibum animarum*

I. Chri-

ſ. Chriſtum proponeremus, conſtanter aſſeruit, ſe ſive viveret ſive moreretur, hunc corde fideli amplecti ſuum Salvatorem unicum, hunc verum Deum & hominem, Mediatorem Dei & hominum ſe agnoſcere & expectare. Quaeſitus de pacatâ conſcientia, reſpondit ſe tranquillo eſſe animo, & depoſuiſſe omnes ex corde inimicitias & ſimultates, nec ullum reſidere rancorem in pectore contra quempiam. Atq; ita teſtatus eſt, ſe fidem & bonam conſcientiam in certaminibus variis hujus vitae ſervaſſe, & ad repoſitam in caelis coronam aſpirare. De piâ curâ in viduam, & liberos, & in pauperes Eccleſiae ipſi documenta vidiſtis. Paulo antè mortem cùm caeleſtis iſtius civitatis Ieruſalem injiceretur mentio, aſtantibus praedictis Nob. Veruon, D. Andrea a Roorda Philoſ. profeſſore, & D. Henrico Beilano collega meo, haeſitante lingua, atq; adeo titubante ut vix intelligi poſſit, quamobrem & ego propius aures admovi, haec protulit: De civitate Ieruſalem legitur, quod in duas partes fuerit diviſa. In ſuperiorem & inferiorem. Superiorem, in qua mons Zion, & Moria, templum ſanctum, & arx Regia, incolebant tribus Levitica vel Sacerdotes, & familia Regis. Inferiorem populus, qui ad ſacra palatia aſcendebat: innuebat vir pius hac umbra nobis delineari duplicem Eccleſiae (quae eſt vera Ieruſalem & omnium noſtrum mater.) Statum. n. nos hîc in terrarum valle vivere in regno gratiae, ſed aſcenſuros nos, quos fecit Chriſtus ſacerdotes & reges, aliquando in Ieruſalem ſuperiorem ἐπουράνιον ubi πολίτευμα noſtrum & fixa ſedes. Has tam pias meditationes habuit pium iſtud pectus in agone, hiſce occupatus placidè, ut vidiſtis, animam efflavit. Fixit Deus ut & nos ſepoſitis curis hujus ſeculi & carnis affectibus haec aſſiduo cogitemus, det nobis ut fidem & bonam conſcientiam ſervantes placide in domino obdormiamus. Vale V. S. Franicae 1616. Duodecimo ergo Februarij, ſtilo veteri

D. DRUSII huic ærumnarum cœno valedicit, horâ poſt meridiem quarta; cumque omnibus ſanctis gaudiis iſtis cœleſtibus fruitur. Octavo poſt die honorificentiſſimè cadaver ſepelitur, ad funus concomitantibus non ſolum quarumlibet facultatum Profeſſoribus & ſtudioſis, verum etiam Magiſtratu, Senatu Eccleſiaſtico, & penè civibus omnibus, quot urbs Franekera in ambitu ſuo continebat. Commiſſo terræ gremio D. Druſij corpore in templo majore, pompa ad templum Academicum ducitur, ubi ex decreto Senatus Academici, Nobiliſſimus pariter & Doctiſſimus vir, D. Ioh. Maccovius S. Theol. Doctor & Profeſſor Ordinarius cathedram aſcendit inque laudem DRUSII, qui ultra XXXX. annos, tum in Anglia, tum in Hollandiâ, ſed maximam partem in Friſiâ, linguas Ebræam, Chaldæam & Syram publice docuerat, admodum eleganter perorat. Faxit Deus ut illam aliquando in lucem emiſſam videre & legere liceat. Huic Deo, Patri, Filio, & ſpiritui S. ſit gloria in ſeculorum ſecula. Amen.

Varia variorum doctorum virorum Epicedia In obitum & laudem DOMINI DRUSII.

In obitum Viri Clariſſimi, IOHANNIS DRUSII SS. Literarum, & Ebrææ Linguæ Profeſſoris celeberrimi.

Vincere ſi rigidam poſſet Sapientia mortem,
Vincere ſi virtus, vincere ſi Pietas

Vix-

Vixiſſes Druſi, pietate coacta fuiſſet
Et virtute tuâ parcere Parca tibi.
Sed quia nulla poteſt ſapientia, nullaq; virtus
Vincere quæ cunctos ferrea fata manent:
Expleſti numerum vitæ, terraq; relictâ
Carpis cœleſtis gaudia Ieruſalem.
Aſt manet in terris rutilans tua fama ſuperſtes,
Fama tua haud ullo diminuenda die.

Mœrens ponebam
IOHANNES MAKOWSKY, S. Theol.
D. Profeſſor in Acad. Franekeranâ.

Dis manibus viri Clariſſimi,
Et dum viveret eruditiſſimi ac celeberrimi,
D. IOHANNIS DRUSII,
Linguæ Sacræ Profeſſoris.

QVi priſcos ritus, qui mores gentis Iudæ
Norat, & haud ulli ceſſerat ingenio,
Qui doctus Latiæ, Graiæq; & quotquot ab Ortu
Linguæ unquam notæ Druſius unus erat.
Aſt idem, haud alius quo vatum oracula nuper
Terſius explicuit, conditur hoc tumulo.

P.M.P. PAULUS BUSIUS IC. & PROFESS.

Ἐνθάδε Δρυσιάδης κεῖται μέγα φέγγος Ἀθηνῶν
Φρισιακῶν, γαίης Φλανδρείδος ἐκγεγαώς.
Ὃς γλώττης ἁγίης ἐξαίρετος ἦν μεταφράστης,
Βιβλία συγγράψας πολλά τε, καὶ ἐλλόγιμα,
Καὶ σχολίοις, οὐ μὴν σκολιοῖς, πινυτοῖσι δὲ μᾶλλον,
Πᾶσαν τὴν ἁγίην ἐξεπόνησε γραφήν.
Ἔργον ἀμώμητον τάχα μή, ἀτὰρ ὅττι ἀμιμητόν
Ἐστὶ καὶ φθονεροῖς, καὶ ποτὲ δοξοσόφοις.

Collega Collegæ. [illegible]

P. S. ARCERIVS.

EPITAPHIUM
Clariſſimę memoriæ
IOHANNIS CL. DRVSII.

Maximus exiguo tegitur ſub marmore DRVSVS,
Si tamen Heroës marmoris urna tegit,
DRVSIVS HAEBRAEAE *vindex & gloria* LINGVAE,
Per quem obſcura minus Pagina Sacra fuit.
Pignore quo tantum FRANEKERA *culta ſuperbit*
Quantum SCHALIGERO LEIDA *diſerta ſuo.*
Qui vita ſacer & fama quà circuit Orbem,
Dum ſtudium & pietas creſcere poſſe negant,
Creſcere quo poſſet cælum reſtabat avitum,
Cœlum adit, & patrio ſtella recepta polo eſt.
Filia [illegible]
Hic cineres poſuit: cætera fama tenet.

Aliud

ALIVD.

Hoc cineres DRVSI conduntur & oſſa Sepulchro,
Et devicta ſimul conditur INVIDIA.
Invidia à teneris puerum quæ exercuit annis,
Inq; virum vires fregit iniqua ſuas,
Inq; ſenem rabidas quam non ulciſcier iras
Maluit, & Druſo cum moriente mori.
Plaudant Laurigeri, plaudat pia turba Sophorum,
Nec timeant ſcriptis livida tela ſuis.
DRVSIVM in effœtâ domuit fera parca ſenectâ,
Effœtam domuit DRVSIVS INVIDIAM.

S. SICCAMA L. M. Q. P.

Reverendo & celeberrimo viro, D. IOH. DRVSIO Ebraïcantium ſui ſæculi Principi.

IAm fere luſtra novem cupidò te doctior orbis
Fructus erat, venerande Senex, totidemque juventus,
Cui meliore luto formarat pectora Titan,
Publica cottidie ſcandentem anabathra Cathedræ
Te audierat, jam Numen eras & lumen in orbe.
Ob tua communis minime monumenta monetæ
SCALIGER egregiis Heroïbus annumerandus,
BEZA, CASAUBONIUS, RAINOLDUS, maxima mundi
Lumina te perſæpe ſuum agnovere magiſtrum.
Cottidie illicio tam clari nominis & tam
Lativagæ famæ extremis veniebat ab oris
Docta juventa, atque illa tuo pendebat ab ore.

Præterea reſtabat adhuc Golophæca laboris
Addere, quem non quibit edax abolere vetuſtas. [illegible]
Siccine nunc, heu, nunc, calamum cœptamq; [illegible]
Appendis venerande Pater, Spartamque tot annos
Ornatam cum laude liberis ſine [illegible] linquis?
Siccine dum veneranda fovet me Oxonia Mater,
Dumque inter toto diviſos orbe Britannos
Verſor, dum rurſus charam mihi tangere dextram
Geſtio, dumque redux opto te amplectier ulnis,
Me linquis, numeròque mihi tu lampada tradis?
Hei mihi fata Dei flecti haud potuiſſe precando!
Tu felix DRUSI, meliori in ſede repoſte,
Sed me leſſus habet mentiſque expectorat uſum;
Solarerne alios? mihimet ſolatia deſunt.
Obmuteſco igitur luctuque ſilente recondor.
Sic mihi jam ſalve pater optime vel privatis,
Nominibus mihi chare, beataq; gaudia carpe.
Vel levipes citius paſcetur in aëre cervus,
Ante tui quam unquam ſubeant oblivia pectus
Hoc niveum, aut meritæ pietatis jura reſolvam.

Præceptori, hoſpiti, Patrono, patri, Prædeceſſori;
æviternum colendo mœſtus poſuit.

SIXTINVS AB AMAMA Friſius.

Ex

Ex Epicediis Cl. V. RICHARDI LUBBÆI Scholæ Bergizomiæ Rectoris ad D. RODOLPHUM ARTOPÆUM Eccleſiæ Franekeranæ paſtorem vigilantiſſimum,

In obitum Clariſſimi doctiſſimiq́ viri,

D. IANI DRUSII conſcriptis:

Epitaphia & Epigrammata ejuſdem authoris.

Τύμβῳ ὑπὸ χρυσῷ πολέες κατακείαται ἄνδρες.
Δρούσιος ἐλλογίμων κεῖται ὑπὸ κραδίῃσι.
Δρουσιάδην οὐ πάντα μένος θανάτοιο δάμασσε.
Ἀνδρῶν τοῦ φήμη ζήσεται ἐν στόμασιν.
Ἐνθάδε Δρουσιάδεω τάφος ἐστίν. ἀείσεται ἀλλὰ
κείνου ὅλῳ κόσμῳ τὸ κλέος ἀθάνατον.
Τύμβος ὅδε σμικρὸς τὰ Δρουσιάδαο καλύπτει
Σῶμα. Δόμος ψυχὴν οὐράνιος κατέχει.
Φρισιακῆς φέγγος κατέκρυψεν ἑωσφόρος αἴης.
Τίπτ' ἀγαάσθε, σκότος φρίσσονας ὅττι σκέπει;

Apoſtrophe ſtudioſorum Franequerenſium ad mortem, per argumentum Diſſentaneorum &c.

INimica nobis, Mors, amica Druſio,
Ad ſplendidum cæli recluſiſti thronum
Viam viro, quo ſecutum haud dignum fuit
Noſtrum, boni præſentis haud capax. Dei
Benignitas quos extulit faſtigium
Ad ſummum honoris, hos gravis livor premit
Vitâ fruentes; falce ſucciſos tuâ,
Boniſq́ cœli divites deſiderat
Perſæpe (fruſtrà, heu!) queſtibus lugubribus.

Reſpondet Druſius:

PVbes mœſta tuæ modum
  Tandem conſtituas triſtitiæ, rogo.
Ventis celſior invidæ
  Turbæ, & triſtitiæ nubibus incolo
Chriſti ſideream domum:
  Quam longe antefero divitiis Attali
Gazis, atque adeò omnibus,
  In mundo quę homines ſupiciunt, bonis.
Hunc contingere ſtrenue
  Portum annitimini per mare turbidum, &
Cæcis ſyrtibus horridum
  Mundi hujus: Domini larga benignitas
Vobis mox dabit alterum,
  Qui vos inſtituat ſollicite & bene.
Huncaudite fideliter:
  Huic præſtate animos morigeros. Deus
Cæptis perpetuò ſuâ
  Sic veſtris aderit munificentiâ.

Alia apoſtrophe eorundem ad Druſium vita functum.

EXtinctus jaceas licet,
Druſi, triſtifica ſatur-
Vita annis: lachrymabile
Eſt funus tamen (heu!) tuum
Nobis, pectoris Enthei
Quos vis ad ſenij ultimam
Metam inſtruxit alacriter.
Hinc nobis properè eſt nimis
Viſa immota tibi Atropos
Vita abrumpere ſtamina.

Reſpondet pro defuncto Theologus juxtà ac Philoſophus ſummus D. Ioh. Maccovius &c.

ÆTerno ab ævo provida mens Dei
  Determinavit cuique homini ſuæ

Vitæ

Vitæ modum, tranſire nullus
Quem potuit, poteritve, moles
Mundi triformis dum ſteterit. Dei
Hac lege certa atque irrevocabili
Vitale lumen liquit acti
Druſius ingenio celebris,
Caſca fide & virtute, ſcientia &
Cultu bonarum multiplici artium.
Sic fata priſcorum explicanda:
Sic veterum accipitote parcas.

Proſopopœia Iudæi inſultantis mortuo.

Nunc ſoles redeunt ſereniores:
Nunc curæ valeant ſeveriores.
Somnus ferreus urget illi ocellos,
Qui noſtras toties ſtrophas doloſas,
Et perplexa ſophiſmata expedità
Mentis dexteritate ſic refellit;
Rabbinos ut ei celebriores
Oggannire puderet impudenter.
Noſtram militiam prius ſecutos
Non paucos bene diſſerendo (cur, quod
Eſt verum, renuam piè fateri?)
Ieſu traxit ad arma Nazareni.
Mærore ergo gravi procul remoto,
Vitam quin agimus ſuaviorem?

Reſpondet Iudæo Druſius.

Falce mortis me perempto, gaudij quidem tibi,
Contumax Iudæe, cauſa eſt haud levis relicta: ſed
Ne canas, vide, triumphos ante, quam victoriâ
Sis potitus. En, ſuperſunt arte noſtrâ plurimæ

Optime inſtructæ cohortes, haud volentes vincere
Te moſque, fœde Apella. Pone gaudio modum.

Ioſephus Scaliger cœleſti gaudio fruens Druſio adventum gratulatur.

TVnc tranquillas etiam petiſti
Cælitum ſedes, Domino vocante,
Sede Livoris Stygij relictâ,
Maxime Druſi?
Gratulor, tandem tua vela tuto
Conſpici in portu, maris & viarum
Teque jam laſſum pede rus paternum
Tangere fauſto.
Cor tuo cum Scaligero perennis
Vita aqua firma, latere ex aperto
Quæ fluit Chriſti, redimitque Phœbi
Tempora fronde.
Dextera palmam, tibi Chriſtus offert
Quam lubens, prompta cape: cum beatis
Incolis cæli celebra perenni
Carmine Chriſtum.

ΑΝΑΚΛΗΤΙΚΩΝ

Epicediorum, Lamentorum, Threnorum, & Lachrymarum de morte DRUSIANA, Quo captus

Viri incomparabilis, hujus ſeculi Phœnicis,
D. IOHANNIS DRUSII

Vita

VITA,
VICTORIA, ET IMMORTALITAS.

Cum Anagrammate:

IOANNES CLEMENS DRVSIVS

Mens Donis Clarens vives.

A D.

Doctiſs. ABELVM CVRIANDRVM P. M. D. D. GENERVM.

VEnerat ut rigidi nobis prænuntia fati
Fama, quod ingrato Socerum ó dolor abſtulit orbi
Nuper, Abele, tuum; cum iam inter ſidera manes
Exierant magni defuncto corpore Druſî:
Noſtra dat extemplò lachrymas, ſecumque gemiſcens
Muſa diu, extinctum præſtantem Heroa, decuſque
Heu dolet, atque iterum dolet. Et lugubria poſtquàm
Melpomenes induta fuit, quæ triſtia cantu
Flere ſolet tragico, celebres meditatur Iambos,
Aut Elegos mœſtos, ut lamentabile Druſî
Funus, & infauſtam tantâ de morte Lycæi
Friſiaci ſortem funebri carmine plangat.
Quippe alias toto norat ſimul orbe Camœnas
Cultorem lugere ſuum, ſacraſque, profanaſque,
Et Syrias, & Chaldæas, & Græcia quotquot
Nutriit, & Latio quæ ſunt ſermone celebres:
Quas imitata ſuas etiam mea Muſa querelas
Cœperat, atque aliquem invitè componere Threnum.
Phœbus adeſt, prohibetque genus lugubre, modumque
Carminis ulterius deducere. Verſibus, inquit,
Dicier Herois debet clariſſimus Heros.
Et jubet, ut celebrem tanquam in Solennibus inter

Lætiſi-

Lætificas Epulas, aut conſeſſos Hymenæos
Induat illa togam, luctuſque oblita prioris
Cincta triumphali monſtret ſua tempora lauro.
Vivit enim quem fletis, ait, nec mortuus unquam
Ille fuit, mortem dudum ſuperavit, & omnes,
Quos dedit hæc ætas ſatis æmula comminus hoſtes.
Eſt aliquid, quod jam vitâ, pariterque moleſto
Munere defunctum, variiſque laboribus, inter
Oſſa jacet corpus, cinereſque exangue repoſtum
Heu tumulo. Hoc illi ſomnus placidiſſimus, illi
Hoc jucunda quies, ærumnarumque levamen.
Spiritus interea ſuperæ novus incola ſedis
Pars melior Druſi vivit, ſolatia cœli
Magna videns; & tot delectamenta piorum
Angelicos inter cœtus, animaſque beatas.
Vivit honos, nomenque illuſtre, & neſcia fati
Fama viri, vivunt tot Scripta, librique perennes,
Quos legit Heſperiæ populus, quos Gallus, & Anglus,
Belgaque, Germanuſque ſimul miratur, & idem
Quos quoties legit & miratur, ad aurea tollit
Sidera, vel tacito perſolvit pectore grates.
Tantus honos noſtri, tanta eſt reverentia Druſi.
Ergo illum lætis jam nunc celebrare Camœnis
Fert animus: nec enim decet inter gaudia Druſi,
Quodque ſuo dudum peperit ſudore triophæum,
Teque tuoſque meis incendere, meque querelis;
Sat Socero, ſat, Abele, datum, patrioque Lycæo;
Sat ſtudioſa cohors, ſi quæ ſolamina captant
Inde pii manes, & noſtra negotia curant,
Lamentata ſuum Ductorem, atque antea quotquot
Invida poſt alios alios rapuere ſub umbras
Fata viros multa inſignes pietate, ſat idem.

Incaſ-

Incaſſum toties dolor eſt renovatus & angor.
Haud aliter viſum ſuperis. Manet omne per ævum
Sors eadem cunctis, agiturque immitibus, Eheu,
Doctus & indoctus nullo diſcrimine Parcis.
At nos Latoidis memores, ubi preſſimus alto
Triſtitiam luctusque animo, tibique maxime Druſi
Latoidis lætum canimus Pæana, tuiſque
Nominibus noſtræ gaudent ſe dedere Muſæ,
Si tamen indigeant noſtris tua nomina Muſis
Inclyta, quæ varios mundi peragrantia tractus
Docta per ora virum volitant; Quæ Gallus, & Anglus,
Belgaque Germanuſque ſimul veneratur & omnes
Longius aut proprius ſtudij melioris amantes.
Sic tua jamdudum pietas, doctrina; tuumque
Ingenium meruit, quo non fœlicius nullum
Volvere tot libros veterum, atque inquirere cauſas
Tot rerum occultas, & linguis addere linguas.
Sic tua MENS meruit, qua tot jam abſcondita ſæclis
Scire Paleſtinæ poteras myſteria linguæ,
Codicis & poteras nobis penetralia ſacri
Pandere, & arcanum duplicis reſerare Sionis.
O quam te memorem! ò MENS ſolertiſſima, Divum
Interpres, DONIS CLARENS illuſtribus, inter
Angelicas VIVIS cœleſti in ſede cohortes,
Nullum ubi diſcendi ſtudium, menteſque fatigat
Cura; nec obliquis deturbat gaudia Livor,
Heu nimium Livor mortalibus inſitus ægris,
Inter eos etiam, quibus eſt commiſſa poteſtas
Paſcere Oves Chriſti, ſanctamque exponere legem!
Quos non ille dolos, quæ non incendia paſſim,
Et litem, & rixas, & plus quam iurgia miſcet!
Ille quoque inſequitur manes rabioſus, & umbras

Semideûm Heroum, quales mirabitur omnis
Poſteritas. Prò magne Deûm, pro magne hominum Rex,
Quæ nos Relligio? quæ nos hodie excipit ætas,
Docta ubi ſcripta virûm nullo diſcrimine carpit
Invidus, aut cæco commotus pectora zelo?
Nuſquam tuta fides, ſi nec poſt funera tutus
Druſius, & quiſquam dictis temerare protervis
Audeat illius curas, ſanctoſque labores.
Parce, precor, nec prode tuum maleſane furorem,
Quiſquis es. Ille tuis telis ereptus, & ipſi
Invidiæ, ſilet, & quæ dudum temnere vivus
Multa ſolet, non jam dicteria mortuus audit.
At nos Latoidis memores, ſocerique, tuique
Semper, Abele, tuum Socerum celebrabimus, & tot
Illius in noſtrum merita infinita Lycæum,
Quæ quoque vicini populi, populique remoti
Excipiunt, nam vicinis, pariterque remotis
Doctor erat populis: Et quæ non plena laborum
Illius eſt regio in terris? Quæ natio fructus
Non habet inde ſuos, dum quæ memoranda notavit
DRUSIUS in ſacris evolvit ſedula libris?
Hoc multis commune quidem, ſed gloria noſtra eſt,
Quod modo quem vivum in parva Tritonidos urbe
Nutriit, atque virum mirata eſt Friſia tantum,
Illa ſua jam illum ſervet tellure ſepultum.
Hoc nobis proprium, quod noſtra ex gente repertus
Diſcipulus Druſi, qui quantum ſuſtinet ætas,
Ingenium, mentemque refert, moreſque magiſtri
Ammama, qui ſolus cum te quoque judice Druſi
Scandere dignus erat poſt te, & tua fata Cathedram,
Scandit & ille tuam Cathedram, & jam munere fœlix
Fungitur applauſu multo comitante juventæ.

Cur igitur nimio juvat indulgere dolori
Temporibus lætis? At vos, quibus antea curæ
Druſius unus erat, & nunc quibus *Amminga* curæ,
Illius ad tumulum, ad Cathedram Libethrides hujus
Ferte roſas, violaſque, & purpureos Hyacinthos,
Liliaque, floresque alios; Nec Pallas olivæ,
Nec tu Theſſalicæ parcas Phœbe optime lauro.
Dignus uterque tuo cantari Carmine, vel ſi
Viveret Ioniæ divus Colophonis alumnus,
Dignus uterque ſuo quem Carmine cantet Homerus,
Et vates Andinus, & in Sulmone creatus
Naſo ſuo: noſtras ſuperat labor ille Camœnas,
Vix licet; uſque adeo claris tot honoribus ardent
Doctiloqui Druſi, quem, dum, hoc in corpore reſtat
Spiritus, & dabitur vitali veſcier aura,
Quo poterint, nunquam ceſſabunt dicere cantu,
Nec ceſſare velint; & ſi quandoque labaſcent
Innumeris fractæ curis ſtudioque moleſto,
Hoc tamen illarum ſupremo in gutture votum
Semper erit, dicentque ea verba noviſſima Muſæ:
DRUSIUS æternum vivat celebrandus, & illum
Amminga cum ſimili ſectetur laude magiſtrum.

C. M. V.

IOHANNI CLEMENTI DRUSIO,
Præcep. quondam ſuo.

IOANNES SARTORIUS Leov. Friſ.
Eccleſiaſtes in Buytenpoſt.

L. M. Q. D.

Ejuſdem

EPIGRAMMA

IN

DRVSIOMASTIGAS,

Cum Anagrammate.

IANVS DRVSIVS.

vir Dîus Sanus.

D*Eſine, quo vivo muteſcere, Mome, ſolebas,*
Iam modo defuncti carpere ſcripta viri.
VIR fuit, atque ſuos cohibere viriliter hoſtes,
Dum vixit, potuit, nec potuiſſe negant.
Ingenio DIVS, diæ myſteria linguæ,
Explicuit ſummâ ſedulitate diu.
Iudicio SANVS, ſanam retinere loquendi
Formam avidus, ſanæ Religionis amans.
Hoc ſi Mome, negas, ſi à te male Druſius audit,
Quàm fuit hic ſanus, tàm maleſanus eris.

FINIS.